
74
D



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
9 B
37

VI·11·34·
K.7.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

COLLATIO
ad
CONCILIUM SIRMIENSE,

Sub

CONSTANTIO IMP.
habitum

HISTORICO-THEOLOGICA,

FACTA
à

IOHANNE GEORGIO DORSCHEO D.

&

DEO SOSPITANTE,

In Academia Argentoratenſi ſolennis exercitii cauſa propoſita,

Ad diem Auguſti

RESPONDENTE

M. JOHANNE CHRISTOPHORO Lichtner/
Philol. & SS. Theol. Stud.

ARGENTORATI, Typis FRIDERICI SPOOR.
ANNO M. DC. L.

JLLUSTRI AC GENEROSISSIMO
DOMINO,
DN. CUNRADO REINECCIO
von Callenberg/
Luſatiæ Superioris Pro-Marchioni laudatiſsimo,
Baronat. Muſcoviæ, Wetteſingen/ & Weſtheim ꝛc.
Dynaſtæ hæreditario;
Legionisque Equeſtris, ſub Sereniſſ. & Potentiſſ.
Electore Saxonico, Duci ſupremo,
Heroi Pio, Philomuſo, Magnanimo,
Domino meo Clementiſſimo;

Inclutæ Item Reipublicæ
GORLICENSIUM
Dnnnnn. CONSULIBUS,
SYNDICO,
PRÆTORI
SCABINIS,
Cæterisque PATRIÆ PATRIBUS,
Viris Nobiliſsimis, Ampliſsimis, Conſultiſsimis,
in prudentiam & literas ſpectatiſſimis,
Dominis Mœcenatibus,
Patronis, Evergetis, Promotoribus
meis,
Exercitium hoc Academicum,
in
Obſequii, Cultus, Obſervantiæ, grati animi
ſacramentum,
cum voto omnigenæ felicitatis
D. D. D.

M. Johannes Chriſtophorus Lichtner/
Reſpondens.

Digitized by Google

Illuſtri & Generoſiſſimo Domino,

DN. CONRADO REINECCIO von Callenberg/

Luſatiæ ſuperioris Promarchioni, Baronat. Muſcoviæ, Wetteſingen & Weſtheim Dynaſtæ hæreditario, Legionisque Equeſtris, ſub Sereniſſ. & Potentiſſ. Sax. Electore, Duci ſupremo, Domino meo Clementiſſimo!

VT ET

Nobiliſſimis, Ampliſſimis & Prudentiſſimis

Clariſſimæ Luſatiæ ſuperioris CIVITATIS

GÖRLICII,

DNN. COSS. & SENATORIBUS,

Dominis meis honoratiſſimis,

Gratiam & Pacem à Domino IESV per Spiritum ſapientiæ & conſilii!

ACademiam ſuam laudaturus & congeſtis ornamentis multiplicibus extra omnem culpam collocaturus NONNEMO, illud, quod ad Theologiam ſalubriter percipiendam attinet, in frontiſpicium conſtituit; *Coluit,* inquiens, *& colit ſtudium primævæ antiquitatis eccleſiaſticæ, tenax ſinceritatis & ſimplicitatis doctrinæ, quam de ſummis ſanctæ religionis myſteriis propo-*

ſuerunt, ſymboliſque & confeſſionibus ſuis declararunt œcumenica prima Concilia, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe; nec novitates, quas nonnulli allinere conati ſunt, unquam admiſit; & veritatem è ſcriptura demonſtratam hoc etiam ipſo teſtimonio rectè confirmari cenſuit &c. Miramur meritò, cur ſtudium ſacrarum literarum inter ornamenta illa non retulerit? cur illas, quæ primarium ſanctæ exercitationis in Chriſtianis Academiis poſtulant officium, ſicco pede præterierit? Veritatem quidem è ſcriptura demonſtratam eccleſiaſticæ antiquitatis teſtimonio rectè confirmari, cenſuit; ſtudium tamen demonſtrationum è ſacris literis conficiendarum coli cultumve hactenus fuiſſe in ſua Academia non pronunciavit. Miramur inſuper, quod *non admittendarum novitatum* nomine non erubuerit ille deſignare, quicquid œcumenicorum quatuor conciliorum iſtorum ſymbolis confeſſionibuſque, cum id hæreſium diſſidiorumque tollendorum iuberent pericula, ſub confeſſionis aut conſenſionis formula adiectum eſt. Quaſi plus iuris contra Arium, Neſtorium, Eutychen & alios illorum temporum Eccleſia habuerit, quam contra noſtrorum temporum Errones, quæ nunc depoſiti cœleſtis cuſtos & vindex eſt, Eccleſia! Sed hoc neceſſarium eſt illi, qui inveteratas componere lites & Rempublicam Eccleſiamq; iis poſtulatis ſtabilire aggreſſus eſt, quibus immaniter utramque concutiat. Nullius ſit oportet, qui omnium eſſe poteſt partium. Miramur denique, cur toties cultum ſtudiumque primævæ antiquitatis Eccleſiaſticæ in ſua Academia deprædicet? Monumenta hactenus illius pauca conſpeximus. Quæ inter arcana atque abdita, Studioſis illibi commendata, ſemel atque iterum nobis in manus venerunt, malè concinnata & contra conſenſum Eccleſiæ noſtræ ſubdolè adornata eſſe, obſervavimus. Quæ lu-

cem

Digitized by Google

cem aſpexerunt, iam antea ab aliis, quorum tamen nomina ſilentium preſſit, pleraque elaborata & divulgata deprehendimus. Nonne verò & alibi in noſtris Academiis colitur ſtudium primævæ antiquitatis Eccleſiæ? Ad id ſanè obligant nos & Academicæ & Eccleſiaſticæ noſtræ conſtitutiones. Itaque illud, prout temporum ſtudiorumque ratio exigit, promovemus, quantis poſſumus conatibus. Eius ſpecimen nunc damus in eruendo CONCILIO SIRMIENSI, in cuius ſanctionibus eliſdendis tam graviter iactator ille & calumniator noſter hallucinatus eſt. In eodem publicando & Academica collocutione inſuper dilucidando egregiam nobis præſtitit operam *Eximius & Præſtantiſſimus* Dn. M. Johannes Chriſtophorus Lichtner/ *Perquam Reverendi & Ampliſſimi Viri*, Dn. CHRISTOPHORI LICHTNERI, *Antiſtitis veſtri excellentiſſimi, Fratris noſtri in Chriſto honoratiſſimi*, Filius optimus. Id vobis, *Illuſtris Dn. Promarchio, Dn. Clementiſſime, & Ampliſſimi Dnn. Coſſ.* & *Senatores*, humiliter devotèque offerimus & conſecramus; EGO quidem, TUM, ut hac occaſione Luſatiæ veſtræ de illa proſperrima & incomparabili coniunctione cum domo Electorali Saxonica Sereniſſima, & ſub eadem patrocinio impetrato maximo, toto pectore gratularer. Dedit illa noſtræ Academiæ magna lumina, doctores graviſsimos, JOH. SCHMIDIUM Theologum, JOHAN. OTT. TABOREM & GREG. BICCIUM JCtos. Debemus igitur ei hanc gratitudinis indicinam, ut tum fortunis eius vota ſociemus noſtra, tum lætis ſucceſsibus & felicibus acceſsibus perennitatem comprecemur. Auxit defenſor boni publici maximus, inter immania pericula invictus, *Sereniſſ.* ELECTOR, *Dominus meus clementiſsimus*, dominium ſuum, principatus extendit, religionem munivit. Vobis regione & religione ſub iſto capite florere datum eſt: TUM,

ut Vobis gratias agerem pro honorifico de Academia noſtra iudicio, quo ſic eam in oculis fertis & complectimini, ut pignora veſtra chariſsima, ſpes familiarum veſtrarum, & publici egregii futura inſtrumenta, iam à multis annis nobis formanda firmandaque transmiſeritis; propter quod annitimur, ut deſideriorum veſtrorum compotes fieri poſſitis: TUM, ut Eximium Dn. M. Lichtnerum meũ, ad præclara quæq; magna induſtria contendentem, VOBIS commendarem, quem ut iis affectibus benevolentiſsimæ gratiæ porro complectamini, quibus hactenus complexi eſtis, ipſa augmenta doctrinæ virtutisque excitant. IPSE, quid præter hoc, quod deſignavi, ſecretæ devotionis ipſum ad nominum veſtrorum illuſtrium & ampliſsimorum compellationem impulerit, ita apud vos perorabit, ut me interprete non opus habiturus ſit. Dominus Jeſus VOBIS hoſpes ſit & ſoſpitator perenniter propitius. Dab. Argentorati A. O. R. cIↄ Iↄc L. IV. Jul.

Illuſtris Generoſitatis

&

Magnificæ Amplitudinis

V. V.

obſervantiſſimus
devinctiſſimus

Johan. Georg. Dorſcheus, D.

Digitized by Google

Præſtantiſſimo Dn. M. IOHANNI CHRISTOPHORO LICHTNERO *amico meo, & conterraneo perdilecto.*

QUod tua, mi LICHTNERE, volunt cognomina prodis,
IN LUCEM greſſu ſcandens felice cathedram,
Errorum pellens cæleſti LUCE TENEBRAS.
..t fidei faciens verum EFFULGERE NITOREM.
..ratulor eximios auſus, quos Numen ab alto
..ortunet, patriæ ut fias LUX SPLENDIDA terræ.

Benevoli affectus & officii ergò ſcribebam

IOHANNES SCHMIDT, SS. Theol. D.
Prof. Ord. & Conventus Eccl.
Præſes.

SCriptura, ceu principium divinitus ortum,
Regula ſunt fidei, ſunt cynoſura animæ.
..nciliorum erat ille labor ſanctiſſimus olim,
Vt juncta hæreticos comprimerent acie,
..nſenſum teſtata ſacrum. Sic norma ſalutis
Aptata, unitis viribus atq; viris.
..rmica ſic ſynodus PHOTINUM *preßit* OPACUM!
Quam poſt hæretici ſubruerant alii.
..go vetuſtatis monumento debita LUX *eſt!*
Vindiciis eguit nobile depoſitum.
..ICHTNERE, *eximiis adſuete laboribus, urge*
Mecum opus, eximia LUCE *beare potens.*
..UX ERIT INDE *Tibi, Patriamq; Patremq;* SERENANS,
Conciliansq; bonos laus erit inde Tibi.

Scrib. amoris cauſa

IOH. GEORG. DORSCHEUS D.

DEtegere furta arteſq; tot Sinonias,
Quod SIRMIENSE prodidit ſenaculum,
Arteſq; per SIONIAS refellere,
Id eſt THEOLOGI! non tacere, aut callido
Commuſſitare callidè ſilentio.
Dæmon ineptus ſemper unam fabulam
Ludit: ab eadem decipi mundus cupit.
Ita ſeculum eſt! Inviſa, qui verſutias
Intelligunt, ſunt capita; qui produnt, canes!
LICHTNERE tute audentior contra! DEI
Quæ vindicatur gloria, dabit gloriam.

F.

JOH. CONRAD. DANNHAVVER SS.
Theol. D. Prof. & Eccleſiaſtes.

DN, M. LICHTNERO, Amicó meo intimius dilecto, honorando.

*V*ERBI LUCE *ſacrâ* LUMEN DE LUMINE *IESVM*
Quando aſſeris, LICHTNERE, *de DEO DEVM*
Protrahis è cryptâ TENEBRAS, *monſtrumq;* PHOTINI
Apertius quàm lingua SIRMIENSIUM;
Hoc facis ex genio LUCIS, *qua diſcutit omnem*
Penetrante vi Sophiſmatum CALIGINEM;
Hoc facis ex genio IESV, qui PHOSPHORUS *ortu*
ILLUMINANTE OPACA *pellit cordium,*
Quiq; ſcholæ veterum quondam myſteria LUCIS
E LUCE *inacceſſâ explicavit Angelus.*
Hác operâ ſpondes, qualem Te ſiſtere quondam
Eccleſiæ velis paterna, ſcilicet
Notitia IESV clarum, doctrinâ, & Elencho
Potem κυβείας, χριςόφορον, & φώσφορον.

Richovillæ ſcribeb.

DAVID Ehrentraut/ Eccl. ibid.
Symmyſta.

Digitized by Google

IN

COLLATIONEM

AD

CONCILIVM SIRMIENSE

SVB

CONSTANTIO IMPERATORE

HABITVM

HISTORICO-THEOLOGICAM

PRÆFATIO.

GREGORIVS NAZIANZENVS *graviter pronunciat* in ep. ad Procopium, quæ eſt 55. edit. Leonclavii: *Ego*, ſi vera ſcribere oportet, ita animo affectus ſum, ut omnia Epiſcoporum Concilia fugiam; quoniam nullius Concilii finem lætum fauſtumque vidi, ac quod depulſionem malorum potius, quam acceſſionem & incrementum habuerit. Pertinaces enim contentiones & dominandi cupiditates (ac ne me quæſo moleſtum & importunum exiſtimes hæc ſcribentem) ne ullis quidem verbis explicari queant; citiusque aliquis in culpam vocabitur, dum de aliena iudicium fert, quam ut aliorum perverſitatem comprimat. R. Bellarminus, *in hunc locum à Calvino lib. 4. Inſtit. c. 9. §. 3. obiectum incidens*, lib. 2. de Concil. cap. 7. Reſpondeo, *inquit*, non negat Nazianzenus legitima Concilia certam fidem facere, ſed queritur, ſuo tempore nullum Concilium fieri potuiſſe, omni ex parte legitimum. Nam Gregorii ætas incidit in tempus medium inter Concilium primum & ſecundum generale, quo tempore plurima facta ſunt Concilia, quæ propter multitudinem Epiſcoporũ

hæreticis faventium infauſtum habuerunt exitum, qualia fuerunt Seleucienſe, Tyrenſe, Ariminenſe, Mediolanenſe, SIRMIENSE &c. Cum ergo ſuo tempore tot vidiſſet mala Concilia, & nullum bonum, & tamen vocaretur à Procopio nomine Imperatoris ad Concilium quoddam, duas excuſationes adhibuit, unam, quod deſperaret, ſe legitimum Concilium eo tempore viſurum; alteram eamque præcipuam, quod morbo graviſſimo detineretur, ut quotidie putaret, ſe moriturum. Confirmatur hæc ſolutio ex Baſilio, qui eodem tempore floruit, id eſt, poſt primum Concilium, & ante ſecundum. Et ſcribens in ep. 52 ad Athanaſium, dicit, *videri ſibi impoſſibile, ut eo tempore fieret legitimum Concilium, & ideo oportere ſcribi ad Rom. Pontificem, ut ipſe ſua autoritate irritaret acta Concilii Ariminenſis.* Denique quid ſenſerit Gregorius de legitimis Conciliis perſpicuum eſt, tum ex eo, quod in epiſt. priore ad Clidonium, cum Apollinariſtæ negarent, ſe eſſe hæreticos, & dicerent, in Concilio quodam Catholico receptos, ait; *Oſtendant hoc, & nos acquieſcemus. Perſpicuum enim erit, eos recta doctrina aſſentiri; nec enim ſe aliter res habere poteſt, ſi id conſecuti ſunt.* Et orat. in Athanaſium dicit, *ad Concilium generale Nicanum Epiſcopos à Sancto Spiritu congregatos*: tum etiã ex eo, quod adeò ſtrenuus prædicator fuit Nicæni Concilii, ut templum, in quo ipſe Conſtantinopoli concionabatur, *ἀνάστασια, id eſt*, reſurrectio vocatum ſit, quia ibi reſurrexerit opera Gregorii fides Nicæna, per Arianos antea quodammodo extincta, ut refert hiſt. Tripart. lib. 9. c. 9. tum denique, quia poſtea interfuit ipſe Concilio ſecundo generali, ut patet ex ſubſcriptione, & oratione, quam habuit ad 150. Patres. *Thom. Stapletonus* Relect. Princip. fidei contr. 6. quæſt. 1. art. 5. p. 615. Nazianzenus, *inquit*, loquitur de frequentibus Arianorum conventiculis & ſynodis, non autem de Conciliis generalibus legitimè congregatis, qualia adhuc ille expertus non erat. Vnicum enim Nicænum ante illud tempus, quo hæc ſcripſit, celebratum fuerat, cujus etiam fructum & utilitatem non adeò magnam viderat, propter tumultuantes Arianos. *Ita etiam interpretatur Nazianzenum Paræus* in Irenico cap. 7. p. 33. & ſeqq. contra ſuos, *Witakerum* Tom. I. Op. pag. 624. de Concil. q. 6. c. 3. *Sutlivium* de Concil. lib. 2. c. 1. p. 379.

Nimium

Nimium autem tribuit Gregorio Bellarminus, cum cenſet, ipſum pronunciaſſe, ſuo tempore nullum Concilium fieri potuiſſe mni ex parte legitimum. Id nunquam exiſtimavit Gregorius. Queritur duntaxat de periculis, quibus obnoxia eſſent Concilia, deò ut etiam optimè inſtituta & legitimè convocata, non eum amen ſortiantur eventum, quem poſcit gloria Dei & ſalus Eccleſiæ. Hinc Nazianzenus: nullius Concilii finem lætum auſtumque vidi. *Non itaq; ipſis autoritatem aſſignat infallibilem, quanquam uſui deſtinata cenſeat egregio, qui tamen aſtu aut violentia Satanæ plerunq; intercipiatur. Neq; Nazianzenus de Conciliis ſtis duntaxat loquitur, quæ* favore aut furore hæreticorum ſunt collecta, *ſed* in genere *pronunciat, pertinaces contentiones & dominãdi cupiditates, quæ verbis nullis ſatis explicari poſſunt, omnia contaminare.* αἱ γὰρ φιλονεικίαι καὶ φιλαρχίαι λόγυ κρείττονες, *(uti legit rectè Leonclav.* in ſchol.h.l.) Contendendi libidines & dominandi ambitiones ſunt ſupra vim ſermonis. *Cornar.* Ea eſt illis libido contendendi, & ambitio dominandi, ſuntque ita diſputando inſuperabiles, ut ſi &c. *Malè igitur ſequitur Stapletonum ſuum Franciſ. Longus à Coriolano* in ſumm. Concil. prælud 7. p. 5. *cum cenſet*: Nazianzenum loqui de Concilio illegitimo. *Ait enim*, Ita animo affectus ſum, ut omnia Epiſcoporum Concilia fugiam. *Et rurſus.* Nullius Concilii finem lætum fauſtumque vidi. *Et poſt:* Quocirca egomet me collegi, animæq; ſecuritatem in ſola quiete ſolitudineq; mihi poſitã iudicavi. *Ecqui ſe excuſaret Procopio Nazianzenus, ipſum, ut exiſtimatur, ad Conciliũ Conſtantinopolitanum I. cui etiam interfuit, ſub Pio Principe collectum, à Damaſo Papa placitum, vocanti?* Ego ægrè adeo Conciliũ, ad quod invitor, quia Concilia illegitima Epiſcoporũ fugio, quia illegitima Concilia lætum fauſtumq; finem non habere, video? *Incõmoda profectò iſta fuiſſet excuſatio. Melius Stapletonus fecit, qui, primum quidem Nazianzenum de Arianorum conventiculis interpretatur, poſtea tamen non diffitetur, ne ipſius quidem Nicæni Concilii magnum fructum ſenſiſſe eum propter tumultuantes Arianos. Notat id Hilarius ad Conſtantium Imp. cum ait*: Conſcii nobis ſumus invicem, poſt Nicæni conventus ſynodum, nihil aliud, quam fidem ſcribi, dum in verbis pugna eſt, dum de novitatibus quæſtio eſt, dum de ambi-

Digitized by Google

guis occaſio eſt, dum de autoribus querela eſt, dum de ſtudiis certamen eſt, dum in conſenſu difficultas eſt, dum alter alteri anathema eſſe cœpit, propè iam nemo Chriſti eſt. *Baſilius* ep. 52. ad magnum Athanaſium *non dicit*, videri ſibi impoſſibile, ut eo tempore fieret legitimum Concilium, & ideò oportere ſcribi ad Pontificē R. ut ille ſua autoritate irritaret acta Concilii Ariminenſis. *Audiamus ipſum Baſilium ex transl. Cornarii.* Quam iam olim de præſtantia tua opinionem habuimus, eam temporis progreſſus ſemper confirmat. Imò potius adauget, particularibus eorum, quæ fiunt, acceſſionibus. Nam pleriſque aliis hoc ſatis eſt, ut unusquisque id, quod ad ſe pertineret, conſideret, & curet. Tibi verò hoc ſatis non eſt, verum ſollicitudo tua pro omnibus Eccleſiis tanta eſt, quanta pro ea, quæ privatim à communi noſtro Domino concredita eſt tibi, incumbit: qui ſanè nullum tempus intermittis alloquendo, admonendo, ſcribendo, mittendo ſemper aliquos, qui optima ſuggerant. Et nunc quoque ex ſacro numero electorum ſub te ad miniſterium, venerandiſſimum fratrem Petrum emiſſum cum magno gaudio ſuſcepimus, & bonum ipſius peregrinationis laborem amplexi ſumus, quem commonſtrat iuxta præſtantiæ tuæ præcepta, reluctantia adducens & divulſa coniungens. Vnde & nos conferre aliquid eius ſtudio volentes, aptiſſimum initium rebus nos daturos eſſe putavimus, ſi velut AD VNIVERSORVM APICEM ad præſtantiam tuam recurreremus, & te conſultore ac duce actionū uteremur. Vnde etiam fratrem Dorotheum, miniſtrum Eccleſiæ ſub reverendiſs. Epiſcopo Meletio, bono uſum circa fidei rectitudinem fervore ac zelo, cupientemque etiam ipſum pacem Eccleſiarum videre, ad pietatem tuam remiſimus, ut tua conſilia ſequentes, quæ & tempore & rerum experientia, & quod præ aliis conſultationem ex ſpiritu habes, ſecuriora facere potes, ſic ea, quorum ſtudio tenemur, aggrediamur. Quem & ſuſcipies nimirum, & aſpicies pacificis oculis, ipſumque orationum auxilio firmatum ac literis ad viam inſtructum, imò magis adiunctis ipſi aliquibus iſtic viris præſtantibus, ad propoſita deduces. Viſum autem eſt nobis, ut literas ad Epiſcopū Romæ mittamus, quo res hic conſideret ac conſilium det, ut quia à communi & conciliari ſynodi do-

di doctrina aliquos illinc mitti difficile eſt, ipſe autoritatem rei conciliet, electis viris ſufficientibus ad profectionis labores ferendos, ſufficientibus item manſuetudine ac morum integritate, ad perverſos apud nos commonefaciendos, qui aptè & cum gubernandi peritia doctrina verbi utantur, omniaque habeant ſecum, quæ in Arimino facta ſunt, ad diſſolvenda ea, quæ illic neceſſariò fiebant; atque hoc nemine ſciente, ita ut citra ſtrepitum per mare hic adſint; quo ſenſum ac animadverſionem inimicorum pacis prævertamus. *Hæc Baſilius, petens ad Conciliũ in Oriente habendum conſilium & auxilium à Romano Epiſcopo, ſicut & ab Athanaſio Alexandrino pro tranquillanda Eccleſia & Ariminenſis ſynodi diſſolvendis actis per vim neceſſitatemq; conſtitutis. Nihil de impoſſibilitate obtinendi legitimi Concilii locutus, id tantũ indicans, è Concilio Orientali Romam difficulter mitti poſſe, qui rem ex uſu Eccleſiæ expediant. Sed & nullum dictum factumq; Gregorii Nazianzeni teſtatur, quod ipſe infallibilem autoritatem etiam legitimè conſtitutis ſynodis aſſeruerit.* Nam in ep. 1. ad Clidonium *ita ſcribit:* Illud indignitatis accedit, quod ab Occidentali ſynodo ſeſe hæretici, ut audio, ſuſceptos eſſe affirmant, à qua eos prius condemnatos eſſe nemini eſt obſcurum. Quod ſi vel nunc, vel ante ſuſcepti ſunt, qui cum Apollinario ſentiunt; hoc oſtendant, & nos acquieſcemus. Perſpicuum enim erit, eos rectæ doctrinæ aſſentiri, nec enim aliter ſe res habere poteſt, ſi hoc conſecuti ſunt. Id autem omninò liquet, ſi vel ſynodalem Codicem, vel epiſtolas, quibus ad communionem admitti iubeantur, protulerint. Nam hic ſynodorum mos eſt, &c. *Non hoc vult Gregorius, impoſſibile eſſe, ut aliter ſe, quam recta doctrina convenit, habere poſſint, quæ in ſynodis concluduntur; ſed hoc, ſi Apollinariſtæ ſuſcepti ſunt à ſynodo Occidentali, oportet eos errorem Apollinarii reieciſſe, & orthodoxæ ſententiæ, cuius tuendæ cauſa Occidentalis ſynodus laboravit, ſubſcripſiſſe. Nec enim fieri poſſe, ut ſuſcipiantur hæretici à ſynodo, quæ prius eos damnaverat, niſi depoſita hæreſi & veritate ſuſcepta. Quod verò* orat. in Athanaſ. *ait,* Spiritum S. in unum coëgiſſe Epiſcopos Concilii Nicæni, *non eſt argumentum infallibilis autoritatis omnibus legitimè congregatis ſynodis competentis. Nam inprimis à Spiritu S. cogi, non ſemper ad θεοπνευστίαν, & infallibilem aſſiſtentiam pertinet.*

Digitized by Google

Deſignat etiam ordinarium regimen Sancti Spiritus, quo res Eccleſiaſticas conſtituit. Imò & ad ſingularem illum ſucceſſum, proſperrimum ſanè & inſperatum, quo tantus Epiſcoporum numerus collectus eſt, atq; ad eventum feliciſſimũ, quo fuit proſtrata hæreſis magnis præſidiis nixa, referri poteſt. In eo autem magni æſtimanda merito, quod ſecundum ſacr. literarũ regulas rectè ritèq; progreſſa ſynodus infallibilem veritatem expreſſerit, licet donis ordinariis & præſidiis veritatis cœleſtis conſtitutis id fecerit, non autem ex illapſu irrefragabili. Nihil ad infallabilem autoritatem Conciliorum facit, aut ad Gregorii ſenſum, de illa Conciliis tribuenda, confirmandum, quod ex tripartita hiſt. *affertur. Nam id non eſt factum Gregorii Nazianzeni, quod nomen Anaſtaſiæ obtinuerit templum Conſtantinopolitanum. Nec id dicit* Tripartita, *quæ & addit ex Sozomeni VII, 10. ex alio caſu, mulieris, ſc. dum audiret verbum è ſublimi porticu lapſæ, mortuaq; & reſuſcitatæ ibi, templo nomen datum. Ipſe Gregorius* partim *in ſomnio de Anaſtaſia*, partim *in orat. ad CL. Epiſcopos impoſitionem eius nominis, quam à vera SS. Trinitatis confeſſione ortam refert, ſibi non tribuit. Sed de eo videatur Card. Baronius* Tom. 4. Annal. ad A. Chr. 378. n. 57, 58, 59.

Baron. verba illa Gr. Naziãzeni, de quibus cœpimus dicere, reſpicere cenſet ad novam quandam Conſtantinopolitanam ſynodum, poſt Oecumenicam iam habitam, ab Orientalibus impetratam. Sic enim ad Ann. Chr. 382. *rem narrat, Romæ Concilium inſtitutum fuiſſe ex Epiſcopis diverſarum Provinciarum Orientis aliarumq; Catholici orbis regionum*, n. 1. *ad idem cum aliis veniſſe Hieronymum*, n. 2. *Acholium Theſſalonicenſem, Anemnium Sirmienſem, Valerianum Aquileienſem, Ambroſium Mediolanenſem & alios Epiſcopos.* n. 3. *Orientales autem Epiſcopos, qui ſuperiori anno Conſtantinopolitano Concilio interfuerunt, cum literis Theodoſii Romam evocarentur, Conſtantinopolim reverſos Theodoſio perſuaſiſſe, maxima cum iactura Eccleſiarum Orientalium coniunctum fore, ſi hæreticis nuper pulſis & tamen adhuc præ foribus earum excubantibus, ipſi Romam proficiſcerentur, ſatis fieri Damaſo, ſi Legati Romam mitterentur. Hinc Conſtantinopolim Concilium congregatum, ad quod & abſentes Epiſcopi alii & ipſe etiam Gregorius Nazianzenus vocati.* n. 4. *Hunc poſtquam relicta Conſtantinopolitana Epiſcopa Nazianzũ rever-*

everſus, patriam ſine Epiſcopo reperiſſet, cum Helladio Cæſareenſi piſcopo de Eulalio præficiendo ei egiſſet, & verò rumor de Gregorio invito ab Epiſcopatu excluſo increbuiſſet, publicè prius eius falſitatem detexiſſe, poſtea ad ſynodum Conſtantinopolitanam vocatum à rocopio iuſſu Theodoſii, venire recuſaviſſe ad eum conventum, quem iſcordia ſciebat conſciſſum, faventibus aliis Flaviano, aliis Paulino. um.6, & 7. *Deniq; importunius poſtulatum in ea verba reſcripſiſſe, lympio Præfecto Cappadociæ.* Hoc mihi morbo ipſo gravius eſt, quod ne ægrotanti quidem fides habetur, ſed peregrinationem a longam inire iubeor, atque in medios tumultus me intrudere: quorum ſeceſſionem ita amavi, ut hoc nomine gratiam quoque corporis afflictioni propemodum habeam. Quieta enim & à negotiis ſemota vitæ ratio actuoſæ vitæ ſplendore præſtanior eſt. Hoc illuſtriſſimo quoque Icario non ita pridem ſcripſi, um idem ab eo edictum accepiſſem. Magnificentiam autem uam rogo, ut pro nobis quoque id ſcribere dignetur; quippe uem morbi noſtri locupletem teſtem habemus. &c. *Itaq; Gregorium non ſic contemſiſſe ſynodos, ut cōmunis Eccleſiæ utilitatis cauſa, cum ſe occaſio daret, accedere penitus recuſarit, ſed ſynodi illorum itaſſe acceſſum, quos, quales eſſent, & quam præter ius Flavianum inituiſſent, ſuperiori anno plus ſatis expertus fuerat. Multum aliàs ynodis Patrumque Conventibus detuliſſe eum, fuiſſeq; pro Eccleſiæ pae valdè ſollicitum.* Num.8. *Hinc cum Anno 383. rurſus Conſtantiopoli ſynodus à Theodoſio cogeretur, Præfecto Prætorio Poſthumiano, Gregorium huic negotium huius ſynodi diligenter commendaſſe, cum a ſcriberet:* Nihil tam Imperio tuo convenire exiſtima, (quandoquidem rurſus Epiſcoporum ſynodus celebratur, haud ſcio, ua de cauſa, & quomodo coëuntium) quam ut te Præfecto ac ua opera Eccleſiæ ad pacem adducantur, etiamſi eos, qui diſſidi & factionibus contendunt, aſperius obiurgare oporteat. Quod i cuipiam nimium curioſus eſſe videar, quod cum à negotiis receſſerim, non tamen curam & ſollicitudinem abiecerim, hoc neireris Non n. quemadmodum à thronis & faſtuoſo ſupercilio, a etiam à pietate ſeceſſimus: quin potius eo maiorem fidem ctoritatemque apud te habiturus mihi videor, ut qui non rem eam privatam, ſed publicam utilitatem curem. *Eodem argumento*

mento eundem ſcripſiſſe Saturnino, qui hoc anno cum Merobaude Conſul fuit, cum ita ſcribit: Omnia apud nos Dei beneficio rectè ſe habent, hoc uno excepto, quod de Eccleſiis anxii & ſolliciti ſumus tam fœdè perturbatis. His quicquid opis afferre potueris, communem concordiam & re & ſermone impigrè conſtitue: quandoquidem Epiſcopi rurſus coëunt, ac metuendum rurſus eſt, ne nunc quoque pudore ſuffundamur, ſi hæc ſynodus parum præclarum finem habuerit, quemadmodum prius &c. *A. Chr.* 385. num. 24. & 25. *Sic itaq; Baronius adhuc arctius conſtituit limites notationis ſynodorum infauſto exitu illatabilium, quos Gregorius Nazianzenus poſuit, quam illi à Bellarmino & Stapletono conſtituuntur. Sed ſanè contra mentem Gregorii, uti ex ſuperioribus conſtat. Non autem tantum aſſerit, quod parum ſano & ad normã ſacrarum literarum compoſito proceſſu à veritatis regula aberrare poßint, ſed etiam quod, licet rectè in dogmaticis conſtituta Concilia, in hierarchicis nihilominus & tacticis infauſto contaminentur ſæpißimè exitu. Interim negari non debet, quod Conciliorum ab erronibus & turbonibus liberorum maximi fecerit Gregorius autoritatem. Non ſeparavit nimirum Gregorius ſenſum ſuum de Conciliis ab illorũ prudenti æſtimatione, qui Conciliorum rectè conſtitutorum maximum uſum eſſe agnoverunt. Conſtantinus, uti refertur in eius vita l.2.c.16. ex Concilii Nicæni ſententia ſcripſit, non poſſe religionem Chriſtianam in tuto collocari, niſi vel omnes Epiſcopi, vel maxima eorum pars in unum conveniſſet, ſinguliq; ſententiã de rebus ad ſanctiſſimã religionẽ pertinentibus dixiſſent. Conſentit Auguſtinus, dum exiſtimavit, contentionem de baptiſmo hæreticorum non aliter finem accipere potuiſſe, quam ex plenarii Concilii determinatione.* Quæſtionis, *inquit*, huius obſcuritas prioribus Eccleſiæ temporibus ante ſchiſma Donati, magnos viros & magna charitate præditos Patres & Epiſcopos ita inter ſe compulit ſalva pace diſceptare & fluctuare, ut diu Conciliorum in ſuis quibusque regionibus diverſa ſtatuta nutaverint, donec plenario totius orbis Concilio, quod ſaluberrimè ſentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur. *Iudicavit etiam, in quo conſentientem habuit Leonem Papam* ep.43. *Martianus Imper. ſynodum generalem ad reparandam Eccleſiã Orientalis pacem neceſſariam eſſe. Et omninò veriſſimũ eſt, quod ſcribit Iſidorus*

idorus Hiſpal. Origin.lib.6.cap de Canon. Concil. *inde* Chriſti-
nitaté in varias hæreſes in prioribus ſeculis fuiſſe ſciſſã,quia non
at licentia Epiſcopis in unum cõvenire,niſi tempore Imp.Con-
antini. *Vnde incepta eſt Bellarmini contra neceßitatem Concilio-
m ratiocinatio*, quod primis trecentis annis caruit Eccleſia
Conciliis, nec tamen periit. *Licet enim non ſint neceſſaria, ut de-
ndatur Eccleſia ab interitu, ad amovendas tamen ſciſſuras condu-
nt, ut Iſidorus teſtatur. Audiamus, quid Petr. de Alliaco Card.
ameracenſis* lib. de Ref. Eccleſ. *reſpondeat Bellarmino.* Si dica-
ır, quod hodie non eſt opus, Concilia generalia aut Provincia
a congregare, ſicut fuit in primitiva Eccleſia, & quod, ad tol-
endas vexationes Prælatorum in huiusmodi Conciliis, Roma-
a Eccleſia, ſeu Papalis curia poteſt ſufficienter caſibus emergen-
bus reſpondere; reſpondetur, quod hoc non eſt utique verum,
am primò, quia experientia docet, quod propter defectum Con-
iliorum & maximè generalium totius Eccleſiæ, quæ ſola po-
eſt audacter & intrepidè omnes corrigere, ea mala quæ univer-
ãlem tangunt Eccleſiam diu remanſerunt impunita, incorrecta,
& adeò creverunt & inveterata ſunt, ut tandem multa iniuſta &
niqua ſub prætextu fictæ & corruptæ conſuetudinis licita repu-
entur. Item multi ſuſpicantur, quod hæc diſſimulaverit Ro-
nana Curia, & ſuper hoc concilia fieri neglexerit, ut poſſit ad
uæ voluntatis libitum pleniùs dominari, & iura aliarum Eccle-
iarum liberius uſurpare. Quod non aſſero eſſe verum. Sed quia
ontra eam huiusmodi laborat infamia, debent ad eam purgan-
lam ſuper congregatione Conciliorum Generalium & Provin-
ialium providere. Alioqui iuxta dictum Auguſtini, ſi famam
ũam negligit, crudelis eſt. Item illa ſanctiſs. Romana Curia
S.Petri & Apoſtolorum, licet potuiſſet ſine congregatione Con-
ilii per epiſtolas, vel alias vias cauſas & negotia Eccleſiæ faciliter
erminare, tamen legitur quatuor Concilia celebraſſe. Vnde
licit Iſidorus, quod quia ante tempora Conſtantini Epiſcopis nõ
erat licentia conveniendi in unum, ſc. publicè per modum Con-
ilii Generalis, ideò Chriſtianitas in diverſas hæreſes ſciſſa eſt. Et
ta dicere poſſumus modo, quia propter defectum celebrationis
Conciliorum Eccleſia in diverſa ſchismata & alia innumerabilia

Bellarminus notatur.

Petrus Cardin. Cameracenſis de Conciliis.

Digitized by Google

mala, forte etiam ad hæreſes diſponentia, proh dolor lapſa eſt, &c. *Patres Baſileenſes, ut ait Iulianus Cardinalis* epiſtola 1. ad Eugenium quartum, *expreſsè viſi ſunt proteſtari, quod* procurare talia (*ſc. impedimenta proceſſibus Concilii obiecta*) eſt impedire exterminationem hæreſium, reformationem morum, & quietem populi Chriſtiani, & conſequenter fovere hæreſes, peccata, guerras & odia. *Epiſcopus Chemenſis* in onere Eccleſ. cap. 19. *ait*: Reformatio non fiet, niſi in aliquo generali & libero, candidoq; Concilio, ubi Spiritui S. non maligno, locus ad ſpirandum detur. *Et rurſus idem.* Heu cum formidine coniicio, noſtrum ſeculum nō eſſe dignum congregatione legitimi Concilii, in quo vitiis reprehenſis & virtutibus promotis Eccleſia reformetur, adeò illorum (Pontificum Romanorum) illudimur operationibus. *Ominatur autem idem ibid.* nullum fore Concilium, quia nullam pati potuit ſuum ſeculum vitiorum correctionem. *Loquitur ſatis experientia, Conciliorum inſtitutum premi graviſſima tyrannide, nec emergere potuiſſe hactenus inter præiudicantium imperia. De Synodo Tridentina quantum illa abluſerit à typo formaq; Concilii Chriſtiani, Generalis, Liberi, Status Proteſtantes graviſſimo ſcripto oſtenderunt, quod in diſputationes induſtria D. Pappi noſtri redactum eſt.* *D. Hulſeman. in Manual. A, C.* *Succeſſerunt ex noſtris alii. Vt è Gallia Proteſtantium Calvini & Innocentii Gentilletti mentionem prætermittam. Synodo Dordracenæ planè ferè eadem defuiſſe, quæ in Synodo Tridentina defuiſſe notatum eſt, & quæ adeſſe debere legitimo Concilio Paræus, Gentilettus & alii cenſuerunt, pluribus ſcriptis Remonſtrantes docuerunt. Fortaſſis in noſtrorum Conventibus congreſſibusq; etiam reprehendi aliquando potuiſſe, quæ in ſui temporis Epiſcoporum Conciliis caſtigavit Gregorius Nazianzenus, non usq; adeò inficiari poterimus. Quandoquidem ergò ad ſanctiſſimi inſtituti conſpectum complexumq; pervenire nos vix ſinunt ſemper adverſariæ veritati peſtes φιλονεικία & φιλαρχία, fas erit, ad veterum Conciliorum monumenta regredi, eadē ad ſacr. literarum & hiſtoriæ antiquæ expendere ſeriem, & veſtigia pietatis Veterum Eccleſiæ Antiſtitum, atque, quo zelo flagrarint in veritatis cœleſtis ſtudio, relegere. Franc. Longus à Coriolano Cappucinus* in ſumma Concil. prælud. 7. aſſert. 1. p. 50. *ſibi obiicit*; Quis novit, an ullum Concilium fuerit unquam legitimum? tum quia neſcitur,

eſcitur, an, qui convenerunt, habuerint veram fidem, & ordiationem, tum quia ex hiſtoricis humanis, qui mentiri poſſunt, abemus certitudinem de Conciliis præteritis. *Reſpondet autem d* 1. ſufficere, ut conventus Epiſcoporum legitimus ſit, conveni- e illos, qui in Eccleſia ordinariè præſident, & Epiſcopi veri ab ominibus habentur; quicquid tandem habeant in mente. Cer- enim ſumus, tales errare non poſſe ſimul congregatos cum Pa- a, totam Eccleſiam docendo. Quamvis nullo modo veriſi- ile eſt, Deum permiſſurum, Epiſcopos alicuius Concilii legi- mi maiori pro parte hæreticos mentales eſſe. *Ad* 2. *dicit*, conſta- e de legitimo Concilio evidenter iis, qui tunc vivunt: nobis ve- ò fide certiſſima humana & Eccleſiæ traditione, quæ id aſſerit, & ullus contrarium ſentit, quod quidem ſufficit. *Sic Franciſcus, qui, t à poſteriori incipiam, omnem Conciliorum certitudinem, quæ plus- uam moralis eſt & humana, ſuſpendit ab autoritate præſentis Eccle- æ. Contra quod poſtulatum cum nos prolixè diſputaſſemus* part. 2. Theolog. Zachar. diſp. 2. §. 56. p. 97. & ſeqq. *& ſuccinctè id repeti- iſſemus in Intervent. pro myſterio Trinitatis* cap. 1. pag. 16. & ſeqq. *ullum aliud reſponſum tulimus* in Araneo Argent. à Cornæo p. 19. *uam hoc*: Quod addit, ab hodierna nos Eccleſia omnes omniũ erum definitiones petere, nugæ ſunt & Buttabattæ prædicanti- æ. Quæ olim definita ſunt, manent talia, inſtarque termini mmota ſunt. Si quid noviter definiendum occurrat, hodiernæ Eccleſiæ cum antiqua par autoritas eſto. *De quo nunc non atti- et cum Cornæo prolixè diſputare. Illud tantum monemus, aut Cor- æum non intellexiſſe, quod nos diſputavimus, aut fateri cogi, ſi ſuorũ heſes hypotheſesq; reſpexerit, eas hoc velle, certitudinem Conciliorum, iibliorum & omnium monumentorum veritatis, ab autoritate Ponti- icis & Eccleſiæ Romanæ dependere, quoad nos. Quia ex nullo alio undamento infallibiliter nos certos de talibus fieri poſſe diſputant, uam ex iſta autoritate. Quod quantum poſt ſe trahat & abſurdi- atis & periculi, ibi indicatum eſt. Nos geſta ipſius Concilii fide hi- ſtorica cognoſcimus ex illis monumentis, quæ Deus ſupereſſe voluit. Quæ in aliquo Concilio fide divina credenda ſunt, ea ex ſ. literis ſatis omperimus. Hæ ad ſui propoſitionem miniſterio aliquo egent; quoad nfallibilitatem verò & mentis convictionem infallibilem aliquem*

Franc. Lõgus refellitur.

Cornæus notatur.

Digitized by Google

iuxta proponentem nequaquam poſtulant, ſeipſas ſufficienter, veluti divina potentia, ſpiritus, lux, vita, proponere & animis haud malitioſe repugnantibus ingerere poſſunt. Id quod alibi evicimus. Et iſto modo SIRMIENSE CONCILIVM *nunc expendimus. Regat nos Spiritu ſuo Sancto*

SACROSANCTA TRINITAS,
SVMMA VNITAS.

COLLATIONIS
AD
CONCILIVM SIRMIENSE
HISTORICO-THEOLOGICÆ
SECT. I. CAP. I.
SYLLABVS TESTIMONIORVM VETERVM
De Concilio Sirmienſi.

VT in conſpectu ſit, quid ſcriptores Eccleſiaſtici tum de ipſius Concilii Sirmienſis geſtis atque pronunciatis, tum de ſtatu illorum temporum retulerint, placuit in frontiſpicium collocare teſtimonia. Agmen ducat

Teſtimonium Athanaſii Alexand.

I. ATHANASIVS T.1.*in epiſt.de Synodis Arimini & Seleuciæ habitis*; poſtquam latè, quid & quam ſubdolè in illis factio Ariana egerit, *pag.* 693. *B. ait*: Sed neque in his permanſerant, rurſus enim Sirmii adverſus Photinum congregati, aliam fidem compoſuerunt, non ita prolixam, neque tot verbis abundãtem: nam plerisque detractis alia addiderunt, veluti ea per ſuggeſtionem ab aliis audiviſſent.

Idem poſt recitatam confeſſionem in Sirmienſi Synodo editam p.695. B. Iſtis omnibus neglectis ac veluti melioribus repertis

ertis aliam fidem decernunt: & Sirmii in ſcripta referunt Ro- *Athanaſii.*
iano quidem ſermone, ſed quæ Græcè interpretata hunc ſen-
im habeant. Quoniam de fide placuerat diſceptationem fie-
, omnia cum ſedulitate inquiſita & examinata fuere Sirmii
:æſentia Valentis, Vrſacii, Germinii, cæterorumque omnium.

Idem poſt recitatam alteram confeſſionem p. 696. C. Hæc
um miſiſſent, denuò mutata ſententia compoſuerunt eam fi-
em, quam quia cum conſulibus edidiſſent, multo pudore &
robro perfuſi ſunt, eiusque exemplaria curavere, ut quum ſuo
iore ſententiā mutaſſent, ab iis, qui ea tenebant, per Notarium
Iartianum ſurriperentur, & perſuaſo Conſtantio, ut contra eam
dem edicta promulgaret, aliam rurſum fidem conſtituunt: ad-
itisque ut ſolent quibusdam dictis. Iſauriæ igitur iſta conſcri-
ſerunt. *Non refugimus authenticam in encœniis Antiochiæ editam*
lem, ſed præferimus eam, vel ob id potiſſimum, quod patres noſtri per
'ud tempus ad propoſitam quæſtionem accurrerunt. Cæterum quo-
iam multos ſuperioribus temporibus hæ voces ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον
urbarunt, atque etiamnum turbant, ac præterea à nonnullis non ita
ridem nova vox inducta eſt de inæqualitate Filii ad Patrem, quam
ἀνόμοιον *vocant, iſtis de cauſis* ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον *eliminamus è ſa-*
ris literis; & vocem illam ἀνόμοιον *anathemate execramur, & quot-*
uot voces iſtiusmodi ſunt, alienas cenſemus ab Eccleſia. Similitudi-
em verò Filii cum Patre planè confitemur, ſecundum Apoſtolum ita
icentem: Qui eſt imago inviſibilis Dei. Confitemur verò & credi-
us in unum Deum omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium
mnium & inviſibilium. Credimusque item in eius Filium, Domi-
um noſtrum Ieſum Chriſtum, natum ex eo citra paſſionem aliquam
nte omnia ſecula, Deum Verbum, Deum ex Deo unigenitum, Lumen,
'itam, Veritatem, Sapientiam, Potentiam, per quem omnia facta
int in cœlis & in terra, ſive viſibilia, ſive inviſibilia, illumque credi-
us in conſummatione ſeculorum ad peccatorum demolitionem car-
em ex Virgine aſſumpſiſſe, & hominem factum eſſe, paſſumque pro
eccatis noſtris, reſurrexiſſe & aſſumptum in cœlos, ſedere ad dex-
ram Patris, eumque iterum venturum in gloria, ut iudicet vivos &
'r mortuos. Credimus quoque in Spiritum Sanctum, quem Para-
letum nominavit Servator, quem poſt abitum & pollicitus erat diſci-

 pulis.

Athanaſii *diſcipulis ſuis ſe miſſurum eſſe, & miſit, per quem ſanctificat eos, qui in Eccleſia credunt & baptizantur in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Eos porrò, qui præter hanc fidem aliud prædicant, alienos à ſe agnoſcit Catholica Eccleſia.* Quod autem cum hac fide paria faciat illa fides, quæ Sirmii prius edita fuit, ſentiant omnes, quicunque eam legerint.

Eundem in epiſt. ad Africanos p. 725. ſub Arſenica *Sirmienſem Synodũ* notare, autor eſt Fr. Sylburgius, Sic autem *Athanaſius.* Non ſoli ſumus, qui iſta ſcribimus, ſed omnes *in Ægypto & Africa* Epiſcopi, nonaginta numero, omnium enim idem eſt ſenſus, & alii pro aliis, quem contigerit abeſſe, ſubſcribunt. Certè quum hoc animo eſſemus; & contigiſſet nos in unum convenire, ſcripſimus dilecto Damaſo Epiſcopo magnæ Romæ, contra Auxentium invaſorem Mediolanenſis Eccleſiæ, eumque non ſolum in communione eſſe Arianicæ ſectæ, ſed præter hoc multorum ſcelerum reum eſſe, quæ deſignavit cum Georgio ſocio ſuæ impietatis, Miramurque, cur nondum depoſitus eiectusque ſit Eccleſia. Gratiam habemus & illius pietati & cæteris, qui Romæ convenerunt, quod Vrſacio & Valente cum ſociis ſuis eiusdem ſententiæ eiectis, concordiam Catholicæ Eccleſiæ conſervarint, quam apud vos integrã, ſartã tectamq; optantes monemus, ne ut eos feratis, qui multitudinem, ut dixi, conciliorum prætexunt, quaſi pro cauſa fidei Synodum ſcilicet Ariminenſem, Synodum Arſenicam, Iſauricam, & Threiciam in urbe Cõſtantinopolitana celebratam, & aliquot Antiochenas, ſed turbidas & tumultuoſas. Quapropter ſolum apud vos autoritatem obtineat Nicæna patrum de fide confeſſio, in qua omnes ~~etiam~~ patres, qui nunc eam oppugnant, adfuere, & quemadmodum iam diximus, ſubſcripſerunt, ut & de vobis quoque Apoſtolus dicat: Laudo vos, quod in omnibus mei memores eſtis: & quemadmodum tradidi vobis traditiones, ita eas ſervatis. Ipſa enim Nicæna Synodus revera trophæum columnaque eſt, ubi omnes hæreſes inſcriptæ oſtentui ſunt, ac triumphantur: eadem illa Synodus, blaſphematores Spiritus ſancti, dicentesque eam creaturam eſſe, ſubvertit.

Eundem per *Synodum de fide* in eadem epiſt. *Sirmienſem Synodum* intelligere ex eo veriſimile eſt, quia hæc Ariminẽſem ſecuta eſt, &

ſt,& una ex confeſſionibus ita incipit, *Quoniam de fide placuerat* *Athanaſii.*
*&c.Verba ſunt p.*713.D. Hoc intellectu videlicet ſcripſerunt patres Nicæni Concilii, filium Patri conſubſtantialem eſſe, eosque anathemate damnarunt, qui dicerent, ex alia ſubſtantia eſſe filium. Neque hac in parte ſibi iſta vocabula finxerũt, ſed à patribus, qui ante fuerunt, ea didicerunt, quemadmodum diximus. Rebus igitur ad iſtum modum comprobatis, ſuperflua eſt illorum Ariminenſis Synodus; ſuperflua & illa, quæ ab ipſis appellatur *Synodus de Fide.* Sufficit enim Nicæna, quæ cum veteribus Epiſcopis conſentit, in qua iſtorum patres ſubſcripſerunt, quos iſtos revereri oportuit, ne omnia potius quam Chriſtiani habeantur.

II. Hilarius *contra Conſtantium Auguſt. p.* 282. Taceo cur noſtra apud Nicæam à patribus geſta reſcindis. Non enim tum his tibi convenit. Hoc tantum querar, cur tua damnas? Fidem enim unam & unum baptiſma Apoſtolus prædicat. Jam quicquid apud te præter fidem unam eſt, perfidia non fides eſt. Nam qui fidem emendando condemnas, damnationem fidei eſſe conſtituis: dum apud te aboletur per alteram, quæ per alteram rurſus abolenda eſt. Cuius enim tu exinde Epiſcopi manum innocentem reliquiſti? Quam linguam non ad falſiloquium cogiſti? Damnare *homouſion* decernis. Antiquitatis fidem & pietatis ſecuritatem anathematizari, *homæuſion* ab his ipſis, à quibus uſurpatum eſt, conſtituiſti: quod tametſi nobis ad fidem vitioſum eſt, tamen reſcindentibus, fidei ſuæ damnatio eſt. Damnas quoque & *ſubſtantiæ* nomen, quo te & *Sardicenſi* Synodo & *Sirmienſi* pium eſſe occidentalibus mentiebaris: quod tamen prophetica authoritate ſuſcepta, fidei intelligentiam continebat. Omne itaque, quod probatum antea eſt, damnare iubes: quod improbatum ſemper eſt, ſanctificari compellis. O tu ſceleſte, quod ludibrium de Eccleſia facis? Soli canes ad vomitum ſuum redeunt, tu ſacerdotes Chriſti reſorbere ea, quæ expuerant coëgiſti: probare eos id in confeſſionibus ſuis præcipis, quod ante damnaverant: in negando reos ſuos abſolvunt, & ſeipſos reos reddunt. Omnia in impietatẽ & in reatum detruſiſti: dum omnes reos ſe eſſe atque impios aut ex præſentibus ſtatuunt, aut ex præteritis con-

Hilarii Pictavenſis

Sirmienſis Synodus aliqua ſubſtantiæ nomen retinuit.

Hilarij. tis confitentur. Non recipit mendacium veritas, nec patitur religio impietatem. Chriſtianum te loqueris? ſed quam non ſis, ipſe teſtaris. Nec confeſſioni tuæ geſta conveniunt. Subſtraviſti enim voluntati tuæ, ſed & violentiæ. Mandas tibi ſubſcriptiones Afrorum, quibus blaſphemiam Vrſatii & Valentis condemnaverant, reddi: renitētibus comminaris, & poſtremum ad diripendos mittis. Quid exiſtimas, Chriſtum non niſi per literam iudicare, & ad arguendam voluntatem egere chartula Deum? Aut quod ſemel ſcriptum eſt, & per te violenter abreptū, id de conſcientia poſſe divinæ poteſtatis aboleri? Sequentur quidem te in cineres chartulæ, ſed criminoſorum apud Deum vivent damnationes &c.

Idem de Synodis fidei Cathol. contra Arianos & prævaricatores Arianis acquieſcentes pag. 301. Cum frequenter vobis ex plurimis Romanarum provinciarum urbibus ſignificaſſem, quid cum religioſis fratribus noſtris Orientis Epiſcopis fidei ſtudiique eſſet, quantaque ſub occaſione temporalium motuum diabolus venenato ore atque lingua mortiferæ doctrinæ ſibila protuliſſet; verens ne in tanto ac plurium Epiſcoporum calamitoſæ impietatis vel erroris periculo taciturnitas veſtra de pollutæ atque impiatæ conſcientiæ eſſet deſperatione ſuſpecta, (nam ignorare vobis frequenter admonitis non licebat) mihi quoque apud vos tacendum arbitrabar, dominicæ ſententiæ admodum memor, quæ poſt primam atque iteratam conventionem eos, qui etiam ſub teſtimonio Eccleſiæ inobedientes exiſterent, haberi ſicut ethnicos publicanosque iuſſiſſet. Sed beatæ fidei veſtræ literis ſumtis, quarum lentitudinem ac raritatem de exilii mei & longitudine & ſecreto intelligo conſtitiſſe, gratulatus ſum in domino incontaminatos vos & illæſos ab omni contagio deteſtandæ hæreſeos perſtitiſſe, vosque comparticipes exilii mei, in quod me Saturninus, ipſam conſcientiam ſuam veritus, circumvento Imperatore, detruſerat, negata ipſi uſque hoc tempus toto iam triennio communione, fide mihi ac Spiritu cohærere: & miſſam proximè vobis ex *Sirmienſi* oppido *infidelis fidei* impietatem non modo non ſuſcepiſſe, ſed nunciatam etiam ſignificatamq; damnaſſe: neceſſarium mihi ac religioſum intellexi, ut nunc quaſi Epiſcopus,

Digitized by Google

pus, Epiſcopis mecum in Chriſto communicantibus ſalutaris ac *Hilarii.* fidelis ſermonis colloquia transmitterem, & qui per metum incertorum, conſcientiæ tantum antea meæ, quod ab his omnibus eſſem liber, gratulabar, nunc iam communis fidei noſtræ integritate gauderem. O glorioſæ conſcientiæ veſtræ inconcuſſam ſtabilitatem. O firmam fidelis petræ fundamine domum! O intemeratæ voluntatis illæſam imperturbatamque conſtantiam! Manſit namque atque etiam nunc permanet poſt *Synodi Biterrenſis* profeſſionem, in qua patronos huius hæreſeos ingerendæ quibusdam vobis teſtibus denunciaveram, innocens inviolataque religio. Expectatis enim ſanctæ & indemutabilis perſeverantiæ glorioſum triumphum, non cedendo Saturnini minis, poteſtatibus, bellis: & cum omnia inchoandæ blaſphemiæ in Deum certamina moverentur, manentes nunc uſque mecum in Chriſto fideles, neque antea ad occaſionem proruptura hæreſeos ceſſiſtis; & nunc omnem eius petulantiam in proruptionis congreſſione fregiſtis. Viciſtis enim fratres cum ingenti fidei communis gratulatione, & geminam habuit illæſæ conſcientiæ veſtræ honor gloriam: de integritate ſcilicet conſcientiæ, & de exempli autoritate. Nam fidei veſtræ imperturbatæ inconcuſſæque fama quosdam Orientalium Epiſcopos ſerò iam ad aliquem pudorem nutritæ exinde hæreſeos auctæque commovit: & auditis his, quæ apud *Sirmium* conſcripta impiisſimè erant, irreligioſorum audaciæ quibusdam ſuarum ſententiarum decretis contradixerunt. Et ſi diligenter ſententia hæc expreſſa eſſet, fortè totius tractatus mei ratio non fuiſſet ſuſpicioſa. Non enim tacuiſſem illic, quod non niſi cum ſcandalo eſſet audiendum. Et licet non ſine aliquo aurium ſcandalo & piæ ſolicitudinis offenſione reſtiterint, tamen adeo reſtiterunt, ut ipſos illos, qui tunc apud *Sirmium* in ſententiam Potamii atq; Oſii, ita ut ipſi conſentientes, confirmantesque, conceſſerant, ad profeſſionem ignorantiæ errorisque compellerent, ut ipſi rurſum ſubſcribendo damnarent, quod fecerant. Quod utique ideo fecerant, ut aliud ante damnarent. Sed tenet etiam nunc invicta fides veſtra ſpectabilem conſcientiæ ſuæ gloriam, & nihil ſubdolum, nihil ambiguum, nihil trepidum agere contenta,

Hilarij. ſecurè in Chriſto libertatis ſuæ profeſſione perſiſtit: ab eorum ſe communione, qui Epiſcopos blaſphemiis ſuis contradicentes exilio detinent, abſtinendo, neque in ſe iniuſti iudicii reatum per aſſenſum diſſimulationis ſubdolè aggregando. Nam poſt multum & gravem omnium noſtrum ob eas res, quæ irreligiosè ab impiis gerebantur, dolorem, ex eo intra nos tantum communio Dominica continetur, ex quibus perturbationibus vexari Eccleſia cœpta eſt, ut exulent Epiſcopi, demutentur Sacerdotes, plebs terreatur, fides periclitetur, humano arbitrio & poteſtate doctrinæ Dominicæ decreta ſtatuantur. Hoc fides illæſa veſtra neque neſcire ſe ſimulat, neque pati poſſe profitetur, non ſe extra conſcientiæ crimen futuram intelligens ex ipſo diſſimulationis aſſenſu. *Et poſt.* Obſequor charitatis veſtræ impatientiſſimæ voluntati, & omnes fides, quæ poſt ſanctam Synodum Nicænam diverſis temporib⁹ & locis editæ ſunt, cum ſententiarũ omnium atque etiam verborum additis per me expoſitionibus deſtinavi. In quibus ſi quid vitioſum ineſſe intelligetur, nemo mihi vitium poteſt aſſignare dictorum. Internuncius enim, ut voluiſtis, ſum ipſe, non conditor. Si quid vero rectum atque ex doctrinis Apoſtolicis deprehendetur: nemo ambigit non interpretantis in eo eſſe gloriam, ſed autoris. Ego tamen, quæ geſta ſunt, fideliter transmiſi: vos an Catholica, an hæretica ſint, fidei veſtræ iudicio comprobate. Quanquam enim reſponderi literis veſtris neceſſarium fuerit, quibus mihi communionem dominicam fidei veſtræ ſcriptis miſeratis, & quidam etiam ex vobis ad Synodum, quæ in Bithynia futura videbatur, acciti firmiſſima fidei conſtantia intra communionem ſe meam continentes, à cæteris extra Gallias abſtinerent: Et dignum ſanè erat epiſcopali miniſterio ac voce, in tanto hæreticorum furore, aliqua vobiſcum per literas piæ fidei conſilia conferre. Non enim cum corporibus noſtris exulans, vinctum ac detentum eſſe potuit Dei verbum, ut non communicari vobiſcum poſſet ubicunque: ſed maximè, cum comperiſſem *Synodos* in *Ancyra* atque *Arimino* congregandas, & ex ſingulis provinciis Gallicanis binos vel ſingulos eò eſſe venturos, ea quæ inter nos atque orientales Epiſcopos mutuis ſuſpicionibus detinentur, per me, qui in Orientis partibus continebar,

trebar, exponenda vobis licet iam ſcientibus atque edenda exiſtimavi: ut cum hanc prorumpentem à *Sirmio* hæreſin & vos condemnaſſetis, & illi cum anathemate indicaſſent, ſciretis tamen in cuius fidei profeſſione id ipſum quod vos geſſeratis, etiam ab Orientalibus Epiſcopis eſſet effectum, & quos vos maximè vellem futuris Synodis probabiles elucere, non pateret uno atque eodem Apoſtolicæ fidei ſenſu Catholica ſentientes, aliqua ſaltem à Catholicæ fidei ſinceritate *ignorata verborum opinione* differre. Et quidem rectum ac conveniens exiſtimo, ut antequam de verborum ſuſpicionibus ac diſſenſionibus ineo ſermonem, ea quæ ab Orientalibus Epiſcopis, adverſum conſcriptam *apud Sirmium* hæreſim, dicta & conſtituta ſunt, verbis quam poſſem abſolutiſſimis demonſtrem: non quod non ab aliis planiſſimè omnia edita ſint, ſed quod ex Græco in Latinum ad verbum expreſſa translatio adfert plerunque obſcuritatem, dum cuſtodita verborum collatio eandem abſolutionem non poteſt ad intelligentiæ ſimplicitatem conſervare. Meminiſtis namque in ea ipſa ſcripta proximè apud *Sirmium blaſphemia*, id tentatum ac laboratum fuiſſe, ut dum Pater unus & ſolus omnium Deus prædicatur, Deus eſſe Filius negaretur, & dum de homouſio & homœuſio taceri decernitur, id decretum eſſe, ut aut ex nihilo, ut creatura, aut ex alia eſſentia, ut conſequentia creaturarum, & non ex Deo Patre Deus filius natus confirmaretur. Tum porrò in eo, quod honore, claritate, dignitate, maieſtate Pater maior diceretur, id eſſe quæſitum, ut filius his omnibus, quibus Pater maior eſt, indigeret. Poſtremo dum ignorabilis nativitas eius aſſeritur, per hoc ignorantiæ decretum neſcire, quod ex Deo ſit, iuberemur. Perinde quaſi iuberi, decernique poſſit, ut quis aut quod ignoraturus ſit, ſciat, aut quod ſcierit, ignoret. Ipſam autem ex ſolido impiiſſimæ blaſphemiæ peſtem invitus licet ſubdidi, ut reſponſionum, quæ è diverſo ab Orientalibus poſitæ ſunt, abſolutius & virtus & ratio noſceretur, quibus ſtudii fuit, ut ſecundum intelligentiæ ſuæ ſenſum omnibus hæreticorum artibus contrairent. Exemplum blaſphemiæ apud Sirmium per *Oſium & Potamium* conſcriptæ. Cum nonnulla putaretur eſſe de fide diſceptatio, diligenter omnia apud Sirmium tractata ſunt & diſcuſſa præſenti-

Hilarii.

Hilarius diſcernit profeſſiones fidei Sirmianas

Exemplar profeſſionis Sirmienſis improbata.

Hilarius. ſentibus ſanctiſſimis fratribus & Coëpiſcopis noſtris, Valente, Vrſacio & Germinio, Vnum conſtat Deum eſſe omnipotentem Patrem, ſicut per univerſum orbem creditur: & unicum Filium eius Jeſum Chriſtum, Dominum, Salvatorem noſtrum, ex ipſo ante ſecula genitum. Duos autem Deos nec poſſe nec debere prædicari, quia ipſe Dominus dixit: Ibo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum. Ideo omnium Deus unus eſt, ſicut Apoſtolus docuit: An Judæorum Deus tantum? nonne & gentium? imò & gentium. Quoniam quidem unus Deus qui iuſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem. Sed & cætera convenerunt, nec ullam habere potuerunt diſcrepantiam. Quod vero quoſdam haud multos moveбat de ſubſtantia, quæ Græce uſia appellatur, id eſt, ut expreſſius intelligatur, homouſion quod dicitur, aut homœuſion, nullum omninò fieri oportere mentionem. Nec quenquam prædicare ea ea de cauſæ ratione, quod nec in divinis ſcripturis contineatur, & quod ſuper hominis ſcientiam ſit, nec quisquam poſſit nativitatem filii enarrare, de quo ſcriptum eſt: Generationem eius quis enarrabit? Scire autem manifeſtum eſt ſolum Patrem, quomodo genuerit filium ſuum, & filium, quomodo genitus ſit à Patre. Nulla ambiguitas eſt, maiorem eſſe Patrem. Nulli poteſt dubium eſſe, Patrem honore, dignitate, claritate, maieſtate, & ipſo nomine Patris maiorem eſſe Filio teſtante: Qui me miſit, maior me eſt. Et hoc Catholicum eſſe, nemo ignorat, duas perſonas eſſe Patris & Filii, maiorem Patrem, filium ſubiectum, cum omnibus his, quæ ipſi Pater ſubiecit. Patrem initium non habere, inviſibilem eſſe, immortalem eſſe, impaſſibilem eſſe. Filium autem natum eſſe ex Patre, Deum ex Deo, lumen ex lumine. Cuius filii generationem, ut ante dictum eſt, neminem ſcire niſi Patrem ſuum. Ipſum autem Filium Dei, Dominum & Deum noſtrum, ſicut legitur, carnem vel corpus, id eſt, hominem ſuſcepiſſe ex utero virginis Mariæ, ſicut angelus prædicavit. Vt autem ſcripturæ omnes docent, & præcipuè ipſe Magiſter gentium Apoſtolus, hominem ſuſcepiſſe de Maria virgine, per quem compaſſus eſt. Illa autem clavis totius fidei & illa confirmatio, quod Trinitas ſemper ſervanda eſt, ſicut legimus in Evangelio: Ite & bapti-

Digitized by Google

baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti. Integer, perfectus numerus Trinitatis eſt. Paracletus autem Spiritus per Filium eſt, qui miſſus venit iuxta promiſſum, ut Apoſtolos & omnes credentes inſtrueret, doceret, ſanctificaret. His itaque tot & tantis *impietatis profeſſionibus editis*, has rurſum è *contrario Orientales Epiſcopum* in unum congregati ſententiarum conditiones condiderunt &c. *Hilarii.*

Item lib. eod. p. 312. Percurrimus, chariſſimi fratres, omnes Orientalium Epiſcoporum editas fidei definitiones, quas adverſum emergentem proximè hæreſim, congregati intra Synodum condidere: & nos quantum potuimus, ad intelligentiæ eorum ſenſum, expoſitionis noſtræ ſermonem coaptavimus, famulantes potius eorum dictis, quam dictorum alienorum autores exiſtimandi: quibus adverſus novam & prophanam impietatem, hæc conſcientiæ ſuæ & adeptæ iampridem doctrinæ ſuæ inſtituta decernunt, & eos qui hanc apud Sirmium hæreſim conſcripſerunt, vel conſcriptam ſuſceperunt, ignorationem confitentes, ad ſubſcriptionem decretorum talium coëgerunt. Vbi filius Patris imago perfecta eſt. Vbi ſub indifferentis imaginis proprietate, per fraudem prophanam filius non aboletur, ut pater ſit. Vbi imago Patris filius prædicatur per ſimilitudinis veritatem, à ſubſtantia Patris, cuius imago eſt, ſubſtantiæ diverſitate non differt. Vbi per habitam à Patre vitam, & acceptam à Filio vitam, nihil differens in ſubſtantia, quæ ſignificatur in vita; habeat pater, quam filius accepit ad habendum. Vbi non creatura eſt Filius genitus, ſed à natura Patris indiscreta ſubſtantia eſt. Vbi ſicut inter patrem & filium indifferens virtus eſt, ita nullam inter ſe diverſitatem patiatur eſſentiæ. Vbi pater generando filium, nihil ex ſe in eodem degenerat diverſitate naturæ. Vbi quia nihil differat in utroque naturæ proprietas, tamen ſimilitudinis perſonalium nominum reſpuat unionem. ne ſubſiſtens unum ſit, qui & Pater dicatur & Filius. Vbi quia piè dicitur, & Pater mittens & Filius miſſus, in nullo tamen inter Patrem & Filium, id eſt, inter miſſum atque mittentem diſcernatur eſſentia. Vbi non intra tempora paterni nominis veritas detinetur. Vbi filius patre non eſt poſterior in tempore. Vbi ultra tempus omne

Orientalium contra Sirmienſem hæreſin aphoriſmi.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Hilarii. perfecta nativitas, innaſcibilitatis in ſe non admittit errorem. Et hæc quidem, fratres chariſſimi, omnis quæ edita eſt fidei doctrina, per paucos iuxta univerſitatis modum orientales, ſub his ipſis propè diebus, quibus vos ingeſtam hæreſim reſpuiſtis, emerſit: cuius exponendæ ea fuit ratio, quod *unius ſubſtantiæ* ſilentium decernebatur.

Idem lib. eod. p. 318. poſt exemplar fidei Sirmio ab Orientalibus contra Photinum conſcriptæ ſubiicit. Neceſſitas & tempus admonuit eos, qui tum convenerant, per multiplices quæſtiones latius ac diffuſius expoſitionem fidei ordinare: quia multis & occultis cuniculis in catholicam domum ea, quæ per Photinum renovabatur hæreſis, tentaret irrepere, ut per ſingula genera intemeratæ & illæſæ fidei unicuique generi hæreticæ ac furtivæ fraudulentiæ contrarietur: eſſentque totidem fidei abſolutiones, quotidem eſſent quæſitæ perfidiæ occaſiones.

Idem rurſus eodem libr. poſt Sirmienſem fidem expoſitam *ſubiicit p. 323.* Concludi damnatio eius hæreſis, propter quam conventum erat, expoſitione totius fidei, cui adverſabatur, oportuit: quæ initium Dei Filii ex partu virginis mentiebatur. Hoc enim fidei noſtræ ſecundum Evangelicam & Apoſtolicam doctrinam principale eſt, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Deum & Dei Filium à Patre nec honoris confeſſione, nec virtutis poteſtate, nec ſubſtantiæ diverſitate, nec intervallo temporis ſeparari. Multifariè, ut intelligitur ex Epiſcoporum conſiliis atque ſententiis, quæſita veritas eſt, & intelligentiæ ratio expoſita eſt per ſingulas ſcriptæ fidei profeſſiones: ſingulis quibusq; generibus impiæ prædicationis extinctis. Non enim infinitus & immenſus Deus brevibus humani ſermonis eloquiis vel intelligi potuit, vel oſtendi. Fallit enim plerunque & audientes & docentes brevitas verborum: & compendio ſermonum, aut non intelligi poteſt, quod requiritur, aut etiam corrumpitur, quod ſignificatum magis quam enarratum rationis abſolutione non conſtat. Et idcircò Epiſcopi in intelligentiæ ſuæ ſenſu loquentes, ob difficultatem naturalis intelligentiæ, & plurimis definitionibus & copioſioribus verbis uſi ſunt ad docendum: ut & ſenſum audientium diſtinctione editæ permulta veritatis im-

buerent

Digitized by Google

hærerent,& de divinis rebus nihil aut periculoſum aut obſcurum, *Hilarii.*
in hac multimodo plurium ſententiarum abſolutione loquerentur. Nihil autem mirum videri vobis debet,fratres chariſſimi, quod tam frequenter exponi fides cœptæ ſunt , neceſſitatem hanc furor hæreticus imponit. Nam tantum Eccleſiarum Orientalium periculum eſt,ut rarum ſit,huius fidei, quæ qualis ſit vos iudicate,aut ſacerdotes,aut populum inveniri. Male enim per quosdam impietati autoritas data eſt,& exiliis Epiſcoporum, quorum cauſam non ignoratis, vires auctæ ſunt prophanorum. Non peregrina loquor,neque ignorata ſcribo: audivi ac vidi vitia præſentium, non laicorum,ſed Epiſcoporum. Nam absque Epiſcopo Eleuſio & paucis cum eo, ex maiori parte Aſianæ decem provinciæ,intra quas conſiſto,verè Deum neſciunt. Atque utinam eum neſcirent, cum procliviore enim venia ignorarent quam obtrectarent. Sed horum Epiſcoporum dolor ſe intra ſilentium non continens, unitatem fidei huius quærit, quam iamdudum per alios amiſit. Nam illa in prima collatæ expoſitionis Synodo fides hanc habuit neceſſitatem: quum apud *Sirmium* per *Oſium immemorem geſtorum ſuorum dictorumque novæ & tamen iam diu ſupputatæ impietatis doctrina proruperat.* Sed de eo nihil queror: qui idcirco eſt reſervatus, ne iudicio humano ignoraretur,qualis ante vixiſſet. Vbique autem ſcandala,ubiq; ſchiſmata,ubique perfidiæ ſunt. Hinc illud eſt,ut ad profeſſionem ſubſcribendæ fidei,aliqui eorum,qui ante aliud ſcripſerant, cogerentur. Nec queror *de patientiſſimis viris,Orientalibus Epiſcopis*, quibus ſufficit poſt blasphemiæ voluntatem coactæ ſaltem fidei profeſſio. Gratulandum enim videtur in tanta blaſphemantium Epiſcoporum hæretica pertinacia,aliquem ex his ſuſcipi pœnitentem. Sed inter hæc ô beatos vos in Domino & glorioſos: qui perfectam atque Apoſtolicam fidem conſcientia atq; profeſſione retinentes,conſcriptas fides hucuſque neſcitis! Non enim eguiſtis litera, qui ſpiritu abundabatis. Neque officium manus ad ſcribendum deſideraſtis: qui quod corde à vobis credebatur, ore ad ſalutem profitebamini. Nec neceſſarium habuiſtis Epiſcopi legere, quod regenerati neophyti tenebatis.

Hilarii. *Sed neceſſitas conſuetudinem intulit, exponi fides, & expoſitis ſubſcribi.*

Idem ibid. p. 331. Ignoſcant mihi iam duo Epiſcopi Valens & Vrſacius, quod eos pro ætate atque exercitatione ſua ignoraſſe non credo. Et difficillimum eſt, ne mentiri exiſtimentur, qui ſe in alio negotio non poſſunt niſi mendacio purgare. Sed Dominus hoc magis tribuat, ut nos malè opinemur, quam illi non ignoraverint. Malo enim ego malè exiſtimans iudicari, quam fidem veſtram hæreticæ conſcientiæ communione violari. Oro autem vos ſanctiſſimi viri, ut cum bona venia ſolicitudines meas æſtimetis Teſtis enim Dominus eſt conſcientiæ, *in nullo me expoſitiones has, quas in Sirmium* detuliſtis fidei veſtræ velle convellere. Sed date veniam, ſi quædam intelligere non poſſum, & conſolabor me, quia legi: Spiritus Prophetarum Prophetis ſubiectus eſt. Ex quo fortè non impudenter etiam à me præſumitur, ut & ego intelligam, quod alius ignoret. Non quod quicquam vos ſecundum menſuram ſcientiæ ignorare auſus ſim dicere: ſed ſuper fidei Catholicę unitate, patimini non minus in nobis eſſe ſolicitudinis quam in vobis. Epiſtolam quam à vobis de *homouſii & homœuſii* expoſitione *apud Sirmium Valens & Vrſacius* & Germinius popoſcerunt legi, intelligo in quibuſdam non minus circumſpectam eſſe quam liberam. Et ipſa homouſii & homœuſii demonſtratio, nihil reliquit difficultatis. Et quidem de homœuſio, quod eſt ſimilis eſſentiæ, commune iudicium eſt. De homouſio vero, quod eſt unius eſſentiæ, tractantes, *primum* idcircò reſpuendum pronunciaſtis, quia per verbi huius enunciationem ſubſtantia prior intelligeretur, quam duo inter ſe partiti eſſent. Intelligo vitium intelligentiæ. Et prophanus hic ſenſus eſt, & communi iudicio ab Eccleſia reſpuendus. *Secundò* quoq; id addidiſtis, quod Patres noſtri, cum Paulus Samoſatenus hæreticus pronunciatus eſt, etiam homouſion repudiaverint: quia per hanc unius eſſentię nuncupationem, ſolitarium atque unicum ſibi eſſe Patrem & Filium prædicabat. Et hoc ſanè nunc quoque prophaniſſimum Eccleſia recognoſcit, Patrem & Filium in his nominum profeſſionibus ad unionis ac ſingularis ſolitudinem negata perſonarum proprietate revocare. *Tertiò* etiam

Digitized by Google

etiam hæc cauſa improbandi homouſii commemorata à vobis *Hilarii.*
eſt: quia in Synodo, quæ apud Nicæam fuit coacti patres noſtri propter eos, qui creaturam filium dicebant, nomen homouſii indidiſſent: quod non recipiendum idcircò ſit, quia nuſquam ſcriptum reperiretur. Quod à vobis dictum, ſatis miror. Si enim homouſion propter novitatem verbi repudiandum ſit, vereor ne & homœuſion periclitetur: quia nuſquam ſcriptum reperiatur. Sed hinc non calumnior. Malo enim aliquid novum commemoraſſe, quam impiè reſpuiſſe. Prætermiſſa itaque quæſtione novitatis, ne in his quidem reſidet quæſtio, quæ communi omnium noſtrum iudicio damnantur. Quis enim ſanæ mentis tertiam ſubſtantiam, quæ & Patri & Filio communis ſit, prædicabit? Vel quis ſecundum Samoſatenum, in Chriſto renatus, & Filium confeſſus ac Patrem, quod Chriſtus in ſe ſibi & Pater & Filius ſit, confitebitur? Par itaque in condemnandis impietatibus hæreticorum noſtra ſententia eſt: & hanc homouſii intelligentiam non modo reſpuit, ſed & odit. Atque ita non relinquitur vitioſæ intelligentiæ quæſtio, ubi in vitii damnatione communis aſſenſus eſt. Dicturo autem me tandem de tertia quæſtione, oro vos, ne ubi pax conſcientiæ eſt, ibi ſit pugna ſuſpicionum. Neq; enim quicquã me niſi ad unitatis profectum proferre exiſtimetis. Inane enim eſt calumniam verbi pertimeſcere: ubi res ipſa, cuius verbum eſt, non habeat difficultatem. Diſplicet cuique, in Synodo Nicæna homouſion eſſe ſuſceptum. Hoc ſi cui diſplicet, neceſſe eſt placeat, quod ab Arianis eſt negatum. Negatum enim idcirco eſt homouſion, ne ex ſubſtantia Dei patris Deus filius natus, ſed ſecundum creaturas ex nihilo conditus prædicaretur. Nihil novum loquimur, pluribus edita literis ipſa Arianorum perfidia ſibi teſtis eſt. Si propter negantium impietatem pia tum fuit intelligentia confitentium: quæro cur hodie convellatur, quod tum piè ſuſceptum eſt, quia impiè negabatur? Si piè ſuſceptum eſt, cur venit conſtitutio pietatis in crimen, quæ impietatem piè per ea ipſa quibus impiabatur, extinxit? Videamus igitur, quid Nicæna Synodus ſtatuerit, homouſion, id eſt, unius ſubſtantiæ confitendo: non utiq; hæreſim parturire, quæ de homouſii vitioſa opinione concipitur.

Digitized by Google

Hilarius. cipitur. Non opinor illud loquentur, quod unam anteriorem ſubſtantiam Pater & Filius in ſubſtantiam ſuam partiendo diviſerint. Et ipſam quidem tum religioſè conſcriptam fidem, nunc quoque huic ſermoni noſtro non irreligioſè inſeremus:

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium viſibilium & inviſibilium factorem. Et in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium Dei, natum ex Patre unigenitum; hoc eſt, de ſubſtantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero, natum non factum, unius ſubſtantiæ cum Patre, quod Græcè dicunt ὁμοούσιον, per quem omnia facta ſunt, quæ in cælo & in terra, qui propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis, & incarnatus eſt, & homo factus eſt, & paſſus eſt, & reſurrexit tertia die, & aſcendit in cælos, venturus iudicare vivos & mortuos. Et in Spiritum Sanctum. Eos autem qui dicunt, *erat quando non erat, & antequam naſceretur non erat; & quod de non extantibus factus eſt, vel ex alia ſubſtantia aut eſſentia, dicentes eſſe convertibilem & demutabilem Deum, hos anathematizat Catholica Eccleſia.* Non hic ſanctiſſima religioſorum virorum Synodus, neſcio quam priorem, quæ in duos diviſa ſit, ſubſtantiam introducit, ſed filium natum de ſubſtantia patris. Nunquid nos negamus? aut quid aliud confitemur? Et poſt cæteras communis fidei expoſitiones ait: *natum non factum, unius ſubſtantiæ cum Patre, quod Græci dicunt ὁμοούσιον.* Quæ hic vitioſæ intelligentiæ occaſio eſt? natus eſſe de ſubſtantia patris filius, non factus prædicatur: ne nativitas divinitatis factura ſit creationis. Idcircò autem unius ſubſtantiæ, non ut unus ſubſiſtat, aut ſolus, ſed ut ex ſubſtantia Dei natus non aliunde ſubſiſtat, neve in aliqua diſſidentis ſubſtantiæ diverſitate ſubſiſtat. Aut nunquid non hæc fides noſtra eſt, ut non aliunde ſubſiſtat, neque quod indiſſimilis ſubſiſtat? Aut aliud hic teſtatur homouſion, quam ut una atque indiſſimilis duûm ſit ſecundum naturæ propaginem eſſentia, quia eſſentia filii non ſit aliunde: quæ quia aliunde non eſt, unius rectè eſſe ambo creduntur eſſentiæ, quia ſubſtantiam nativitatis filius non habeat, niſi de paternæ autoritate naturæ? Sed fortè è contrario dicetur, idcircò improbari oportere, quia vitioſè intelligi ſoleat. Hoc ſi timemus, deleamus in Apoſtolo, quod dictum eſt: *Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus*, quia ad auctoritatem hæreſis ſuæ Photinus hoc

Digitized by Google

utitur; & nō legatur à nobis, quia ab illo malè intelligitur. Pereat quoque ad Philippenſes ſcripta epiſtola, aut igni, aut ſpongia, ne in ea Marcion relegat: *Et habitu repertus ut homo*, phantaſian corporis confitês eſſe, non corpus. Non extet Evangelium Johannis, ne Sabellius dicat: *Ego & pater unum ſumus.* Neque iſti nunc creaturæ prædicatores ſcriptum habeant: Pater maior me eſt. Neque illi, qui diſſimilem Patri filium affirmare volunt: *De die autem & hora nemo ſcit, neque angeli in cœlis, neque filius, niſi Pater ſolus.* Non ſint quoque libri Moyſi, ne tenebræ Deo, qui innaſcibilem lucem habitat, coævæ ſint, quia in geneſi poſt noctem dies cœpta ſit: ne anni Mathuſalæ ætatem diluvii excedant, & non tantum octo ſint animæ reſervatæ: ne clamorem Sodomorum repletis iam peccatis Deus audiens, tanquam ignorans clamorem, deſcendat, ut videat, an plena ſint cum clamore peccata, & reperiatur Deus neſcire, quod ſcierit. Ne quiſquam quoq; ſepelientium ſepulti Moyſi ſciat ſepulcrum: ne per hoc, ut hæretici putant, diverſa lex ipſa ſibi hoſtis ſit. Et quia hæc ab his non intelliguntur, non legantur à nobis. Pereant quoque ſi videtur (quod non ego dixerim, ſed reſponſionis neceſſitas) omnia divina illa & ſancta Evãgelia ſalutis humanæ, ne ſe invicem contraria dictorũ opinione compugnent, ne miſſurus Dominus Spiritum Sanctum ipſe de Spiritu Sancto natus legatur. Ne mortem & gladium denunciaturus, emi gladium paſſurus indicat. Ne ad inferos deſcenſurus, in Paradiſo ſit cum latrone. Ne poſtremo Apoſtoli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris & Filii & Spiritus S. iuſſi, tantum in Ieſu nomine baptizaverunt. Vobis enim, *fratres*, vobis dico, qui nō iam lacte alimini, ſed firmo cibo valetis. Nunquid, quia iſti Sapientes mundi nō intelligunt, & his ſtulta ſunt, nos cum mundo Sapientes erimus, ut hæc ſtulta credamus? Et quia hæc impiis cæca ſunt, nos non lucebimus intellecta veritate doctrinæ? Male ſanctis rebus præiudicatur, ſi, quia non ſanctæ à quibusdam habentur, eſſe non debeant. Non ergo gloriemur in cruce Chriſti, quia ſcandalum mundo eſt: neque in vivente Deo mortem prædicemus, ne ab impiis mortuus Deus arguatur. Malè intelligitur *homouſion*, quid ad me benè intelligentem? Malè *homouſion* Samoſatenus

Hilarii.

Hilarius cum orthodoxis agit.

Hilarii. confeſſus eſt, ſed nunquid melius Ariani negaverunt? Octoginta Epiſcopi olim reſpuerunt, ſed trecenti decem & octo nuper receperunt. Et mihi quidem ipſe ille hic numerus ſanctus eſt: in quo Abraham victor regum impiorum, ab eo, qui æterni ſacerdotii eſt forma, benedicitur. Illi contra hæreticum improbaverunt: Nunquid & iſti non adverſum hæreticum probaverunt? Gravis autoritas eſt veterum. Nunquid & horum levis ſanctitas eſt? Si contraria invicem ſenſerunt, debemus quaſi iudices probare meliora. Si vero & probando & improbando unum utrique ſtatuerunt, quid benè conſtituta convellimus? Sed fortè dicetur mihi: *aliqui hodie ex his, qui tunc Synodo interfuerunt, tacendum de homouſio eſſe decreverunt.* Et ego invitus licet reſpondebo dicenti: Nunquid non & ipſi tacendum eſſe de homœuſio conſtituunt? Oro vos, ne quiſquam alius ex his *præter ſenem Oſium*, & ipſum illum nimium ſepulcri ſui amantem, reperiatur, qui tacendum eſſe exiſtimet de utroque. Et quo tandem in *Oſius taxatur.* tantis hæreticorum perverſitatibus recidimus, ſi dum non utrumque recipimus, neutrum retinemus? Non enim videri poteſt impiè dici, ut quia neutrum ſcriptum reperiatur, aut neutrum confitendum ſit, aut utrumque. Homouſion, ſanctiſſimi viri, intelligo ex Deo Deum, non diſſimilis eſſentiæ, non diviſum, ſed natum, & ex innaſcibilis Dei ſubſtantia coingenitam in Filio ſecundum ſimilitudinem unigenitam nativitatem. Ea me antea intelligentem non mediocriter ad id confirmavit homouſion. Quid fidē meā in homouſio damnas, quam per homœuſii confeſſionem non potes non probare? Damnas enim fidē meam, vel potius tuam, cum damnas intelligentiam eius in nomine. *Sed malè alius intelligit*: Damnemus in communi vitioſam intelligentiam, non auferamus fidei ſecuritatem. Synodo Samoſatenæ ſubſcribendum putas, ne ſecundum Samoſateni intelligentiam, quiſquam ſibi uſurpet homouſion. Subſcribamus & Nicænæ ſynodo, ne homouſion improbent Ariani. Sed verendum eſt, ne ſi ſecundum fidem homœuſion homouſion ſignificare videatur, decernātur, nihil differre unius & ſimilis eſſe ſubſtantiæ. *Sed homouſion poteſt malè intelligi.* Conſtituatur, qualiter benè poſſit intelligi. Vnum atque idem, quod ſapimus;

Digitized by Google

mus, pium inter nos eſſe velimus. Date veniam, fratres, quam frequenter popoſci. Ariani non eſtis: cur negando homouſion cenſemini Ariani? Sed dices; *Movit me cum ſcandalo, homouſii ambiguitas.* Iterum audi oro ſine ſcandalo, & me movit homœuſii nuditas. Multa ſæpè fallunt, quæ ſimilia ſunt. Timeo aurum bracteæ, quia me fallere poſſit interius. Et tamen auro ſimile eſt, quod videtur. Timeo lactis ſimilitudinem, ne oblatum mihi lac, non lac ovium ſit: quia ei ſimile videatur & bubulum. Vt lac ovium lacti ovium ſimile ſit: non poteſt ſimile eſſe, niſi ovis ſit. Similitudo vera in veritate naturæ eſt: veritas autem in utroque naturæ, non negatur homœuſios. Hæc eſt enim ſecundum eſſentiam ſimilitudo, ſi maſſa maſſæ conſimilis non fallat in bractea, ſi lac, quod concolor eſt, non diverſum ſit in ſapore. Simile auro quicquam non poteſt eſſe niſi aurum: ſimile ſit lacti; niſi ſui generis ſit, eſſe non poterit. Fefellit me frequenter color vini, & tamen guſtu alterius generis liquorem recognovi. Vidi carnes carnibus ſimiles, ſed poſtea mihi naturæ diſſimilitudinem ſapor prodidit: has enim ſimilitudines, quæ nō ex unitate naturæ ſint, non metuo. Vereor enim fratres, Orientis hæreſes in tempora ſingula pullulantes, & quid verear, edicā. Iam & legi. Mihi quidem in his, quæ vos, de Orientalium quorundam aſſenſu, ſuſceptæ legationis miniſtri *ſubſcribenda Sirmiū* detuliſtis, nihil ſuſpicionis relictū eſt: ſed habuerunt ab exordio non nihilum offenſionis, quæ credo vos ſanctiſſimi viri Baſilii & Euſtathii & Eleuſii, ne quid ſcandali afferretur, abolenda tacuiſſe. Quæ ſi rectè ſcripta ſunt, taceri nō debuerunt. Si autem quia non rectè ſcripta ſunt, adhuc tacentur, cavendum eſt, ne aliquando dicantur. Parcens enim adhuc de his nihil dico: tamen mecum recognoſcitis, quod non ita omnis ſcripta apud Ancyram fides ſe habeat. Non famæ fabulam loquor: literarum fidem teneo, non à laicis ſumtam, ſed ab Epiſcopis datam. Oro vos, *fratres*, adimite ſuſpicionem, ſecludite occaſionē, ut probari poſſit ὁμοιούσιον, non improbemus ὁμοούσιον. Cogitemus tot ſacerdotes ſanctos & iam quieſcentes. Quid de nobis Dominus iudicabit, ſi nunc anathematizentur à nobis? Quid de nobis erit, qui rem eo deducimus, ut quia Epiſcopi non fuerunt, nos quoq; nec ceperimus?

Hilarii. Epiſcopi homouſion in Sirmienſi ſynodo deelinantes non fuerunt Ariani.

Hilarii. mus? Ordinati enim ab his ſumus, & eorum ſumus ſucceſſores. Renunciemus Epiſcopatui, quia officium eius ab anathemate ſumſerimus. Date veniam, *fratres*, dolori meo. Impium eſt, quod audetis: non patiar hanc vocem, ut in anthemate ſit, ὁμοούσιον ſecundum religioſam intelligentiam confitens. Nomen nihil habet criminis, quod ſenſum non perturbat religionis: homœuſion neſcio, nec intelligo, niſi tantum ſimilis eſſentiæ confeſſionem. Teſtor Dominum cœli atque terræ, me cum neutrum audiſſem, ſemper tamen utrunq; ſenſiſſe, quod per homœuſion homouſion oporteret intelligi: id eſt, nihil ſimile ſibi ſecundum naturam eſſe poſſe, niſi quod eſſet ex eadem natura. Regeneratus pridem, & in Epiſcopatu aliquantiſper manens, fidem Nicænam nunquam niſi exulaturus audivi; ſed mihi homouſii & homœuſii intelligentiam Evangelia & Apoſtoli intimaverunt. Pium eſt, quod volumus. Ne damnemus Patres, ne animemus hæreticos: ne dum hæreſim expellimus hæreſim nutriamus. Interpretati Patres noſtri ſunt poſt Synodum Nicænam homouſii proprietatem: religioſi extant libri, manet conſcientia: ſi quid ad interpretationem addendum eſt, communiter conſulamus. Poteſt inter nos optimus fidei ſtatus condi: ut nec ea quæ benè ſunt conſtituta vexentur, & quæ malè ſunt intellecta, reſecētur. Egreſſus ſum, fratres chariſſimi, humanæ conſcientiæ pudorem: & humilitatis meæ immemor de tantis ac tam reconditis rebus, & ad usque hanc ætatem noſtram intentatis ac tacitis, amore veſtri coactus hæc ſcripſi, & quæ ipſe credebam, loquutus ſum: conſcius mihi, hoc me Eccleſiæ militiæ meæ ſtipendium debere, & per has literas Epiſcopatus mei in Chriſto vocem, ſecundum doctrinas Evangelicas, deſtinare. Veſtrum eſt in commune tractare ac providere atque agere; ut quod usque nunc inviolabili fide manetis, religioſa conſcientia conſervetis, & teneatis, quod tenetis.

Hilarius orthodoxis loquitur.

Phœbadii. III. PHŒBADIUS *cōtra Arianos c. 55. & 56. p. 38.* Hoc credimus, hoc tenemus, quia hoc accepim⁹ à Prophetis, hoc nobis Evāgelia locuta ſūt, hoc Apoſtoli tradiderūt, hoc martyres in paſſione cōfeſſi ſunt: in hoc mētibus fidei etiā hærem⁹, cōtra quod ſi Angel⁹ de cœlo

le cœlo adnunciaverit, anathema ſit. Sed non ſum neſcius, his omnibus diſcuſſis, & in lucem intelligentiæ publicæ propoſitis, antiquiſſimi ſacerdotis & promtæ ſemper fidei Oſii nomen, quaſi quendam in nos arietem temperari, quod contradictionis temeritas propulſetur. Sed hanc contra nos erigentibus machinam brevi admodum ſermone reſpondeo. Non poteſt eius auctoritate præſcribi, qui aut nunc errat, aut ſemper erravit. Novit enim mundus, quæ in hanc tenuerit ætatẽ, qua conſtantia apud Sardicam & in Nicæno tractatu adſenſus ſit, & damnaverit Arianos. Quod ſi diverſa nunc ſentit, & quæcunque ab eo retro damnata fuerãt, defenduntur, quæ defenſa, damnantur, rurſum dico, non mihi eius auctoritate præſcribitur. Nam ſi nonaginta ferè annis malè credidit, poſt nonaginta illum rectè ſentire non credam. Aut ſi nunc rectè, quid his opinandum eſt, qui ab eodem ſignati fide, in qua tunc ipſe erat, de ſeculo transierunt: quid & de ipſo pronunciaretur, ſi ante hãc Synodum dormiſſet? Ergo, ut ſupra diximus, præiudicare opinionis auctoritas nihil valebit, quia contra ſeipſam conſiſtit ipſa. Et ſanè legimus, Iuſtitia iuſti non ſalvabit eum, in quacunque die exerraverit.

Phœbadii.

Oſius notatur.

IV. GREGORIUS BOETICUS *Iliberitanæ ſedis Epiſcopus ad Gallã Placidiam Auguſtam de Trinitate ſub initium ſatis clarè de Sirmienſibus Confeſſionibus ait*; Ariana impietas aſſerit multa nobiscum quidem iisdem ſermonibus, ſed non iisdem ſenſibus confitetur, cum ad divinæ fidei confeſſionem vocatur. Nam iisdem, quibus & nos, vocibus perſonat Deum Patrẽ & Deum Filium, & omnia à Deo Patre per Filium facta, & filium ante ſecula genitum. Sed cum nobiscum per hæc verba concordet, nihilominus ſacrilegis verborum interpretationibus à piis Eccleſiæ Catholicæ ſenſibus abrumpit, ita dicens Patrẽ, ut non verè genuerit. Ita Filium quoque pronuncians, ut apud eum adoptione, non natura ſit filius, id eſt, ut aliunde ad filii nomen aſſumtus, non verè de Deo Patre ſit genitus. Nam licet & ante ſecula filium natum eſſe fateatur, tamen ei initium tribuit dicendo, erat quando non erat. Sed & ſic quoque per eum dicit facta univerſa, ut cum aſſerat ex nullis extantibus ſubſtitutum, quia præſumſit non verè de Deo Patre genitum, & inde eſt, quod ita vult habere perſuaſum, Chriſtum Deum

Gregorii Boetici.

Digitized by Google

Gregorii Bætici. Deum quidem eſſe; ſc. non verum, cui initium deputetur, & Filii quidem ita, ut factus intelligatur eſſe, non natus. Siquidem non verè de Patre natus eſt, ſed de nihilo ſubſtitutus, ob hoc quoque & mutabilem credit. In fide eius non verè Deus, non verus Filius eſt, & ut hos impios ſenſus apud ignaros commendet, adhibet quoque ut ſibi videtur, ſcripturarum divinarum teſtimonia, *Prov. 8.* dicens ex perſona ſapientiæ probatum, Dominus creavit me initium viarum ſuarum in opera ſua. Chriſtum autẽ ſapientiam eſſe Apoſtolus quoque confirmat dicendo, Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam. Conſtat ergo Chriſtum, qui eſt Apoſtolo interprete ſapientia, eſſe creaturam, & iam, inquit, conſequens eſt, ut nõ ſit verus Deus, qui ſit creatura, nec verus Filius, qui non ſit à Deo genitus, ſed creatus. erat ergò, quãdo non erat. Hæc ſunt nequitię arma propoſita, adverſ⁹ quę ire provocamur, ut adſertionis adverſæ propaletur impietas, non quidem, ut diximus, noſtro ingenio, ſed gratia Dei adiuvante ſemper pios conatus.

C Marii Victorini. V. C. MARIVS VICTORINVS *Afer de Trinit. l. 1. etiã Sirmięſes ſub nomine Illyricanorũ taxat, cum ait*: Iſta huiuſmodi oportet revocare ad illa omnia, quæ propoſuimus, ſive Deus eſt λόγος, ſive lumẽ & effulgentia, ſive ſilentium & effatum, ſive alia, in quibus unum & ſimul & ὁμοούσιον apparet & ingenita generatio. Vbi igitur habet locum, quod ſimile eſt ὁμοιούσιον dicere? qua cauſa dicitur? Semper & myſterium totum hoc eſt: Vnus Deus & Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, unus Deus. Simile ergo, quomodo unus Deus? At ὁμοούσιον neceſſariò unus Deus. Si enim velut nõ ſimul, neceſſariò duo, ſi autem ſimile illud alterum, neceſſariò alterum ὁμοούσιον, ergò neceſſariò alterius ſubſtantiæ. Iſti Ariani, iſti Lucianiſtæ, iſti Euſebiani, iſti Illyricani, ſed abiicientes aliqua, auferentes aliqua, & mutantes, omnes diverſæ opinionis hæretici. Huc accedit, ſi ὁμοιούσιον Pater & Filius, quomodo di- *Ioh. 14.* cit Salvator, ego ſum veritas? Si id quod dictum eſt verum eſt, filius cum ſit veritas: minor Pater, ſimilis qui ſit veritati, non veritas. Quanta blaſphemia iſta? Si autem veritas Deus, veritas Filius, ſicuti ipſe Filius dicit, & verè dicit, ὁμοούσιον Deus eſt Filius, non ergò duplex, ſed una ſemper veritas, & valdè foris & deorſum valdè, quod eſt ſimile veritati, quod fortè in mundo ex-

iſtat

iſtat ſimilitudo veritatis,ubi & error & corruptio, & omnis paſ- *C. Marii*
ſio. Ipſum ergò veritatem eſſe,ſubſtantia eſt. Non enim aliud *Victorini*.
ſubſtantia,aliud veritas: quod enim ſimplex,hoc veritas,ſimplex Deus,ſimplex Filius,veritas Deus,veritas Filius,& Deus,& Filius, una veritas. Veritas enim in ſemetipſa veritas. Item ſi ſimilis veritati eſt Filius,id eſt,quod ſimile eſt ducit,quæ ducit? Si autẽ veritas,in veritatem ducit.Sed enim ad Deum ducit,& Deus veritas in veritatem ducit,ergo.Sed impoſſibile,cum ipſe veritas non ſit, in veritatem ducere: veritas ergo,& Pater, & Filius, ſicuti & dicitur: *Quem mittit ad me Pater, iſte ad me veniet.* Ex iſtis omnibus non ſolum concluditur, ſed manifeſta efficitur confesſio,extra mutationem eſſe motum in Deo,Non enim localis, neque cum paſſione generatio, aut corruptio,aut cũ augmento,vel minutione, neque aliqua immutatione. Eſt enim moveri ibi, & moveri ipſum,quod eſt eſſe ſimul & ipſum & ſimplex,& intellectu,unum in uno,ſicut in potentia,& actione. Semper quidem, ὁμοούσιον in eo,quod eſt eſſe, ſecundum autem agere ab eo,quod eſt eſſe,Filius & Pater. Sed ſicuti dictum eſt,& in Filio Pater,& in Patre Filius.

VI Basilius etſi *Sirmianæ ſynodi* expreſſè non meminerit, *Baſilii*
perſtringit tamen illa tempora *in Ep.* 82. Quod mihi comparuit *Magni*.
levitas videlicet converſionis ac transmutationis circa fidem, non cognita mihi eſt hactenus conſimilis in aliis,neque à me viſa,neque ab aliis audita. Arium ſequebantur ab initio,convertebantur ad Hermogenem, qui ex diametro perverſæ Arii opinionis hoſtis erat, velut declarat ipſa fides Nicæna ab illo viro ab initio pronunciata. Obdormivit Hermogenes,& rurſus tranſiverunt ad Euſebium,verum principem circuli Arianorum,velut experti dicunt. Hinc ubi excidiſſent ob quaſcunque tandem cauſas,rurſus recurrunt ad patriam & rurſus occultaverunt Arianum dogma. Progreſſi ad Epiſcopatum (ut intermedia relinquam) quot fidei formas ediderant? In Ancyra aliam, aliam in Seleucia,aliam in Conſtantinopoli divulgatam illam,in Lampſaco aliam;poſtea eam quam in Nicea Thraciæ prodiderunt,nunc rurſus eam, quam in Cyzico. Cuius reliqua quidem non ſcio, tantum vero audio, quod *tacito coëſſentiali*, ſimile ſecundum

 eſſen-

Digitized by Google

Baſilii Magni. eſſentiam nunc inferant, & blaſphemias in Spiritum Sanctum cum Eunomio conſcribant. Ex his autem fidei formis, quas enumeravi, etiamſi non omnes inter ſe contrario modo habent, attamen morum levitatem æqualiter confirmant, propterea quod nunquam ipſi iidem in iisdem verbis perſiſtant. Hæc vera ſunt, innumeris aliis ſilentio præteritis.

Idem alludit etiam ad iſta tempora, quibus Sirmienſis ſynodus habita, *ep.* 74. ubi Euſtathium Sebaſtenum deſcribit; Eſt, *inquit*, unus ex his, qui multum mœroris inducunt, Euſtathius ex Sebaſtea in minore Armenia, qui olim edoctus ab Ario, quum floreret in Alexandria, & pravas contra unigenitum componeret blaſphemias, illum ſecutus, & inter legitimos ipſius diſcipulos numeratus, poſtquam reverſus eſt in patriam ſuam, beatiſſimo Epiſcopo Cæſareæ Hermogeni, iudicanti ipſum malè de fide ſentire, confeſſionem exhibuit fidei ſanæ. Atque ita, cum Euſtathius electionem ab ipſo accepiſſet, poſt illius obdormitionem ſtatim ad Euſebium in Conſtantinopoli decurrit, qui etiam ipſe nullo inferior impium Arii dogma profitetur. Deinde illinc ob quaſcunque tandem cauſas fugatus, progreſſus ad patriam, rurſus ſe purgavit, impium quidem animum occultans, verum rectitudinem quandam verborum prætendens, & nactus fortuitò Epiſcopatum, ſtatim apparet ſcripſiſſe execrationem coëſſentialis, in concilio ab ipſis in Ancyra facto. Et illinc ad Seleuciam profectus, perfecit cum ſuis ſodalibus ea, quæ omnes ſciunt. In Conſtantinopoli vero rurſus aſſenſus eſt his, quæ ab hæreticis ſunt propoſita. Et ſic fugatus ab Epiſcopatu, propterea, quod in Meletina antea depoſitus eſſet, viam ſibi ipſi reſtitutionis excogitavit, ad vos acceſſum. Et quædam equidem ſunt, quæ propoſita ſunt ipſi à beatiſſimo Epiſcopo Liberio, quædam vero, quæ ipſe pactus eſt, ignoramus, præter quam quod epiſtolam attulit ipſum reſtituentem, qua in Concilio Tyano oſtenſa reſtitutus eſt in locum. Hinc non depopulatur fidem illam, propter quam ſuſceptus eſt: & his, qui reprobant ac deteſtantur coëſſentialem, adeſt, ac cum ipſis converſatur; & præfectus eſt pugnantium contra Spiritum Sanctum. Quandoquidem igitur illinc contigit ipſi potentia iniuriam inferẽdi Eccleſiis, & facultate ipſi à vobis data

utitur

Digitized by Google

ititur ad multorum everſionem, neceſſe eſt illinc venire etiam correctionem, & ſcribi Eccleſiis, quænam ſunt, propter quæ ſuſceptus eſt, & quomodo nunc transmutatus irritum facit beneficium, quod ipſi tunc per Patres datum eſt. *Baſilii Magni,*

Idem eodem tendit *ep.72. ad Ep. Galliæ & Italiæ*: Si pœnitentiam ſe egiſſe dicunt, oſtendant ſuam conſcriptam pœnitentiam, & deteſtationem fidei in Conſtantinopoli, & ſeparationem hæreticorum, & ne decipiant ſimpliciores. Et illorum quidem res tales ſunt. Nos autem dilecti fratres parvi quidem & humiles ſumus, ſemper tamen iidem per gratiam Dei, nunquá ſimul cum rerum immutationibus coaffecti fuimus. Fides apud nos non alia in Seleucia, alia in Conſtantinopoli, & alia in Zelis, & alia in Lampſaco, & alia Romæ: & nunc circumfertur, non diverſa eſt à prioribus, ſed una & eadem.

VII. Gregorius Nazianzenus *Orat. 31. in laudem Athanaſii p. 529.* etiam perſtringit Sirmienſia acta; Georgius, *inquit*, nemine iam ipſius impetum propellente, Ægyptum incurſionibus vaſtat, atque impietatis robore Syriam populatur. Orientis etiam, quantum poteſt, arripit ægros & infirmos quotidie, quemadmodum torrentes ea, quæ ſimul volvuntur, aſſumens, ac leviores ac ignaviores adoriens. Quin etiam Imperatoris ſimplicitatem ſibi conciliat, pietate enim ipſius moveor, ne levitatem dicam. Nam ſi verè dicendum eſt, zelum habebat: verum non ſecundum ſcientiam. Tum ex principibus eos ſibi pecunia comparat, qui auri amorem Chriſto præferebant (ipſi etenim opes & copiæ, bona pauperum erant in flagitioſos uſus inſumta) atque ex his potiſſimum muliebres homines, & inter viros nomine virorum indignos, ſexu quidem dubios, impietate autem certos & perſpicuos, quibus cum muliercularum cura committatur, haud ſcio, qui fiat, ut Imperatores Romani eoſdem virorum officiis muneribusque præficiant. Tantum valuit ille diaboli adminiſter, ille zizaniorum ſator, ille Antichriſti præcurſor, ita negotium partiens, ut Epiſcopo quodam ea tempeſtate diſertiſſimo linguæ vice uteretur (ſi cui tamen diſertum eum appellare liceat, qui non tam impius ſectarius fuit, quam hoſtis & contentionis ſtudio flagrans: nomen enim haud invitus prætereibo) ipſe *Gregorii Nazianzeni.*

Digitized by Google

Gregorii Nazianzeni.

autem manus inſtar cohorti ſuæ eſſet, ac veritatem auro convelleret, quod quidem ob pios uſus collectum impietatis inſtrumentum ſcelerati fecerunt. Huius factionis potentia concilium illud peperit, quod Seleuciæ primum, ubi fanum eſt ſanctæ & egregiæ Virginis Theclæ, deinde in hac ampliſſima civitate coactum eſt, quas urbes pulcherrimis antea nominibus claras, turpiſſimarum rerum notis celebres illuſtresque reddidit: ſive Babylonis turrim, quæ linguas pulchrè diviſit (quemadmodum utinam illas quoque in malum nempè concordes) ſive Caiphæ concilium, quo Chriſtus damnatur, ſive quocunque tandem alio nomine conventus hic appellandus eſt, qui omnia evertit, ac perturbavit. Piam enim & veterem doctrinam ac Trinitatis patronam, iacto vallo, ac machinis impulſa & labefactata Conſubſtantialis voce ſuſtulit; impietati autem per ſcripti dogmatis ambiguitatem feneſtram aperuit: hoc quidem prætextu, quaſi ſcripturam vereretur, ac vocum probatiſſimarum uſum amplecteretur, re autem vera Arianiſmum nullo Scripturæ loco proditum introducens. Hæc enim verba, *Simile ſecundum ſcripturas*, ſimplicioribus hominibus illecebra erat impietatis, homo circumiecta ſtatua ad omnes pertranſeuntes ſeſe obvertens, communis utriusque pedis cothurnus, cribratio ad omnem ventum accommodata, ex nefario edicto recens perſcripto, conſilioque adverſus veritatem excogitato licentiam atque autoritatem aſſecuta. Sapientes enim erant ad malè agendum: at benefacere non norant. Hinc ſubdola illa & veteratoria hæreticorum condemnatio: quos, ut ſpecioſius ac probabilius eſſet, quod conabantur, verbis quidem ab Eccleſia proſcripſerunt, reipſa autem in medium produxerunt; ſic videlicet cum illis agentes ut non infinitæ impietatis, ſed ſcriptionis immodicæ crimen ipſis impingerent. Hinc prophani ſanctorum iudices, & nova atque inuſitata mixtio, myſticæ nempè quæſtiones ſpectante vulgo tractatæ, atque iniqua rerum geſtarum inquiſitio, & precio conducti ſycophantæ, & ſententiæ ſtata mercede pronunciatæ. Hinc alii ab Eccleſiarum thronis iniuſtè pellebantur: alii in eorum locum ſubrogabantur: ſic tamen, ut ab iis impietatis chirographa non ſecus atque aliud quippiam neceſſarium, exigerentur. Atque

in promtu

Digitized by Google

in promtu erat atramentum & calumniator à tergo. Ea res per multos è nobis, invictos alioquì viros, in fraudem impulit, qui quamvis mente nequaquam prolapſi fuerint, ſubſcriptione tamen transverſi acti ſunt, ac cum illis utroque nomine ſceleratis conſenſerunt: ac ſi non flammæ, fumi quidem certè participes fuerunt. Quod quidem ipſe multis ſæpè lachrymis ſum proſecutus, cum impietatem longè lateque ſe diffundentem & perſecutionem ab ipſis Verbi patronis adverſus orthodoxam doctrinam excitatam viderem. *Gregorii Nazianzeni.*

VIII. Epiphanius *hæreſi* 73. adducit à Baſilio Ancyrano nomine *Ancyranæ Synodi* ſcriptam epiſtolam, in qua iſta de *Sirmienſi Synodo*: Sancta Synodus in Ancyra, accedente paſchate ex diverſis provinciis congregata, dominis venerandiſſimis, & unanimis comminiſtris in Phœnice, & reliquis eadem nobiſcum ſentientibus, in Domino gaudium. Optamus quidem poſt tentationis Eccleſiaſticæ fidei tormentum, quod velut in igne factum eſt, his qui pro fide in medio fuerunt, & poſtea, quæ in Conſtantinopoli facta ſunt propter Marcellum, & poſt editionem fidei in Synodo congregata ob feſtum dedicationis Eccleſiæ in Antiochia: & poſtea quæ acta ſunt in Synodo Sardica, & fidem quæ illic effloruit, & amplius poſtea, quæ in *Sirmio* propter Photinum facta ſunt, in his ratiocinationibus quas ob ſingula de fide capita interrogati, de his qui, in Sardica adverſus Orientem diſſenſerunt, expoſuimus, de cætero conquieſcere, & unita in pio regno domini noſtri Conſtantini Eccleſia, ab Oriente uſque ad Occidentes ſcandalis eiectis, pacem agere, & cultui Dei attendere. Quandoquidem vero velut apparet, non ceſſat diabolus, per propria vaſa conari res ſuas, quo ſanè omnino ea quæ de Domino prædicta ſunt, & per ſanctum Apoſtolum conſona velut ob cuſtodiam fidelium prædicata, ad defectionem deducat, excogitans novationes contra Eccleſiaſticam fidem, & nunc quoſdam in ſpecie pietatis ſibi familiares facere, & per ipſos profanas novitates contra piam ingenuitatem unigeniti filii Dei excogitare: prius quidem audientes per Antiochiam diſcurrere quoſdam, imo & per Alexandriam, inſuperque Lydiam atque Aſiam, & immittere ſcintillas impietatis ſimpliciorum animis, ſperamus *Epiphanii.*

Epiphanii. propter temeritatē impietatis,ac tantam impudentiam ipſorum, debellantibus ipſos etiam dominis comminiſtris in loco, marcidam fore excogitatam hæreſim, & extinctum iri malitiam. Quando vero deinceps & qui ex prædictis locis acceſſerunt, & qui ex Illyrico venerunt, annunciant,operam adhibuiſſe huius mali repertores & plures lædere audere, & ad malitiam fermentare non amplius differre ſuſtinentes, imò etiam literas adepti unanimis comminiſtri noſtri Georgii Laodiceæ Eccleſiæ Epiſcopi,quarum exemplar ſubiecimus, & teſtimonia eorum, qui apud nos teſtati ſunt,coram Dei reveriti, prout concedebat tempus ſanctæ diei paſchatis incumbentis, congregati quotquot ſane congregari potuimus, eo quod & hyems multis impedimento fuit, velut nobis per literas ſignificarunt: in hanc ſpeciem fidei idioma edere ſtuduimus,quantum ſanè reſtat ad fidem in Antiochia,velut diximus,editam in feſto dedicationis,imò & in Sardica, quam ſuſcepit Synodus in *Sirmio*: & ratiocinationibus illinc repetitis, explicare exactè fidem Eccleſiæ Catholicæ in ſanctam Trinitatem: ad hoc autem velut antea diximus,innovationis ſpeciem ſolum,prout concedebat Spiritus,indicantes.

Idem *hæreſi eadem* adducit *Seleucienſem ſynodum*, in qua iſta de *Sirmienſi*. Nos,qui convenimus Epiſcopi in Seleucia Iſauriæ, ad mandatum pietatis pientiſſimi Regis noſtri Conſtantii, hæc collocuti ſumus iuxta regiam voluntatem Heſterna die,quæ erat ante quintum Calendas Octobris,omnem diligentiam adhibuimus,ut pacem Eccleſiæ cum omni bono ordine conſervaremus, & fidem firmiter diſtingueremus, velut præcepit pientiſſimus Rex noſter Conſtantius,iuxta propheticas voces, & nihil præter divinas ſcripturas Eccleſiſticæ fidei adderemus. Quandoquidem vero in Synodo quidam noſtros partim contumelia affecerunt, partim os obturarunt, non permittentes ipſis loqui,partim excluſerunt invitos. ſed & depoſitos habebant ſecum ex diverſis provinciis, & præter regulam conſtitutos ſecum ducebant, ut conſeſſus undique tumultu plenus fieret: quemadmodum illuſtriſſimus comes Leonas,& ſplendidiſſimus dux provinciæ Lauricius ſuis oculis perceperunt: ea de cauſa profitemur,quod non fugimus, neque adverſamur authenticam fidem in dedicationis

feſtivitate

feſtivitate in Antiochia editam proferre: ubi etiam maxime Patres noſtri illo tempore ad ſubiectam quæſtionem concuſſerunt. Nam multos turbavit vox *coëſſentialis*, & *ſimilis eſſentiæ* appellatio, in præteritis temporibus usque ad præſens. Sed & usque hoc dicitur novari ab aliquibus diſſimilitudo Filii ad Patrem. Quapropter *coëſſentialis* vocem reiicimus, velut à ſcripturis alienam, *diſſimilitudinem* verò deteſtamur. Et omnes qui tales ſunt, alienos ab Eccleſia putamus. *Similitudinem* autem Filii ad Patrem clarè confitemur, iuxta Apoſtolum dicentem de filio, Qui eſt imago Dei inviſibilis. Confitemur autem & credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ, viſibilium atque inviſibilium. Credimus autem & in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium Dei, ex ipſo genitum citra paſſionem ante omnia ſecula, Deum, Verbum, Deum ex Deo unigenitum, lumen, vitam, veritatem, ſapientiam, potentiam, per quem omnia facta ſunt in cœlo & in terra, ſive viſibilia, ſive inviſibilia. Hunc credimus in conſummatione ſeculorum ad reprobationem peccati, carnem aſſumſiſſe ex ſancta Virgine, & hominem factum, paſſumque eſſe pro peccatis noſtris, ac reſurrexiſſe, & aſſumtum eſſe in cœlos, & ſedere in dextra Patris, rurſus venturum in gloria, ad iudicandum vivos & mortuos. Credimus in Spiritum Sanctum, quem etiam Paracletum nominavit Salvator ac Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ubi promiſit poſt abitionem ſuam, miſſurum ſe eſſe hunc diſcipulis, quem etiam miſit, per quem & ſanctificat eos, qui in Eccleſia credunt, & baptizati ſunt in nomine Patris & Filii ac Spiritus Sancti. Eos vero, qui præter hanc fidem aliud quid prædicant, alienos novit catholica Eccleſia. Quod autem huic fidei æquivalens eſt, & ea, *quæ in Sirmio* prima edita eſt fides, *coram pietate* Regis noſtri, cognoſcunt, qui ipſam legunt. Subſcripſerunt &c. *Epiphanii.*

XI. Philostorgius *Hiſt. Eccl. lib. 4. n. 3. p. 65.* Conſtantius Sirmiũ profectus ibi egit, ubi & Liberiũ Epiſcopum (urbis) Romæ, à Romanis ſummopere expetitũ ab exilio revocavit, flagrantibusque reddidit. Ibidẽ vero ait hic (Philoſtorgius) & Liberium contra ὁμοούσιον, & contra Athanaſium ſubſcripſiſſe, ſimiliter & Oſium Epiſco- *Philoſtorgii.*

Philoſtor-gii. Epiſcopum, Synodo quadam ibidem habita eos ad conſenſum ſubigente; Vbi vero ſubſcripſerunt, Oſium quidem in diœceſin ſuam Cordubam Hiſpaniæ reverſum ſedem ſuam repetiiſſe, Liberium autem Romanæ Eccleſiæ: at Felicem, qui medio tempore Romæ Epiſcopus ordinatus fuerat, ſeſe recepiſſe, dignitatem equidem Epiſcopatus gerentem, nulli vero de cætero Eccleſiæ certæ præpoſitum. *Et poſt.* Evenit ut hi, qui à Baſilio erant etiam coram Imperatore de fide differerent, interque cætera Filium Patri per omnia ſimilem eſſe, apertè declararent, ὀσίας prorſus ne nomine quidem tenus mentione inter reliquos ſermones facta. Hanc vero ſententiam, & Synodi iudicio & ſubſcriptionibus firmari ſtuduerunt.

Ambroſii Mediolan. X. AMBROSIVS *de Spiritu S. lib. 3. cap. 11. p. 155. Tom Operum etiam acta* Sirmienſia *tangit*: Ipſe Dominus in Evangelio dixit: Quoniam Deus Spiritus eſt. Quem locum ita expreſſe Ariani teſtificamini eſſe de Spiritu, ut eum de veſtris codicibus auferatis: atque utinam de veſtris, & non etiam de Eccleſiæ codicibus tolleretis. Eo enim tempore, quo impiæ infidelitatis Auxentius Mediolanenſem Eccleſiam armis exercituque occupaverat, vel à Valente atque Vrſacio nutantibus ſacerdotibus ſuis incurſabatur Eccleſia Sirmienſis, falſum hoc & ſacrilegum in Eccleſiaſticis codicibus deprehenſum eſt. Et fortaſſe hoc etiam in Oriente feciſtis. & literas quidem potuiſtis abolere, ſed fidem non potuiſtis auferre. Plus vos illa litura prodebat, plus vos illa litura damnabat.

Sulpitii Severi. XI. SVLPITIVS SEVERVS *in S. hiſt. p. 564 edit. Carol. Sigonii,* ita ſub titulo *Concilium Sirmienſe Arianum* ſcribit; Nacti ergo Ariani iſtiusmodi occaſionem, conſpirant, penitus Sardicenſis Synodi decreta ſubvertere. Etenim eis color quidam ſuppetere videbatur, quod tam iniuſtè fuiſſet pro Athanaſio iudicatum, quam Marcellus fuerat abſolutus, qui nunc etiam Athanaſii iudicio hæreticus eſſe probaretur. Namque Marcellus Sabellianæ hæreſis aſſertor exſtiterat: Photinus vero novam hæreſim iam ante protulerat, à Sabellio quidem in unione diſſentiens, ſed initium Chriſti ex Maria prædicabat. Igitur Ariani aſtuto conſilio miſcent innoxium criminoſis, damnationemque Photini & Mar-

Digitized by Google

& Marcelli & Athanaſii eadem ſententia comprehendunt: illud nimirum apud Imperatorum animos præſtruentes, ut non putarentur de Athanaſio perperam iudicaſſe, qui de Marcello atque Photino vera ſenſiſſent. Veruntamen ea tempeſtate Ariani perfidiam ſuam occultabant, non auſi palam erroris ſui dogmata prædicare, catholicos ſe gerebant, nihil ſibi prius agendum rati, quam ut Athanaſium Eccleſiâ ſubmoverent, qui ſemper eis velut murus obſtiterat: quo remoto, reliquos in libidinem ſuam ceſſuros ſperabant. Sed pars Epiſcoporum, quæ Arium ſequebatur, damnationem Athanaſii cupitam accepit: pars coacti metu & factione, in ſtudia partium conceſſerant: pauci, quibus fides cara, & veritas potior erat, iniuſtum iudicium non receperunt: inter quos Paulinus Epiſcopus Treverorum, oblata ſibi epiſtola ita ſubſcripſiſſe traditur, ſe in Photini atque Marcelli damnationem præbere conſenſum, de Athanaſio non probare. Tum vero Ariani, ubi doli parum proceſſerant, vi agere decernunt. Nam quodlibet audere atque agere, facilè erat regis amicitia ſubnixis, quem ſibi pravis adulationibus devinxerant. Quin etiam ex conſenſione multorum inexpugnabiles erant: nam omnes fere duarum Pannoniarum Epiſcopi, multique Orientalium, ac tota Aſia in perfidia eorum coniuraverant. Sed principes mali iſtius habebantur, à Singiduno Vrſatius, Valens à Murſa, ab Heraclia Theodorus, Stephanus Antiochenus, Acatius Cæſarea, Menophanes Epheſo, Georgius Laodicea, Narciſſus à Neapoli. Hi ita palatium occupaverant, ut nihil ſine eorum nutu ageret Imperator: obnoxius quidem omnibus, ſed præcipuè Valenti deditus. Nam eo tempore quo apud Murſam contra Magnentium armis certatum, Conſtantius deſcendere in conſpectum pugnæ non auſus, in Baſilica martyrum extra oppidum ſita, Valente tum eius loci Epiſcopo in ſolatium aſſumto, diverſatus eſt. Cæterum Valens callide per ſuos diſpoſuerat, ut quis præliis fuiſſet eventus, primus cognoſceret: vel gratiam regis captans, ſi prior bonum nuntium detuliſſet: vel vitæ conſulens, ante capturus fugiendi ſpatium, ſi quid contra accidiſſet. Itaque paucis, qui circa regem erant, metu trepidis, Imperatore anxio, primus nuntiat hoſtes fugere. Cum ille indicem ipſum

Sulpicii Severi.

Digitized by Google

Sulpitii Severi. intromitti poſceret, Valens, ut reverentiam ſui adderet, angelum ſibi fuiſſe nuntium reſpondit. Facilis ad credendum Imperator, palam poſtea dicere eſt ſolitus, ſe Valentis meritis, non virtute exercitus viciſſe. Ab hoc initio illecti principis extulere animos Ariani, poteſtate Regis uſuri, ubi auctoritate ſua parum valuiſſent. Igitur cum ſententiam eorum, quam de Athanaſio dederant, noſtri non reciperent, edictum ab Imperatore proponitur, ut qui in damnationem Athanaſii non ſubſcriberent, in exilium pellerentur.

Socratis. XII. SOCRATES *Hiſt. Eccl. lib. 2. cap. 24. & 25.* Imperator nunc Gallum conſobrinum ſuum, Cæſarem conſtituit, & ſuo ipſius nomine illi impoſito, Antiochiam, quæ in Syria eſt, miſit, ut partes Imperii ad Orientem iacentes per illum defenderentur. Vbi Antiochiam adventaverat, ſignum Servatoris in Oriente apparuit. nam columna crucis effigiem exprimens in cælo viſa, maximam intuentibus excitavit admirationem. Alios ſuos duces cum maximis ſuis copiis contra Magnentium dimicaturos mittit. Ipſe Sirmii comoratur, rerum eventum expectaturus. Interea temporis Photinus illius Eccleſiæ antiſtes, dogma quoddam, quod ille ipſe ſeparatim excogitaverat, palam divulgare conatur, & quoniam tumultus ex hoc oriebatur, Imperator Concilium Epiſcoporum Sirmii convocari iubet. Eo igitur convenere ex Epiſcopis Orientis, Marcus Arethuſius, Georgius Epiſcopus Alexandriæ, quem Ariani, Gregorio ſede illa Epiſcopali (uti ante dixi) deturbato, illuc miſerant: Baſilius, qui Eccleſiæ Ancyræ, Marcello expulſo, præfuit: Pancratius Peluſii, Hypatianus Heracleæ: ex Epiſcopis autem Occidentis, Valens Murſorum: & Oſius Epiſcopus Cordubæ, quæ eſt urbs Hiſpaniæ, qui id temporis permagna famæ celebritate fuit, invitus acceſſit ibi poſt conſulatum Sergii & Nigriani, quo anno propter belli tumultus & ſeditiones nullus conſul conſueta conſulatus munera obire poterat, Sirmii congregantur: Photinum dogma Sabellii Afri & Pauli Samoſateni tueri deprehenſum, illico Epiſcopatu abdicant. Quod quidem omnes & iam tum, & poſtea, ut probè recteque factum, magnoperè approbarunt. Iſti Epiſcopi Sirmii ad tempus commorati, alia acta ſancivere. Nam vetera ſua de

fide

Digitized by Google

ſide decreta condemnare, novaſque fidei formulas tondere cœperunt: unam, quam Marcus Arethuſæ Epiſcopus Græco ſermone conſcripſit; duas autem alias, Latino ſermone, quæ nec verbis, nec compoſitione ac ſenſu vel ipſe ſecum,vel cum illa, quam Epiſcopus Arethuſius græce ſcripſerat, congruerunt. Alterum tamen earum,quæ Latine conſcriptæ erant,formulæ illi à Marco græce editæ hoc loco ſubiungam: alteram, quam poſtea Sirmii etiam recitarant, ſuo loco, cum ea, quæ Arimini geſta ſunt,à nobis exponentur,intexam. Intelligendum eſt utramq; in Græcum ſermonem converſam fuiſſe. *Et poſt.* Photino perſuadere nituntur,poſt eius abdicationem, ut iſtis rebus aſſentiret, ſubſcriberetque & polliciti ſunt Epiſcopatum ſe illi reddituros,ſi modò reſipiſceret, dogmaque ſeorſum ab ipſo excogitatum damnaret anathemate, atque adeò ipſorum opinioni accederet. Ille repudiat conditionem, eoſque ad diſputandum provocat. Ac die ad eam rem præſtituta, de ſententia Imperatoris conveniunt,tum Epiſcopi, qui ibi aderant, tum non pauci ſenatores, quos Imperator rogaverat,ut diſputationi vellent intereſſe. In quorum conſeſſu Baſilius, qui tum Ancyræ Epiſcopus fuit, ſe Photino oppoſuit: notarii, qui ſcribendi celeritate multum valebant, eorum verba exceperunt. Dum inter ſe acriter diſſerunt, maxima oritur concertatio. In qua diſputatione Photinus evictus,condemnatur. De reliquo vitam in exilio degens, librum tum Græca, tum Latina lingua (nam ne huius quidem linguæ ignarus fuit) compoſuit. Scripſit autem contra omnes hæreſes, dum ſuum ipſius dogma divulgare laboravit. Verum de Photino ſit dictum ſatis. Intelligendum eſt autem Epiſcopos,qui Sirmii convenerant,ſe illius fidei formulæ Latino ſermone conſcriptæ pœnituiſſe. Nam poſtquam edita fuit, viſa eſt illis pugnantia complecti. Ob quam cauſam dederunt operam, ut ex illorum manibus, qui eam deſcripſerant, eximeretur: ubi autem à multis occultabatur,Imperator per edictum mandavit, ut eius,quæ exiverant exemplaria conquirerentur: ſuppliciumq; eſt cuique minatus, qui illa occultaſſe deprehenderentur. At nullæ minæ ea,cum ſemel edita eſſent, delere poterant,propterea quod in tam multorum manus incidiſſent. Verum hæc quidem

Socrates.

Digitized by Google

Socratis. dem hactenus. Et cap. 26. Quoniam autem de Hoſio Cordubæ Epiſcopo, quod animo invito ad Concilium Sirmii habitum acceſſerit, mentionem fecimus, de hac re pauca iam dicemus. Quanquam iſte paulo antè per fraudulentum Arianorum conatum erat in exilium miſſus: id temporis tamen ſtudio & labore Epiſcoporum, qui Sirmii convenerant, factum eſt, ut Imperator illum accerſeret, habens in animo vel perſuadendo, vel cogendo eum inducere, ut cum Epiſcopis ibi coactis conſentiret. Nam ſi iſtud factum eſſet, illorum fides perilluſtri teſtimonio confirmata videretur. Hac de cauſa invitus, ut dixi, acceſſit ad concilium. Simulatque vero ſenex ille eorum fidei aſſentire abnuebat, plagæ illi erant inflictæ, membraque machinis diſtorta. Quapropter fidei formulis eo tempore editis, vi & neceſſitate compulſus conſenſit, ſubſcripſitque. Atque res tum Sirmii geſtæ hunc exitum habuere.

Sozomeni. XIII. Sozomenvs *Hiſt. Eccl. lib.* 4. *c.* 5. Sub idem tempus Photinus Eccleſiæ Sirmii antiſtes, qui iam antè hæreſis cuiusdam authos fuerat, cum Imperator ibi præſtò eſſet, palam ſuam doctrinam aſſerere non dubitavit. Et quoniam ingenio tum ad benè dicendum, tum ad perſuadendum multum valebat: idcircò multos ad ſuam opinionem traduxit. Qui tametſi affirmavit, unum Deum omnipotentem eſſe, qui proprio verbo condidit univerſa: tamen quod Filius Dei ante ſecula generatus ſit, & exiterit, nullo modo concedere voluit, ſed Chriſtum ex Maria genitum docuit. Quod quidem dogma, cum apud multos vulgatum eſſet, magnopere offendit animos Epiſcoporum tum Occidentis, tum Orientis; quandoquidem hoc contra cuiusque opinionem novatum eſſe arbitrati ſint. Etenim à ſententia tum eorum, qui fidem in Concilio Nicæno traditam cum admiratione amplexabantur, tum eorum, qui approbabant Arii doctrinam omninò diſcrepare comperiebatur. Imperatori præterea bilem movit: qui eodem tempore Sirmii vitam agens, concilium ideo convocavit. Ad quod convenere ex Orientis Epiſcopis tum alii, tum Georgius Alexandrinæ antiſtes, Baſilius Ancyræ Epiſcopus, & Marcus Epiſcopus Arethuſæ: ex Epiſcopis autem occidentis, Valens Murſorum Epiſcopus, Oſius confeſſor, qui quoniam concilio

Digitized by Google

cilio Nicæno interfuiſſet, invitus huic concilio præſto fuit. Nam Sozomenus quanquam haud longè antè Arianorum inſidiis exilio condemnatus fuerat, ab Imperatore tamen, qui opera ac ſtudio eorũ, qui Sirmii in unum convenerant, ad eam rem impulſus erat, ad conciliũ accerſitus eſt. Siquidem arbitrabantur, ſi vel perſuaſione, vel vi, eum qui vir tam illuſtris erat, & ab omnibus mirificè laudatus, ad ſuæ ſententię ſuffragandum poſſent inducere, fore ut ipſorum dogma teſtem locupletem haberet. Vt primum igitur Sirmii coacti ſunt (proximus hic quidẽ annus erat poſt conſulatum Sergii & Nigriani, in quo nullus conſul, vel ex Oriente, vel ex Occidente, propter ſtatum reip. à tyrannis tum fortè perturbatum, deſignatus eſt) primũ, Photinum abdicarunt, utpote opinioni Sabellii & Pauli Samoſateni faventem. Deinde, contra ea, quæ ante in conciliis fuerant decreta, tres fidei formulas ediderunt, quarum unam Græcè, reliquas duas Latinè conſcribebant: quæ in multis neq; ipſæ ſibi, neq; formulis antè compoſitis, vel verbis vel ſenſu conſentiebant. Atque eſt illud quidem intelligendum, formulam Græcè ſcriptam, filium Patri neque conſubſtantialem, neq; ſubſtantia ſimilem aſſeruiſſe: ſed illis qui dicerent eum ſine principio eſſe, aut eſſentiam Dei velut dilatatam illum procreaſſe, aut eum patri honore parem & non inferiorem ſentirent, anathema indixiſſe. Alteram autem quæ Latino ſermone ſcripta erat, tum de οὐσία, quam Latini ſubſtantiam vocant, tum utrum filius Patri conſubſtantialis, aut ſubſtantia ſimilis ſit, vetuiſſe diſſerere: propterea illæ neque in ſanctis reperiuntur ſcripturis, neque hominum cogitatione, aut intelligentia facilè comprehendi poſſunt. Quin etiam præcepiſſe, ut omnes confiterentur Patrem Filio honore, dignitate, deitate, & ipſo nomine paterno maiorem eſſe: atque putarent, Filium cum cæteris omnibus creaturis patri ſubiectum eſſe: & Patrem nullum habere principium: Filiique generationem omnibus, præterquam Patri ſoli, incognitam eſſe. Fertur vero cum hæc formula iam edita eſſet, Epiſcopos laboraſſe, uti eam tanquam temere & impudenter compoſitam revocarent, eo conſilio ut corrigerent: Imperatoremque idem ipſum mandaſſe, atque ſupplicium minatum eſſe illis ſe inflicturum, qui eam occultarent. Verum cum ſemel edita eſſet,

Digitized by Google

Sozomeni. in occulto latére non potuit. Tertiam vero formulam ſenſu cum aliis formulis iam olim editis penitus conſenſiſſe, præterquam quod ſubſtantiæ nomen ſuſtulit: hancque cauſam, cur id fecerit, attuliſſe, quæ eſt fere verbis explicata. Quoniam nomen ſubſtantiæ, quod à patribus ſimplici animo in formula fidei poſitum eſt, à vulgo autem incognitum, non parum propterea attulit offendiculi, quod in literis ſacris non extat: idcircò placuit concilio, ut tolleretur, & nulla omninò mentio fieret illius, præſtantia enim aut Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti, ne nominari quidem debet. Itaque nos, ſicut literæ ſanctæ loquuntur, filium Patri ſimilem dicimus. Atque hæc quidem de fide, præſente ipſo Imperatore, decreta fuere. Oſius vero in initio quidem iſtis conſentire renuit: at poſt vi compulſus, & verberibus, ut fama eſt, licet ſenex, graviter cæſus, conſenſit, eisdemque ſubſcripſit. Placuit præterea concilio, poſtquam Photinum abdicaverat, eius animum attentare, ſi quo modo poſſet à priore ſententia deduci. At ille, tametſi Epiſcopi eum ad hoc cohortabantur, & Epiſcopatum, ſi propriam ac ſuam reiiceret opinionem, atque ipſorum formulis fidei ſuffragaretur, ei reddituros promittebant: tamen induci non potuit, ſed ad diſputationem eos provocavit. Quare cum Epiſcopi ad certum & ſtatutum diem in unum conveniſſent, & iudices quidam, qui & doctrina & autoritate eo tempore primas in palatio obtinere viderentur, ex mandato Imperatoris concilio præſiderent, Baſilius Epiſcopus Ancyræ partes ſuſcipit contra Photinum diſputandi. Ac cum diſſerendi certamen propter multa ac varia utriusque tum interroganda, tum reſponſa longius procederet, & celeres ſcribæ rationes utrinque allatas exciperent, Baſilius ſuperior diſceſſit. Photinus autem condemnatus exilio, ne ſic quidem ſuam opinionem defendere deſtitit: ſed libros tum Latino tum Græco ſermone conſcriptos edidit, quibus non ſuam modò, verum etiam falſas aliorum opiniones probare oſtendereque laboravit.

Ruffini. XVI. Rvffinvs temporum illorum conditionem deſcribit, etiamſi Sirmienſis Synodi ſigillatim non meminerit, *Hiſt. Eccleſ. lib.1. cap.18.19.20. T.1. operum p.* 208. *& ſeqq.* Cum Magnentii ſcelere Imperator Conſtans regno ſimul & vita fuiſſet exemtus,

rurſum

Digitized by Google

rurſum in Athanaſium veteres illi incentores principis odia re- *Ruffini.*
ſuſcitare cœperunt. Fugatoque de Eccleſia, in locum eius Georgium quendam perfidiæ & immanitatis ſuæ ſocium mittunt. Nam prius quendam Gregorium miſerant. Rurſum fuga, rurſum latebræ & edicta adverſum Athanaſium principis per omnem locum ponuntur, præmia & honores delatoribus pollicentia. Ipſe quoq; cum ob vindictam necis fraternæ, regnumque recuperandum ad Occidentis partes veniſſet, & extincto tyranno, regni ſolus arce potiretur, fatigare Occidentales Epiſcopos, & per deceptionem ad conſenſum Arianæ hæreſeos cogere aggreditur. Athanaſii prius condemnatione præmiſſa, & velut obicis validiſſimi obiectione ſublata. Ob hoc apud Mediolanum Epiſcoporum concilium convocatur, plures decepti: Dionyſius vero Euſebius, Paulinus, Rhodanius, & Lucifer, dolum in negotio eſſe proclamantes, aſſerentesque quod ſubſcriptio in Athanaſium, non aliam ob cauſam, quam deſtruendæ fidei molitetur, in exilium truſi ſunt. His etiam Hilarius iungitur, cæteris vel ignorantibus, vel non credentibus fraudem. Sed tali conſilio geſtum fuiſſe negotium, rei exitus docuit. Illis namque de medio ſublatis, continuo Synodus apud Ariminum congregatur, ibi ſecundum ea, quæ Orientales apud Seleuciam compoſuerant callidi homines & verſuti, ſimplices & imperitos Occidentalium ſacerdotes facilè circumveniunt, hoc modo proponendo eis, ὁμοούσιον in Chriſtum? Illisque virtutem verbi quid ὁμοούσιον ſignificaret ut ignorantibus, velut in faſtidium quoddam & execrationem ſermo deductus eſt, Chriſto ſe credere, non ὁμοούσιον confirmantibus. Sic multorum præter paucos, qui ſcientes prolapſi ſunt, animi decepti, contra ea quæ Patres apud Nicæam conſcripſerant, venientes, ὁμοούσιον quaſi ignotum & à Scripturis alienum ſermonem auferri de fidei expoſitione decernunt, communionemque ſuam hæreticorum ſocietate commaculant. Ea tempeſtate facies Eccleſiæ fœda & admodum turpis erat. Non enim ſicut prius ab externis, ſed à propriis vaſtabatur. Fugabat alius, alius fugabatur, & uterque de Eccleſia erat. Ara nusquam, nec immolatio, nec libamina: prævaricatio tamen & lapſus erat, ac ruina multorum. Similis pœna, ſed impar victoria. Similiter

Digitized by Google

cruciabantur, ſed non ſimiliter glorificabantur: quia dolebat Eccleſia etiam illius caſum, qui impellebat ad lapſum &c.

Vincentii Lirinenſis. XV. VINCENTIVS LIRINENSIS negotium Photini tangit *in Commonitorio cap. 16.* Vt Neſtorium prætereamus, in quo plus ſemper admirationis, quam utilitatis, plus famæ, quam experientiæ fuit: quem opinione vulgi aliquamdiu magnum humana magis faceret gratia, quam divina: eos potius commemoremus, qui multis profectibus, multaque induſtria præditi, non parvæ tentationi Catholicis hominibus exſtiterunt: velut apud Pannonios maiorum memoria Photinus Eccleſiam Sirmitanam tentaſſe memoratur. Vbi cum magno omnium favore in ſacerdotium fuiſſet aſcitus, & aliquandiu tanquam Catholicus adminiſtraret: ſubito, ſicut malus ille Propheta, aut ſomniator, quem Moyſes ſignificat, creditam ſibi plebem Dei perſuadere cœpit, ut ſequeretur Deos alienos, id eſt, errores extraneos; quos antea neſciebat. Sed hoc uſitatum: illud vero pernicioſum, quod ad tantum nefas non mediocribus adminiculis utebatur. Nam erat & ingenii viribus valens, & doctrinæ opibus excellens, & eloquio præpotens. quippe qui utroque ſermone copioſe & graviter diſputaret & ſcriberet: quod monumentis librorum ſuorum manifeſtatur, quos idem partim Græco, partim Latino ſermone compoſuit. Sed benè, quod commiſſæ ipſi oves Chriſti, multum pro Catholica fide vigilantes & cautæ, cito ad præmonentis Moyſis eloquia reſpexerunt, & Prophetæ atque paſtoris ſui licet admirentur eloquentiam, tentationem tamen non ignorarunt. Nam quem antea quaſi arietem gregis ſequebantur, eundem deinceps veluti lupum fugere cœperunt.

Vigilii. XVI. VIGILIVS contra Eutychen *lib. 5.* Primò, quidem apud Alexandriam Athanaſius, Euſebius, Lucifer per legatum, & aliquanti, qui nuper de exilio fuerant reducti, convenientes, quanquam eſſent numero pauci, ſed meritis magni, pleniſſimam contra Macedonium, de Sancti Spiritus Deitate confeſſionis regulam conſcripſerunt. Eiuſdem eum, cuius Pater eſt & Filius, ſubſtantiæ demonſtrantes: contra quos ille, ſicut & iſti faciunt, Niceni Concilii auctoritate nitebantur, adſerens eos à Patrum ſententiis declinaſſe, nova, &, ut ipſe dicebat, impia de Spiritu Sancto decer-

decernendo, quæ ibi conſtant tradita non fuiſſe. Quaimpietatis præſcriptione Apollinaris quoque de incarnati Verbi peſſima interpretatione contra Eccleſiam utitur. Deinde adverſus ſacrilegam impiæ profeſſionis unitatem, quæ per Oſium, Valentem, Vrſatium, & Geminium, cæteroſque ſimilis pravitatis apud Syrmium fuerant conſcripta, univerſi Orientales Epiſcopi convenientes, alias, id eſt, duodecim ſententiarum definitiones ediderant, quæ Nicæno Concilio non continentur. Item apud Sardicam omnium provinciarum Epiſcopi congregati, id eſt, ex urbe Roma, Hiſpaniis, Galliis, Italia, Campania, Calabria, Africa, Sardinia, Pannonia, Myſia, Dacia, Dardania, altera Dacia, Macedonia, Theſſalia, Achaia, Epiris, Thracia, Rhodope, Aſia, Caria, Bithynia, Helleſponto, Phrygia, Piſidia, Cappadocia, Ponto, Cilicia, altera Phrygia, Pamphylia, Lydia, inſulis Cycladibus, Ægypto, Thebaide, Lybia, Galatia, Palæſtina, & Arabia. Hanc, inquiunt, expoſuimus fidem, in qua reperiuntur ſeptem definitionum capitula Nicænæ expoſitioni addidiſſe, quæ illi negabant, contra quos concilium fuerat congregatum. Illius verò *Catholici Concilii apud Syrmium contra Fotinum*, ex toto Oriente congregati, quis ſufficiat multiplices fidei ſanctiones comprehendere, quæ apud Nicænam Synodum; quia talis rei neceſſitas fuerat, nulla non ſunt omninò ſancita, quæ nullus fidelium audet reſpuere, aut cunctatur recipere, ſi non vult cum Fotino anathematis eorum ſententiæ ſubiacere?

XVII. Cassiodorus *in hiſt. Tripart. lib. 5. cap. 6.* Tumultu ſurgente, iuſſit Imperator concilium in Sirmio congregari. Convenitque illic ex Orientalibus quidem Marcus Arethuſæ, & Georgius Alexandrinus, quem remoto Gregorio ordinaverant Ariani. Venit etiam Baſilius expulſo Marcello Ancyræ præſule, Pancratius Peluſii, Hypatianus Heracliæ. Occidentalium verò Valens Myrſenus, & tunc celeberrimus hominum Oſius Cordubæ Pontifex, pariter invitus. Iſti ſiquidem poſt conſulatum Sergii & Nigriani (quo anno propter bellorum turbas nullus conſulum fuerat ſolenniter ordinatus) convenerunt in Sirmio. Et Photinum (dogma Sabellii Libyenſis, & Pauli Samoſateni, ſæpè cognoſcentes) repentè damnaverant. *Caſſiodori.*

G *Et cap.*

Caſſiodori. *Et cap.* 7. Poſthæc de fide propoſitiones ediderunt, unam Græcè, alteram Latinè, multum ſibimet textu ſenſuque concordes. Tunc etenim quaſi antiqua fidei dogmata reprehendentes, alias propoſitiones de fide ſànxerunt. Et unam quidem Attica lingua Marcus edidit Arethuſæ, ſed cum Romana lingua concordiam non habentem, neque ſermone neque compoſitione, ſed nec ipſi Græcitati convenientem. Vnam itaque Latinè à Marco compoſitam hic ſubiungam: Secundam verò quam in Arimino poſtea relegerunt, loco proprio ponemus: cum ea, quæ ibi geſta ſunt, dixerimus, utraque tamen in Græcam linguam converſa eſt. *Et cap.* 8. Sciendum tamen quoniam in Sirmio convenientes Epiſcopi pœnitentia ducti ſunt de expoſitione fidei Latina lingua prolatæ. Poſt editionem namque ſibi eam contrariam iudicabant. Quam ſtuduerunt ab Epiſcopis, qui eam iam deſcripſerant reddi, quoniam celabatur à plurimis. Imperator autem edictis quæri præcepit editionem iſtam, ſupplicium minatus, ſi quis eam celaſſe comperiretur. Sed neque terror deſtruere potuit, quod ſemel fuerat inſtitutum; eò quòd apud multos haberetur.

Nicephori Calliſti. XVIII. NICEPHORVS CALLISTVS *Xantopulus hiſt. Eccleſ. lib. 9. cap.* 31. Conſtantius, cum Sirmii eſſet, Photini dogma in diſquiſitionem adduxit. Qui eloquens quidem, & ad perſuadendum idoneus, Eccleſiæque Sirmienſis Antiſtes fuit: nova autem hæreſi inſtituta, multos in ſententiam ſuam pertraxerat quam etiam in Imperatoris præſentia propalam & libere propromulgabat. Dogma eius erat, unum eſſe Deum omnipotentem, qui verbo ſuo univerſitatem hanc conſtituerit. Ante ſecularem verò verbi generationem & exiſtentiam prorſus negabat. Ex Maria autem Chriſtum initium ſumpſiſſe docebat. Eo dogmate ubiq; locorum divulgato, univerſi tàm in Oriente quàm in Occidente Epiſcopi, ſive Nicænam ſequerentur fidem, ſeu Arianam complecterentur ſententiam, graviter id tulere, quod ex æquo contra omnes, novas res inducere exiſtimaretur. Ne ipſe quidem Imperator mediocriter diſſidiò eo eſt commotus. Quapropter etiam Concilium ibi coëgit. Convenere eò ex Oriente Epiſcopi, Marcus Arethuſius, Georgius Alexandrinus, quem

Digitized by Google

quem Ariani miſerant: Baſilius Ancyranus, Pancratius Peluſius, *Nicephori*
& Hypatianus Heracleotes. Ex Occidente, Valens Murſorum, *Calliſti.*
& propter virtutem magnus Hoſius Cordubæ Hiſpaniæ urbis Epiſcopus, confeſſor, & Nicænæ Synodi particeps, qui quidem perinvitus tum Sirmii affuit. Arianorum enim dolo non dudum antea in exilium pulſus, annitentibus eis, qui Sirmium convenerant, Imperiali edicto reductus fuerat. Speraverant enim illi, ſi is ſuffragator eorum ſive perſuaſione ſeu vi fieret, multum eum ad conſtituendum ſtabiliendumque dogma eorum momenti allaturum eſſe: ut qui ſpectatæ fidei teſtis, & veluti miraculum quoddam eius ætatis hominibus haberetur. Verum ubi aſſentiri eis renuit, varios rurſum contracto iam extenuatoque graviore ætate corpore ſuſtinuit cruciatus; adeo ut ad fidiculas & verbera pervenerit. Quibus ille coactus, tribus eorum formulis aſſenſit & ſubſcripſit. Sed enim Synodus, quum Photinum cum Sabellio Libyco & Paulo Samoſateno facere eademque docere manifeſtò deprehendiſſet, ſtatim ei Epiſcopalem abrogavit dignitatem. Quod ſanè ut ritè atque ordine factum, & tum & poſtea omnes complexi ſunt, & comprobatione debita dignum iudicarunt. Cæterum illi diutius ibi manentes, perinde atque priores fidei formulas damnarent, tres alias promulgarunt. Atque unam quidem Græca lingua Marcus Arethuſius compoſuit, reliquæ Latino ſermone fuerant conſcriptæ: quæ ſimul & verbis & eorum ſtructura atque compoſitione ab Arethuſii expoſitione prorſus diſſidebant. Quin neque eadem quæ priores formulæ complectebantur. Græca namq; neq; ὁμοούσιον conſubſtantialem, neq; ὁμοιούσιον æqui-ſubſtantialem patre filium dicebat. Itidē v. & altera Latina de ſubſtantia agens, ὁμοούσιον conſubſtantialē iuxta & ὁμοιούσιον æquiſubſtantialē omninò dicendum eſſe inhibebat: ut quæ verba neq. in ſcripturis S. uſpiam invenirentur, neque notitiis primis aut cognitione hominum perciperentur. Conſtituit ſanè, Patrem maiorem dicendum eſſe, cum honore & dignitate & divinitate, tum ipſo paternitatis nomine. Decernit etiam cum omnibus, filium ſubiectum eſſe Patri. Et principii quidem expertem eſſe Patrem, omnibus verò (Patre excepto) Filii generationem eſſe incognitam. Quam formu-

Digitized by Google

Nicephori Calliſti. lam,ut minus rectè compoſitam, poſteaquā multis promulgata traditaque fuerat. Epiſcopi retractare contenderunt. Et Imperator ipſe id ſeriò, coërcitionem eis & pœnam, qui eam in lucem prolatam non reddidiſſent minatus, mandavit. Verum ea, quod in multorum manus pervenerat, non prorſus eſt abolita. Alteram quidem ex Latinis, ei quæ ab Arethuſio Marco edita eſt, connexam, in præſentia referam &c. *Et poſt.* Hæc ea formula eſt, cui ut Photinus etiam poſt Epiſcopatus abrogationem aſſentiretur, & ſubſcriberet, hominem ſunt hortati: dignitatem ſe ei Epiſcopalem unà cum throno reddituros polliciti, ſiquidem per pœnitentiam, quæcunque perperam docuiſſet, anathemate iugularet. Ille ne audire quidem hoc ſuſtinuit, ſed eos ad diſputationem provocavit. Et iuſſu Imperatoris die dicta in locum unum quicunque doctrina, eloquentia & honore antecellere alios videbatur, convenientibus, conditionem diſputandi accepit Baſilius, qui tum Ancyranam curabat Eccleſiam. Concertatio eius longius producta & notarii celeres utriuſque dictata exceperunt: quibus longè ſuperior fuiſſe exiſtimatus eſt Baſilius. Porrò Photinus ad exilium eſt damnatus.

Philaſtrii. XIX. PHILASTRIVS *hæreſi* 37. Photinus doctrinam Pauli Samoſateni ſecutus in omnibus ſimiliter prædicabat, inque hoc mendacio perſeverans proiectus eſt de Eccleſia Sirmienſium civitatis, à ſanctis Epiſcopis ſuperatus. Sufficiant hæc ex antiquitate teſtimonia.

SECTIONIS I. CAP. II.

SYLLABVS teſtimoniorum Pontificiorum de Concilio Sirmienſi.

POſt teſtimonia antiquitatis, placet etiam addere Pontificiorum variantia de Syrmienſi ſynodo iudicia.

Ioh. Sagittarii probantis. I. JOHAN. SAGITTARIVS Burdegalenſis *in Canon. Concil. pag.* 51. Concilii Sirmienſis nihil ſupereſt præter confeſſionem

nem fidei divinam & elegantem de ſanctiſſima Trinitate, adverſus omnes hæreticos, præſertim verò Arrianos. *Sagittarii*

Barthol. Carranza *in ſumma Concil. f. 59. fac.b.* Paulò poſt iuſſit Imperator; Conſtantius in Syrmio congregari Concilium, in quo tradiderunt regulas fidei orthodoxas contra Arrium, in quibus interpretati ſunt locum illum Gen. 19. *Pluit Dominus à Domino*, ut ſit ſenſus, Non quod ipſe Pater à ſemetipſo pluere dicatur, ſed pluit Dominus Filius à Domino Patre. De hoc Concilio habetur *hiſt. trip. lib. 5. c. 3.* &c. adfuit Oſius Epiſcopus Cordubenſis, ut refertur in hiſtoria prædicta. *B. Carrãza probantis.*

II. Gilb. Genebrardus *Chronol. pag.* 420. Sardicenſe Concil. 1. rogatu Conſtantis, & permiſſu Conſtantii agitur, ann. 10. poſt mortem Conſtantini Patris: Confirmatum eſt in Trullo, ut Catholicum. Damnatum tamen in Syrmienſi eo nomine, quod Athanaſium abſolviſſet. *Sulp. lib.* 2. Nam aſtutè Arriani innoxium Athanaſium in illo criminoſis Marcello & Photino miſcuerunt, ne putarentur perperam de Athanaſio iudicaſſe, qui de Marcello & Photino vera ſenſiſſent. *ibid.* Quin & *erat Arrianum.* Nam in eo *tres fidei formulas* Epiſcopi protulerunt, in quibus diverſis verbis, remota *ſubſtantiæ* mentione, filium Patri ſimilem affirmarunt, nondum auſi diſſimilitudinem aſſerere. Hi cum verbis ab Ario diſſentirent diſſimilitudinem inducente, ſed re conſentirent, *Semi Ariani* dicti ſunt. *Gilb. Genebrardi reprobantis.*

III. Rob. Bellarminus *l. 1. de Chriſto. cap. 9. §. ad Canonem.* Neſcio quantam autoritatem habeat Concilium hoc *Syrmienſe*, videtur enim mihi magis toleratum; quam approbatum. Certè apud Gratianum *diſt.* 16. & 20. ubi concilia catholica enumerantur, nulla fit mentio Syrmienſis.. Idem *lib. 1. de Conc. cap.* 7. Inter concilia partim confirmata, partim reprobata ſecundum eſt Concilium *Syrmienſe*, quod celebratum eſt annis quinque poſt Sardicenſe, hoc eſt, anno Domini 356. Liberio ſummo Pontifice, & Conſtantio Imperatore. In hoc enim Concilio *duæ formulæ fidei* diſſentientes inter ſe editæ ſunt. Vnam compoſuit Græcè Marcus Arethuſius, qui poſtea ſub Iuliano illuſtre martyrium pertulit; quæ quidem ea eſſe videtur, quam Hilarius in libro de Synodis propè extremo, ut Catholicam *R. Bellarmini, partim probantis, partim reprobantis, nullius momenti dicentis.*

Bellarmini. licam explicat. Alteram alii compoſuerunt Latinè, plenam aperta blaſphemia, quam Hilarius reprehendit in libro de Synodis; non procul ab initio. In eodem etiam Concilio Photini hæreſis damnata eſt, quam damnationem omnes Eccleſiæ probaverunt. Vide Socratem *lib.* 1. *cap.* 24. *& ſequentibus*, & Sozomenum *lib.* 4. *cap.* 5. *& 6.* vide etiam Epiphanium *hæreſi* 71 qui tamen in eo lapſus videtur, quod Sardicam pro Syrmio acceperit. Idem de Conciliis *lib.* 2. *cap.* 19. §. *Tertium eſt.* Concilium Syrmienſe *præcipuè Arianorum* fuit, & nullius momenti.

Ant. Poſſeuini. IV. ANTON. POSSEVINVS repetit Bellarmini verba in apparatu V. *Syrmienſe.*

Bened. Pererii, partim probātis, partim reprobantis. V. BENED. PERERIVS *in Geneſ cap.* 19. *diſput.* 4. *pag.* 643. §. *At enim Patres.* Sirmienſe Concilium etiam anno ab ortu Domini noſtri trecenteſimo quinquageſimo ſexto, Conſtantio Jmp. & Liberio Papa congregatum: de cuius congregandi proceſſu, exituque legenda eſt Socratis hiſtoria *lib* 2 *cap.* 25. & Sozomeni *lib.* 4. *cap.* 5. In eo autem Concilio decernitur, verba illa: *Pluit Dominus à Domino*, omninò eſſe intelligenda de DEO Patre, & Filio DEI. Dominus enim Filius pluit à Domino Patre, à quo ſcilicet, ut ſubſtantiam habet, ita poteſtatem faciendi quodlibet. Nam ſicut ipſe Filius dixit Joan. 5. *Non poteſt Filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem: quæcunque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit.* Nec ſatis fuit ei Concilio, huiuſmodi expoſitionem auctoritate ſua firmare; ſed inſuper eam interpretationem, quam Hebræorum atque Toſtati & Caietani eſſe diximus, anathematizat. Verba eius Concilii & Canonis huiuſmodi ſunt: *Si quis illud, quod ſcriptum eſt: Pluit Dominus à Domino non de Patre & Filio perceperit, ſed DEVM Patrem à ſeipſo pluiſſe dixerit, anathema ſit; pluit enim Dominus Filius à Domino Patre.* Non de fide iſtius Concilii videtur ambigendum: *tum quia* damnatio hæreſis Photini in eo concilio facta deinceps conſequentibus in conciliis approbata fuerit, tum quod id concilium B. Hilarius in eo libro, quem ſcripſit *de Synodis*, ut Catholicum ac ſincerum commemorat & explanat. Ergô dicet quiſpiam, prior illa expoſitio eorum verborum, poſt illud con-

Digitized by Google

concilium, probari ac defendi nullo modo potuit, ſed ut hæretica prorſus damnanda fuit. Minimè verò. Quis enim facilè credat, Toſtatum & Caietanum, viros maximè catholicos & doctos, quod iſtiuſmodi expoſitionem ſecuti ſint, fuiſſe obnoxios Anathemati? Proinde, quod verum illius Decreti Syrmienſis intellectum capiamus, ſcire convenit, Patres, qui in concilio fuerunt, id principaliter egiſſe, ut hæreſim Photini Epiſcopi eius civitatis, adverſus quem illud vocatu Conſtantii Imperatoris convenerant, penitus damnarent. Photinus porrò dicebat, *Chriſtum fuiſſe tantum hominem, nec ante matrem extitiſſe, & teſtimonia veteris Scripturæ de Chriſti Divinitate & æternitate à Patribus interpretata, ea ipſe ad ſolum Deum Patrem referebat*: ut hoc, *Pluit Dominus à Domino*, ſic exponebat: *Pluit Dominus Pater à ſeipſo*. Patres igitur, qui in eo concilio erant, illam Photini expoſitionem damnarunt, non ut per ſe falſam, & nullo modo probabilem; ſed ad mentem & intentionem Photini, utentis ſcilicet ea ad obſcurandam, delendamque Chriſti æternitatis & divinitatis fidem. At ne quiſpiam fortaſſe ſuſpicetur, hoc me arbitratu, ſenſuque meo finxiſſe, audiat B. Hilarium, ſimiliter, ut dixi, mentem ac ſententiam illorum Patrum enarrantem. Exponens enim rationem, cur diverſam expoſitionem illorum verborum: *Pluit Dominus à Domino*, tam ſevero & atroci decreto damnarint, hunc in modum ſcribit: *Hæc quia Photinus, adverſusquem tunc conventum erat, negaverat: propterea inſerenda confeſſioni Fidei fuerunt; ne quis auderet Dei Filium non antequam Virginis Filium fuiſſe prædicare, & ſuperiora Scripturæ teſtimonia, ſtultiſſima hæreticæ inſaniæ perverſitate, Deo innaſcibili coaptaret: & dum hæc ad Patrem refert, Filio divinam æternamque ſubſtantiam denegaret.* Sic Hilarius. Sciat præterea Lector, concilium illud poſtea fuiſſe probatum non quantum ad omnia, ſed quantum ad confeſſionem Fidei de divinitate & æternitate Chriſti adverſus Photinum. Et huius quidem confeſſionis laudata & approbata eſt ſententia Patrum, non tamen modus loquendi, nec argumentandi ratio, qua Patres illi ſunt uſi, perinde probata eſt. Etenim illi dixerunt, *Chriſtum ſecundum unitatem non eſſe comparandum, nec æquandum Patri*: dixerunt item, *Chriſtum, etiam qua Deus eſt, ſubie-* *Pererii.*

Pererii. *ſubiectum eſſe Patri, & in creatione mundi fuiſſe ei obſequentem atque miniſtrantem.* Quæ ſanè locutiones, ut molliter dicam, admodum impropriæ ſunt: & accepta, ut verba ſonant, planè ſonant Arianiſmum. Quo circa B. Hilarius ſedulò curavit; iſtiuſmodi locutiones in bonam ſententiam piè interpretando, ad ſanum rectumque conformare intellectum. Quid? quod Patres illi anathematizant eos, qui negaverint, *eum, qui apparuit Abraham, & qui luctatus eſt cum Iacob, fuiſſe Filium Dei?* Voluit enim ex eo concludere in Photinum, fuiſſe Chriſtum non tantum hominem, nec ſolum eſſe cœpiſſe poſt ortum ex matre. Atqui iam pridem longè probabilior apud Theologos eſt ſententia, quæ tradita eſt à B. Dionyſio Areopagita, & à S. Thoma, & Scholaſticis Theologis magno conſenſu probata; & illas apparitiones, omneſque alias in Veteri Teſtamento factas fuiſſe per angelos proximè adminiſtratas & peractas. Licet in quibusdam, Angeli auctoritatem Dei repræſentantes, ita locuti ſint, ut ſi Deus ipſe loqueretur. Hæc propterea ego ſuper eo concilio pluribus verbis ſcripſi, ne quis fortè propter eius concilii autoritatem, expoſitionem illam Hebræorum placitam Toſtato & Caietano hæreſis notâ inurendam eſſe exiſtimaret.

Gabr. Vaſquez, reprobantis. VI. GABR. VASQVEZ *Tom.* II. *in* I. *Thomæ diſput.* 108. *cap.* I. *num.* 5. Photini Epiſcopi Sirmienſis errorem cum tàm catholici, quam Ariani ægrè ferrent, quod Trinitatem perſonarum omninò negaret, ab Imperatore Conſtantio obtinuerunt; ut concilium Sirmium convocaret, in quo Epiſcopi volentes damnare Photinum, Ariani hæreſi adhæſerunt. *Et diſput.* 109. *c.* 5. *n.* 24. Duo illa concilia Ariminenſe & Sirmienſe legitima non fuerunt. *Et diſput.* 160. *cap.* 4. *n.* 14. Hilarius videtur docere, eſſe in Deo voluntatem generandi, ut principium generationis: libro enim *de Synod.* in defenſionibus profeſſionum catholicarum contra Photinum, definit. 25. inquit, *Si quis nolente Patre natum dicat Filium, anathema ſit: non enim coactus Pater vel naturali neceſſitate ductus genuit filium, ſed mox ut voluntate.* Verum hæc definitio nullius eſt momenti. Eſt enim concilii Sirmienſis, quod fuit Arianum, & in ea, ſicut in multis errorem ipſum

Arrii

Arii expreſſit. Et *diſputat.* 185. *cap.* 2. Concilium Sirmienſe nullius eſt momenti.

VII. Card. Baron. *Tom.* 3. *ann. Chr.* 357. *n.* 1. *& ſeqq. uſq; ad* 34 de Concilio Sirmienſi diſputat. *Num.* 1. vocat illud *conventiculum Satanæ.* & *in annum. Chr.* 357. incidere conatur probare. *Num.* 2.3.4.5.6.7.8. docet, quomodo Conſtantius Imperator cum ſuis Arianis Catholicus videri voluerit, & ob id contra hæreſes, inprimis Photini, magnum præ ſe zelum tulerit. Vnde in Synodo confeſſio prima edita, orthodoxis grata fuerit, quam Marcus Arethuſius Epiſcopus ſcripſerit. *Num.* 9.10.11. eundem Marcum Arethuſium à ſuis dira paſſum, clariſſimo martyrio coronatum, appellatum à Greg. Nazianzeno *virum eximium & ſacroſanctum ſenem,* ab Epiphanio *hæreſ.* 75. Semiarianis accenſum fuiſſe, docet Baron. *ann. Chr.* 326. *num.* 151 152. 153. Secundam Sirmienſem Confeſſionem planè Arianam fuiſſe & ita manifeſtam, ut etiam Conſtantio diſplicuerit, mutandaque fuerit, notat *ann. Chr.* 357. *num.* 11.22.23. Docet etiam, quomodo Oſius, præſtantiſſimus Divinitatis Filii Dei in Conc. Nic. aſſertor, vi ſumma Sirmii adactus, ſymbolo illi ſubſcripſerit, turpiter ceciderit, ſed poſt reſurrexerit, ſanctiſſimeque obierit. Docet tandem & tertiam confeſſionem editam, qua emendatus ſit deformis error ſecundæ Sirmianæ profeſſionis, per Oſium & Potamium editæ ſive ſubſcriptæ, *Num.* 25.26.27.28. Sequitur H. Spondanus & Johan. Bapt. Biſciola *in epit. h. l.*

Caſ. Baronii reprobantis.

VIII. Severinus Binius *ad h. C. Anno* Chriſti 357. qui eſt 6. Liberii & 21. Conſtantii, hanc Synodum Sirmii celebratam eſſe, Socratis *lib.* 2. *cap.* 24. Sozomeni *lib.* 4. *cap.* 5. teſtimonio & auctoritate probatur. Scribunt enim hanc Synodum habitam fuiſſe eo tempore, quo Oſius Cordubenſis Epiſcopus ad ſubſcribendum Athanaſii condemnationi, & Sirmienſi profeſſioni fidei coactus fuit. Cum igitur teſtimonio Athanaſii *Epiſt. ad Solit.* poſt relegatum anno Chriſti 355. Liberium in fine eiuſdem anni ad ſubſcribendum accerſitus, integro anno Sirmii pro exilio detentus fuerit, neceſſe eſt affirmare, hoc Concilium, cuius impiæ profeſſioni per vim & metum ſubſcripſit, prædicto tempore celebratum fuiſſe. Secundò aſſertione S. Hilarii *de Syn-*

Sever. Binii reprobantis.

cruciabantur, ſed non ſimiliter glorificabantur: quia dolebat Eccleſia etiam illius caſum, qui impellebat ad lapſum &c.

Vincentii Lirinenſis. XV. VINCENTIVS LIRINENSIS negotium Photini tangit *in Commonitorio cap. 16.* Vt Neſtorium prætereamus, in quo plus ſemper admirationis, quam utilitatis, plus famæ, quam experientiæ fuit: quem opinione vulgi aliquamdiu magnum humana magis faceret gratia, quam divina: eos potius commemoremus, qui multis profectibus, multaque induſtria præditi, non parvæ tentationi Catholicis hominibus exſtiterunt: velut apud Pannonios maiorum memoria Photinus Eccleſiam Sirmitanam tentaſſe memoratur. Vbi cum magno omnium favore in ſacerdotium fuiſſet aſcitus, & aliquandiu tanquam Catholicus adminiſtraret: ſubito, ſicut malus ille Propheta, aut ſomniator, quem Moyſes ſignificat, creditam ſibi plebem Dei perſuadere cœpit, ut ſequeretur Deos alienos, id eſt, errores extraneos; quos antea neſciebat. Sed hoc uſitatum: illud vero pernicioſum, quod ad tantum nefas non mediocribus adminiculis utebatur. Nam erat & ingenii viribus valens, & doctrinæ opibus excellens, & eloquio præpotens. quippe qui utroque ſermone copioſe & graviter diſputaret & ſcriberet: quod monumentis librorum ſuorum manifeſtatur, quos idem partim Græco, partim Latino ſermone compoſuit. Sed benè, quod commiſſæ ipſi oves Chriſti, multum pro Catholica fide vigilantes & cautæ, cito ad præmonentis Moyſis eloquia reſpexerunt, & Prophetæ atque paſtoris ſui licet admirentur eloquentiam, tentationem tamen non ignorarunt. Nam quem antea quaſi arietem gregis ſequebantur, eundem deinceps veluti lupum fugere cœperunt.

Vigilii. XVI. VIGILIVS contra Eutychen *lib. 5.* Primò, quidem apud Alexandriam Athanaſius, Euſebius, Lucifer per legatum, & aliquanti, qui nuper de exilio fuerant reducti, convenientes, quanquam eſſent numero pauci, ſed meritis magni, pleniſſimam contra Macedonium, de Sancti Spiritus Deitate confeſſionis regulam conſcripſerunt. Eiuſdem eum, cuius Pater eſt & Filius, ſubſtantiæ demonſtrantes: contra quos ille, ſicut & iſti faciunt, Niceni Concilii auctoritate nitebantur, adſerens eos à Patrum ſententiis declinaſſe, nova, &, ut ipſe dicebat, impia de Spiritu Sancto decer-

ecernendo, quæ ibi conſtant tradita non fuiſſe. Qua impietatis præſcriptione Apollinaris quoque de incarnati Verbi peſſima interpretatione contra Eccleſiam utitur. Deinde adverſus ſacrilegam impiæ profeſſionis unitatem, quæ per Oſium, Valentem, Vrſatium, & Geminium, cæteroſque ſimilis pravitatis apud Syrmium fuerant conſcripta, univerſi Orientales Epiſcopi convenientes, alias, id eſt, duodecim ſententiarum definitiones ediderant, quæ Nicæno Concilio non continentur. Item apud Sardicam omnium provinciarum Epiſcopi congregati, id eſt, ex urbe Roma, Hiſpaniis, Galliis, Italia, Campania, Calabria, Africa, Sardinia, Pannonia, Myſia, Dacia, Dardania, altera Dacia, Macedonia, Theſſalia, Achaia, Epiris, Thracia, Rhodope, Aſia, Caria, Bithynia, Helleſponto, Phrygia, Piſidia, Cappadocia, Ponto, Cilicia, altera Phrygia, Pamphylia, Lydia, inſulis Cycladibus, Ægypto, Thebaide, Lybia, Galatia, Palæſtina, & Arabia. Hanc, inquiunt, expoſuimus fidem, in qua reperiuntur ſeptem definitionum capitula Nicænæ expoſitioni addidiſſe, quæ illi negabant, contra quos concilium fuerat congregatum. Illius verò *Catholici Concilii apud Syrmium contra Fotinum*, ex toto Oriente congregati, quis ſufficiat multiplices fidei ſanctiones comprehendere, quæ apud Nicænam Synodum, quia talis rei neceſſitas fuerat, nulla non ſunt omninò ſancita, quæ nullus fidelium audet reſpuere, aut cunctatur recipere, ſi non vult cum Fotino anathematis eorum ſententiæ ſubiacere?

XVII. Cassiodorvs *in hiſt. Tripart. lib. 5. cap. 6.* Tumultu ſurgente, iuſſit Imperator concilium in Sirmio congregari. Convenitque illic ex Orientalibus quidem Marcus Arethuſæ, & Georgius Alexandrinus, quem remoto Gregorio ordinaverant Ariani. Venit etiam Baſilius expulſo Marcello Ancyræ præſule, Pancratius Peluſii, Hypatianus Heracliæ. Occidentalium verò Valens Myrſenus, & tunc celeberrimus hominum Oſius Cordubæ Pontifex, pariter invitus. Iſti ſiquidem poſt conſulatum Sergii & Nigriani (quo anno propter bellorum turbas nullus conſulum fuerat ſolenniter ordinatus) convenerunt in Sirmio. Et Photinum (dogma Sabellii Libyenſis, & Pauli Samoſateni, ſæpè cognoſcentes) repentè damnaverant. *Caſſiodori.*

 Et cap.

Digitized by Google

Caſsiodori. *Et cap.* 7. Poſthæc de fide propoſitiones ediderunt, unam Græcè, alteram Latinè, multum ſibimet textu ſenſuque concordes. Tunc etenim quaſi antiqua fidei dogmata reprehendentes, alias propoſitiones de fide ſanxerunt. Et unam quidem Attica lingua Marcus edidit Arethuſæ, ſed cum Romana lingua concordiam non habentem, neque ſermone neque compoſitione, ſed nec ipſi Græcitati convenientem. Vnam itaque Latinè à Marco compoſitam hic ſubiungam: Secundam verò quam in Arimino poſtea relegerunt, loco proprio ponemus: cum ea, quæ ibi geſta ſunt, dixerimus, utraque tamen in Græcam linguam converſa eſt. *Et cap.* 8. Sciendum tamen quoniam in Sirmio convenientes Epiſcopi pœnitentia ducti ſunt de expoſitione fidei Latina lingua prolatæ. Poſt editionem namque ſibi eam contrariam iudicabant. Quam ſtuduerunt ab Epiſcopis, qui eam iam deſcripſerant reddi, quoniam celabatur à plurimis. Imperator autem edictis quæri præcepit editionem iſtam, ſupplicium minatus, ſi quis eam celaſſe comperiretur. Sed neque terror deſtruere potuit, quod ſemel fuerat inſtitutum, eò quòd apud multos haberetur.

Nicephori Calliſti. XVIII. NICEPHORVS CALLISTVS *Xantopulus hiſt. Ecclеſ. lib. 9. cap.* 31. Conſtantius, cum Sirmii eſſet, Photini dogma in diſquiſitionem adduxit. Qui eloquens quidem, & ad perſuadendum idoneus, Eccleſiæque Sirmienſis Antiſtes fuit: nova autem hæreſi inſtituta, multos in ſententiam ſuam pertraxerat quam etiam in Imperatoris præſentia propalam & libere propromulgabat. Dogma eius erat, unum eſſe Deum omnipotentem, qui verbo ſuo univerſitatem hanc conſtituerit. Ante ſecularem verò verbi generationem & exiſtentiam prorſus negabat. Ex Maria autem Chriſtum initium ſumpſiſſe docebat. Eo dogmate ubiq; locorum divulgato, univerſi tàm in Oriente quàm in Occidente Epiſcopi, ſive Nicænam ſequerentur fidem, ſeu Arianam complecterentur ſententiam, graviter id tulere, quod ex æquo contra omnes, novas res inducere exiſtimaretur. Ne ipſe quidem Imperator mediocriter diſſidiò eo eſt commotus. Quapropter etiam Concilium ibi coëgit. Convenere eò ex Oriente Epiſcopi, Marcus Arethuſius, Georgius Alexandrinus,

quem

quem Ariani miſerant: Baſilius Ancyranus, Pancratius Peluſius, & Hypatianus Heracleotes. Ex Occidente, Valens Murſorum, & propter virtutem magnus Hoſius Cordubæ Hiſpaniæ urbis Epiſcopus, confeſſor, & Nicænæ Synodi particeps, qui quidem perinvitus tum Sirmii affuit. Arianorum enim dolo non dudum antea in exilium pulſus, annitentibus eis, qui Sirmium convenerant, Imperiali edicto reductus fuerat. Speraverant enim illi, ſi is ſuffragator eorum ſive perſuaſione ſeu vi fieret, multum eum ad conſtituendum ſtabiliendumque dogma eorum momenti allaturum eſſe: ut qui ſpectatæ fidei teſtis, & veluti miraculum quoddam eius ætatis hominibus haberetur. Verum ubi aſſentiri eis renuit, varios rurſum contracto iam extenuatoque graviore ætate corpore ſuſtinuit cruciatus; adeo ut ad fidiculas & verbera pervenerit. Quibus ille coactus, tribus eorum formulis aſſenſit & ſubſcripſit. Sed enim Synodus, quum Photinum cum Sabellio Libyco & Paulo Samoſateno facere eademque docere manifeſtò deprehendiſſet, ſtatim ei Epiſcopalem abrogavit dignitatem. Quod ſanè ut ritè atque ordine factum, & tum & poſtea omnes complexi ſunt, & comprobatione debita dignum iudicarunt. Cæterum illi diutius ibi manentes, perinde atque priores fidei formulas damnarent, tres alias promulgarunt. Atque unam quidem Græca lingua Marcus Arethuſius compoſuit, reliquæ Latino ſermone fuerant conſcriptæ: quæ ſimul & verbis & eorum ſtructura atque compoſitione ab Arethuſii expoſitione prorſus diſſidebant. Quin neque eadem quæ priores formulæ complectebantur. Græca namq; neq; ὁμοούσιον conſubſtantialem, neq; ὁμοιούσιον æqui-ſubſtantialem patre filium dicebat. Itidē v. & altera Latina de ſubſtantia agens, ὁμοούσιον conſubſtantialē iuxta & ὁμοιούσιον æquiſubſtantialē omninò dicendum eſſe inhibebat: ut quæ verba neq. in ſcripturis S. uſpiam invenirentur, neque notitiis primis aut cognitione hominum perciperentur. Conſtituit ſanè, Patrem maiorem dicendum eſſe, cum honore & dignitate & divinitate, tum ipſo paternitatis nomine. Decernit etiam cum omnibus, filium ſubiectum eſſe Patri. Et principii quidem expertem eſſe Patrem, omnibus verò (Patre excepto) Filii generationem eſſe incognitam. Quam formulam

Nicephori Calliſti.

Digitized by Google

Nicephori Calliſti. lam,ut minus rectè compoſitam, poſteaquā multis promulgata traditaque fuerat.Epiſcopi retractare contenderunt. Et Imperator ipſe id ſeriò, coërcitionem eis & pœnam, qui eam in lucem prolatam non reddidiſſent minatus,mandavit. Verum ea,quod in multorum manus pervenerat,non prorſus eſt abolita. Alteram quidem ex Latinis,ei quæ ab Arethuſio Marco edita eſt,connexam, in præſentia referam &c. *Et poſt*. Hæc ea formula eſt, cui ut Photinus etiam poſt Epiſcopatus abrogationem aſſentiretur,& ſubſcriberet, hominem ſunt hortati: dignitatem ſe ei Epiſcopalem unà cum throno reddituros polliciti,ſiquidem per pœnitentiam,quæcunque perperam docuiſſet, anathemate iugularet. Ille ne audire quidem hoc ſuſtinuit, ſed eos ad diſputationem provocavit. Et iuſſu Imperatoris die dicta in locum unum quicunque doctrina, eloquentia & honore antecellere alios videbatur,convenientibus, conditionem diſputandi accepit Baſilius,qui tum Ancyranam curabat Eccleſiam. Concertatio eius longius producta & notarii celeres utriuſque dictata exceperunt: quibus longè ſuperior fuiſſe exiſtimatus eſt Baſilius. Porrò Photinus ad exilium eſt damnatus.

Philaſtrii. XIX. PHILASTRIVS *hæreſi* 57. Photinus doctrinam Pauli Samoſateni ſecutus in omnibus ſimiliter prædicabat, inque hoc mendacio perſeverans proiectus eſt de Eccleſia Sirmienſium civitatis, à ſanctis Epiſcopis ſuperatus. Sufficiant hæc ex antiquitate teſtimonia.

SECTIONIS I. CAP. II.

SYLLABVS teſtimoniorum Pontificiorum de Concilio Sirmienſi.

POſt teſtimonia antiquitatis, placet etiam addere Pontificiorum variantia de Syrmienſi ſynodo iudicia.

Ioh. Sagittarii probantis. I. JOHAN. SAGITTARIVS Burdegalenſis *in Canon. Concil. pag.* 51. Concilii Sirmienſis nihil ſupereſt præter confeſſionem

nem fidei divinam & elegantem de ſanctiſſima Trinitate, adverſus omnes hæreticos, præſertim verò Arrianos. *Sagittarii*

Barthol. Carranza *in ſumma Concil. f. 59. fac. b.* Paulò poſt iuſſit Imperator Conſtantius in Syrmio congregari Concilium, in quo tradiderunt regulas fidei orthodoxas contra Arrium, in quibus interpretati ſunt locum illum Gen. 19. *Pluit Dominus à Domino*, ut ſit ſenſus, Non quod ipſe Pater à ſemetipſo pluere dicatur, ſed pluit Dominus Filius à Domino Patre. De hoc Concilio habetur *hiſt. trip. lib. 5. c. 3.* &c. adfuit Oſius Epiſcopus Cordubenſis, ut refertur in hiſtoria prædicta. *B. Carrãza probantis.*

II. Gilb. Genebrardus *Chronol. pag.* 420. Sardicenſe Concil. 1. rogatu Conſtantis, & permiſſu Conſtantii agitur, ann. 10. poſt mortem Conſtantini Patris: Confirmatum eſt in Trullo, ut Catholicum. Damnatum tamen in Syrmienſi eo nomine, quod Athanaſium abſolviſſet. *Sulp. lib.* 2. Nam aſtutè Arriani innoxium Athanaſium in illo criminoſis Marcello & Photino miſcuerunt, ne putarentur perperam de Athanaſio iudicaſſe, qui de Marcello & Photino vera ſenſiſſent. *ibid.* Quin & *erat Arrianum.* Nam in eo *tres fidei formulas* Epiſcopi protulerunt, in quibus diverſis verbis, remota *ſubſtantiæ* mentione, filium Patri ſimilem affirmarunt, nondum auſi diſſimilitudinem aſſerere. Hi cum verbis ab Ario diſſentirent diſſimilitudinem inducente, ſed re conſentirent, *Semi Ariani* dicti ſunt. *Gilb. Genebrardi reprobantis.*

III. Rob. Bellarminus *l.* 1. *de Chriſto. cap.* 9. §. *ad Canonem.* Neſcio quantam autoritatem habeat Concilium hoc *Syrmienſe*, videtur enim mihi magis toleratum; quam approbatum. Certè apud Gratianum *diſt.* 16. & 20. ubi concilia catholica enumerantur, nulla fit mentio Syrmienſis.. Idem *lib.* 1. *de Conc. cap.* 7. Inter concilia partim confirmata, partim reprobata ſecundum eſt Concilium *Syrmienſe*, quod celebratum eſt annis quinque poſt Sardicenſe, hoc eſt, anno Domini 356. Liberio ſummo Pontifice, & Conſtantio Imperatore. In hoc enim Concilio *duæ formulæ fidei* diſſentientes inter ſe editæ ſunt. Vnam compoſuit Græcè Marcus Arethuſius, qui poſtea ſub Iuliano illuſtre martyrium pertulit; quæ quidem ea eſſe videtur, quam Hilarius in libro de Synodis propè extremo, ut Catholi- *R. Bellarmini, partim probantis, partim reprobantis, nullius momenti dicentis.*

Digitized by Google

Bellarmini. licam explicat. Alteram alii compoſuerunt Latinè, plenam aperta blaſphemia, quam Hilarius reprehendit in libro de Synodis; non procul ab initio. In eodem etiam Concilio Photini hæreſis damnata eſt, quam damnationem omnes Eccleſiæ probaverunt. Vide Socratem *lib. 1. cap. 24. & ſequentibus*, & Sozomenum *lib. 4. cap. 5. & 6.* vide etiam Epiphanium *hæreſi 71.* qui tamen in eo lapſus videtur, quod Sardicam pro Syrmio acceperit. Idem de Conciliis *lib. 2. cap. 19. §. Tertium eſt.* Concilium Syrmienſe *præcipuè Arianorum* fuit, & nullius momenti.

Ant. Poſſevini. IV. ANTON. POSSEVINVS repetit Bellarmini verba in apparatu V. *Syrmienſe.*

Bened. Pererii, partim probãtis, partim reprobantis. V. BENED. PERERIVS *in Geneſ. cap. 19. diſput. 4. pag. 643. §. At enim Patres.* Sirmienſe Concilium etiam anno ab ortu Domini noſtri trecenteſimo quinquageſimo ſexto, Conſtantio Jmp. & Liberio Papa congregatum: de cuius congregandi proceſſu, exituque legenda eſt Socratis hiſtoria *lib 2 cap. 25.* & Sozomeni *lib. 4. cap. 5.* In eo autem Concilio decernitur, verba illa: *Pluit Dominus à Domino*, omninò eſſe intelligenda de DEO Patre, & Filio DEI. Dominus enim Filius pluit à Domino Patre, à quo ſcilicet, ut ſubſtantiam habet, ita poteſtatem faciendi quodlibet. Nam ſicut ipſe Filius dixit Joan. 5. *Non poteſt Filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem: quæcunque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit.* Nec ſatis fuit ei Concilio, huiuſmodi expoſitionem auctoritate ſua firmare; ſed inſuper eam interpretationem, quam Hebræorum atque Toſtati & Caietani eſſe diximus, anathematizat. Verba eius Concilii & Canonis huiuſmodi ſunt: *Si quis illud, quod ſcriptum eſt: Pluit Dominus à Domino non de Patre & Filio perceperit, ſed DEVM Patrem à ſeipſo pluiſſe dixerit, anathema ſit; pluit enim Dominus Filius à Domino Patre.* Non de fide iſtius Concilii videtur ambigendum: *tum quia* damnatio hæreſis Photini in eo concilio facta deinceps conſequentibus in conciliis approbata fuerit, tum quod id concilium B. Hilarius in eo libro, quem ſcripſit *de Synodis*, ut Catholicum ac ſincerum commemorat & explanat. Ergô dicet quiſpiam, prior illa expoſitio eorum verborum, poſt illud con-

concilium, probari ac defendi nullo modo potuit, ſed ut hæretica prorſus damnanda fuit. Minimè verò. Quis enim facilè credat, Toſtatum & Caietanum, viros maximè catholicos & doctos, quod iſtiuſmodi expoſitionem ſecuti ſint, fuiſſe obnoxios Anathemati? Proinde, quod verum illius Decreti Syrmienſis intellectum capiamus, ſcire convenit, Patres, qui in concilio fuerunt, id principaliter egiſſe, ut hæreſim Photini Epiſcopi eius civitatis, adverſus quem illud vocatu Conſtantii Imperatoris convenerant, penitus damnarent. Photinus porrò dicebat, *Chriſtum fuiſſe tantum hominem, nec ante matrem extitiſſe, & teſtimonia veteris Scripturæ de Chriſti Divinitate & æternitate à Patribus interpretata, ea ipſe ad ſolum Deum Patrem referebat*: ut hoc, *Pluit Dominus à Domino*, ſic exponebat: *Pluit Dominus Pater à ſeipſo.* Patres igitur, qui in eo concilio erant, illam Photini expoſitionem damnarunt, non ut per ſe falſam, & nullo modo probabilem; ſed ad mentem & intentionem Photini, utentis ſcilicet ea ad obſcurandam, delendamque Chriſti æternitatis & divinitatis fidem. At ne quiſpiam fortaſſe ſuſpicetur, hoc me arbitratu, ſenſuque meo finxiſſe, audiat B. Hilarium, ſimiliter, ut dixi, mentem ac ſententiam illorum Patrum enarrantem. Exponens enim rationem, cur diverſam expoſitionem illorum verborum: *Pluit Dominus à Domino*, tam ſevero & atroci decreto damnarint, hunc in modum ſcribit: *Hæc quia Photinus, adverſusquem tunc conventum erat, negaverat: propterea inſerenda confeſſioni Fidei fuerunt; ne quis auderet Dei Filium non antequam Virginis Filium fuiſſe prædicare, & ſuperiora Scripturæ teſtimonia, ſtultiſſima hæreticæ inſaniæ perverſitate, Deo innaſcibili coaptaret: & dum hæc ad Patrem refert, Filio divinam æternamque ſubſtantiam denegaret.* Sic Hilarius. Sciat præterea Lector, concilium illud poſtea fuiſſe probatum non quantum ad omnia, ſed quantum ad confeſſionem Fidei de divinitate & æternitate Chriſti adverſus Photinum. Et huius quidem confeſſionis laudata & approbata eſt ſententia Patrum, non tamen modus loquendi, nec argumentandi ratio, qua Patres illi ſunt uſi, perinde probata eſt. Etenim illi dixerunt, *Chriſtum ſecundum unitatem non eſſe comparandum, nec æquandum Patri*: dixerunt item, *Chriſtum, etiam qua Deus eſt, ſubie-*

Pererii.

Arii expreſſit. Et *diſputat.* 185. *cap.* 2. Concilium Sirmienſe nullius eſt momenti.

VII. Card. Baron. *Tom.* 3. *ann. Chr.* 357. *n.* 1. *& ſeqq. uſq; ad* 34. de Concilio Sirmienſi diſputat. *Num.* 1. vocat illud *conventiculum Satanæ.* & *in annum. Chr.* 357. incidere conatur probare. *Num.* 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. docet, quomodo Conſtantius Imperator cum ſuis Arianis Catholicus videri voluerit, & ob id contra hæreſes, inprimis Photini, magnum præ ſe zelum tulerit. Vnde in Synodo confeſſio prima edita, orthodoxis grata fuerit, quam Marcus Arethuſius Epiſcopus ſcripſerit. *Num.* 9. 10. 11. eundem Marcum Arethuſium à ſuis dira paſſum, clariſſimo martyrio coronatum, appellatum à Greg. Nazianzeno *virum eximium & ſacroſanctum ſenem*, ab Epiphanio *hæreſ.* 75. Semiarianis accenſum fuiſſe, docet Baron. *ann. Chr.* 326. *num.* 151 152. 153. Secundam Sirmienſem Confeſſionem planè Arianam fuiſſe & ita manifeſtam, ut etiam Conſtantio diſplicuerit, mutandaque fuerit, notat *ann. Chr.* 357. *num.* 11. 22. 23. Docet etiam, quomodo Oſius, præſtantiſſimus Divinitatis Filii Dei in Conc. Nic. aſſertor, vi ſumma Sirmii adactus, ſymbolo illi ſubſcripſerit, turpiter ceciderit, ſed poſt reſurrexerit, ſanctiſſimeque obierit. Docet tandem & tertiam confeſſionem editam, qua emendatus ſit deformis error ſecundæ Sirmianæ profeſſionis, per Oſium & Potamium editæ ſive ſubſcriptæ. *Num.* 25. 26. 27. 28. Sequitur H. Spondanus & Johan. Bapt. Biſciola *in epit. h. l.* *Caſ. Baronii reprobantis.*

VIII. Severinus Binius *ad h. C. Anno* Chriſti 357. qui eſt 6. Liberii & 21. Conſtantii, hanc Synodum Sirmii celebratam eſſe, Socratis *lib.* 2. *cap.* 24. Sozomeni *lib.* 4. *cap.* 5. teſtimonio & auctoritate probatur. Scribunt enim hanc Synodum habitam fuiſſe eo tempore, quo Oſius Cordubenſis Epiſcopus ad ſubſcribendum Athanaſii condemnationi, & Sirmienſi profeſſioni fidei coactus fuit. Cum igitur teſtimonio Athanaſii *Epiſt. ad Solit.* poſt relegatum anno Chriſti 355. Liberium in fine eiuſdem anni ad ſubſcribendum accerſitus, integro anno Sirmii pro exilio detentus fuerit, neceſſe eſt affirmare, hoc Concilium, cuius impiæ profeſſioni per vim & metum ſubſcripſit, prædicto tempore celebratum fuiſſe. Secundò aſſertione S. Hilarii *de Synodis* *Sever. Binii reprobantis.*

Severini Binii. *odis in principio* conſtat, Synodum Sirmienſem celebratam eſſe poſt triennium, ex quo Saturnino Epiſcopo Arelatenſi Ariano, à Catholicis Galliarum Epiſcopis, communio negata eſt: quod cum factum fuiſſe conſtet ante triennium, quando Conſtantius expugnato Magnentio Arelate moraretur, concedere oportet, hanc Synodum prædicto anno 357. collectam fuiſſe. Denique ipſe Sozomenus *lib.4.cap.5.* atteſtatur, hoc Concilium habitum fuiſſe Sirmii, præſente Conſtantio Imperatore. Cum igitur auctore Ammiano conſtet, eum hoc tempore Sirmii conſediſſe, planè dicendum eſt, anno ſupradicto hanc Synodum congregatam fuiſſe. Cauſa Concilii convocati hæc eſt. Cum Photinus, *teſte Epiphanio hæreſi* 71. Sardicenſi Concilio damnatus, pro more hæreticorum ad Imperatorem appellaſſet, iterumque audiri poſtulaſſet, ut Ariani Catholicum nomen affectantes, ſe pios Catholicos & hæreticis adverſarios oſtentarent, Photinum in iudicium vocant, eiuſque de filio DEI ſententiam in Concilio autoritate Imperatoris indicto diſcutiunt. Et quamvis revera Ariani à Photinianis parum aut nihil differrent: cum, quod rectè Lucifer Conſtantio exprobrando obiicit, Ariani Filium DEI creaturam aſſerentes, cum Photino divinitatem illi ademerint: ut tamen ſpecie tenus, quod ſcribit Gregorius Nazianzenus in laude Athanaſii, ſe Catholicos exhiberent, Photinum per ſimulationem & veteratoriè duntaxat condemnarunt: editâque adverſus eum fidei quadam formula à Marco Arethuſio Græcè compoſita, Photini hæreſim condemnarunt. Huic primæ formulæ viginti ſeptem anathematiſmos *contra Photinianos & Arianos* inſeruerunt, in hac Filium cum Patre eiuſdem ſubſtantiæ eſſe confeſſi fuerunt, ut Catholici viderentur; hanc Catholicæ veritati conſentientem, ideoque ab Hilario explicatam fuiſſe, ipſe Hilarius apertè teſtatur, quæ ſi nomine conſubſtantialitatis non caruiſſet, nullo modo culpari potuiſſet. Liberius Romanus Pontifex, Athanaſio, Hilario, & Hier. teſtantibus, per vim & minas ſollicitatus, huic primæ fidei formulæ ſubſcripſit, Athanaſium condemnavit, & cum Arianis communicavit; idque per literas ad Valentem aliosve ſcriptas ſignificans, ab exilio liberari, ſedique ſuæ reſtitui petiit. Itaque contra fidei confeſſionem ac juſtitiæ legem peccans, adeoque turpiſſimam

Digitized by Google

i morum & vitæ maculam inurens, Arianorum communio- *Se-verini*
pollutus,quanquã infidelis, & hæreticus non eſſet,à commu- *Bini.*
ne Catholicorum & ſede pontificia excidit.Poſtquam hæc
eratores per ſummam ſimulationem egiſſent, Semiarianis il-
quibus ad proſternendum hæreſiarcham pugnacem uſi fue-
t, procul ejectis, qualesnam eſſent, larvâ depoſita,palam pro-
ere. Nam ut DEI filius non DEUS ex DEO, ſed creatura ex
ilo, vel ſaltem ex creatura genitus eſſe credatur,ſecundam fi-
formulam ac confeſſionem Latino ſermone conſcriptam, à
rco Arethuſio Epiſcopo Græcè translatam ediderunt,quâ no-
n ſubſtantiæ prorſus abdicarunt; decernentes,ne voces ſub-
ntiæ & *ὁμούσιον*, quarum nulla mentio ſit in Scriptura, in ſer-
nibus uſurparentur. Utque impietati à ſe conſcriptæ au-
ritatem adderent, Athanaſio, Socrate, & Sozomeno teſtan-
is, Oſium Cordubenſem Epiſcopum, Sirmii,loco exilii ab Im-
atore detentum, multarum Synodorum autorem & princi-
n,multis legationibus & publicis actionibus functum, non
cribendum, quod vitioſè & corruptæ præ ſe fert titulus hu-
formulæ apud Hilarium; ſed potius ad ſubſcribendum ſolli-
runt: qui dum aliquandiu facere recuſaſſet, vir imbecil-
propè centenarius, ſenio confractus, tandem per vim, tor-
ita & plagas inductus(prò ſcelus)ignominioſè ſubſcripſit,lu-
que & horrore immenſo fidelibus incuſſo, turpius, quam an-
Origenes& Tertullianus,lapſus fuit,meritoq; illâ pœnâ,quam
orus Hiſpalenſis ipſi affinxit puniendus, niſi paulo poſt,
i & iniuria ſibi illata proteſtatus, Arianorum hæreſi con-
mnata,eorumq; communione fidelibus interdicta, pœniten-
i egiſſet, atque ita DEI vindicis iram antevertiſſet. *Tantam,*
ait Athanaſius ad Solitar. *vim intulit ſeni,quem Sirmii pro exi-
etinebat, & ita eum arctè tenuit, ut afflictus, attritusq; malis,
lem, ægreq; cum Urſatio & Valente communicaret*; ſed tamen
ontra Athanaſium non ſcriberet: verum ne ita quidem eam
pro levi habuit, moriturus enim poſt biennium circiter aut
m,quaſi in teſtamento ſuo,contra eorum vim poteſtatus eſt,
nam hæreſim condemnavit, vetuitq; eam à quocunq; pro-
ac recipi. Idem de Oſio *Apol. 2. in fine* ait: *Vis illa & Con-*

Digitized by Google

Severini Binii,

ſtantii tyranni poteſtas, multaq; contumeliæ & interminationes ſatis oſtendunt, minimè eum in noſtri condemnationem, ſed ſenii imbecillitate imparem verberibus ad tempus ceſſiſſe. Poſt hæc contigit, quod ferè miraculoſum eſt, ut dum Oſius fidem negaret, hoſtes fidei Semiariani eandem confiterentur; dumq; illi impiam Arianorum confeſſionem approbando divinam ſubſtantiam in filio DEI abnegarēt, Semiariani Ancyræ in Galatia convenientes eandem reſtituerent, atque per edictum publicum Imperatoris Conſtantii prædicari, recipi, & approbari efficerent. Cum enim ſuas, quas Ancyræ conſtituerant, duodecim fidei regulas Sirmianæ ſecundæ confeſſioni planè contrarias conſtituiſſent, easque per legatos ad Imperatorem tranſmiſiſſent, Imperator publico edicto promulgato, ſecundam Sirmianam confeſſionem tanquam blaſphemam abdicavit, novamq;, qua filius DEI per omnia ſimilis eſſe prædicaretur, edi ac ſubſcribi mandavit. Cumq; ad Concilium Ariminenſe profecturi, Sirmium, ubi Imperator agebat, orientales omnes adveniſſent, tertiam illam Sirmianam fidei formulam, anno 359. ut infra dicemus, compoſuerunt. Cui cum Valens, inquit Epiph. hæreſi 73. ſubſcripſiſſet, & in ſubſcriptione appoſuiſſet, *filium ſimilem Patri*, & non appoſuiſſet *per omnia*, & oſtendiſſet quomodo aſſenſus eſſet præmiſſis, aut ſimilitudine vocis intellexiſſet, annotavit hunc pius Rex, & coëgit ipſum addere, per omnia. Hæc ex Epiph. Hilario, Athanaſio, Socrate &c. Baron. anno 357. Bellarm. *lib.* 1. *de Concilii cap.* 7. Oecumenicam fuiſſe ait, cui præter Orientales trecenti & amplius ex Occidente Epiſcopi interfuerunt: Ex parte reprobatum eſſe ſcribit, quia ſententiam condemnatoriam in Photinum hic pronunciatam omnes orthodoxi approbarunt. Poſſet idem confirmari per hoc, quod primam Sirmianam fidei confeſſionem, utpote quæ nullam manifeſtam hæreſim contineat, velut catholicam Hilarius interpretatus fuerit. Ego tamen Baronium ſecutus, conciliabulum potius, quam ulla ex parte probatum Concilium fuiſſe, verius eſſe putarem; tum, quod manifeſtum ſit, in prima formula fidei, quæ catholica eſſe indicatur, nomen conſubſtantialis ad fidem Nicænam explodendam omiſſum eſſe, eamque veteratoriè & per ſummam ſimulationem editam

tam

Digitized by Google

am fuiſſe: tum etiam, quod Liberii communionem Catholici vitarint, ideo maximè, quod fidei confeſſioni primæ, quæ videbatur Catholica, ſubſcribens, Arianorum communione pollutus, ab unitate Eccleſiæ Catholicæ meritò exciderit. *Ad tertiam onfeſsionem ſcribit*: Hæc formula fidei compoſita eſt Sirmii in præſentia Conſtantii. ann. 359. Euſebio & Hypatio conſulibus. Athan. *lib. de Synod.* Socrat. *lib. 2. cap. 29.* Quia Conſtantius Ariminenſi Concilio non interfuit, mendoſum eſt, (quod habet inſcriptio apud utrumque) eam Arimini in præſentia Imperatoris editam fuiſſe. Compoſita eſt ea tranſactionis lege, ut Semiariani relinquerent, quod Ancyræ addiderant, nomen ſubſtantiæ. Ariani verò admitterent, ut filius diceretur Patri per omnia ſimilis, licet Valens id, non niſi iuſſus à Conſtantio, profiteri voluerit. Quanquam hæc fidei formula, (ſicut & illa Antiochiæ in Encæniis, & in Sardicenſi, & Sirmienſi concilio primo loco edita eſt,) nullam manifeſtam hæreſim contineret: cum tamen in his *Conſubſtantialitas* filii cum Patre, doloſè non exprimatur, Athanaſius eas ut hæreticas merito abdicavit, ideo ſaltem quod abdicatione vocis ſubſtantiæ, iam ad Arianam blaſphemiam aditus apertus eſſe videretur. Ex Epiphan. Hieron. & Athan. Baron, *ann. 357. num. 24. 25. & 26.* & *ann. 359. n. 10.* *Severini Binii.*

IX. Franciscus Longus *à Coriolano in ſumma Concil.* p. 265. De autoritate huius Concilii Bellarminus Oecumenicum fuiſſe ait, cui præter Orientales, trecenti & amplius ex Occidente Epiſcopi interfuerunt. Ex parte reprobatum eſſe ſcribit, quia ſententiam condemnatoriam in Photinum hîc pronunciatam omnes orthodoxi approbarunt: ego tamen Baronium ſecutus, conciliabulum potius, quam ulla ex parte probatum Concilium fuiſſe, verius eſſe putarem. *Fr. Longi à Coriolano reprobantis.*

X. Ad. Tanner. *Th. Scholaſt.* T. 1. *diſputat.* 4. *quæſt.* 1. *dub. III. n. 39 p. 1089.* In Concilio Sirmienſi, non legitimo, ſed Ariano, apud Hilarium *lib. de Synod.* & Socratem *lib. 2. cap. 27. can. 13. 16. & 17.* damnantur illi, qui dixerint, Geneſ. 1. cum ait Scriptura, *Faciamus hominem*, Patrem ad ſeipſum eſſe locutum: & qui negaverint, Geneſ. 19. cum dicitur, *pluit Dominus à Domino*, de Filio & Patre eſſe intelligendum. *Ad. Tanneri reprobantis.*

Digitized by Google

Corn. à Lapide reprobantis. XI. Cornel. à Lapide *ad c.* 18. *Gen. pag.* 181. *v.* 2. Concilium Sirmienſe vult, medium horum trium fuiſſe Filium Dei. Sed fuit hoc conciliabulum Arianorum. Et *cap.* 19. *v.* 24. *p.* 190. Sirmienſe Concilium non eſt ab Eccleſia receptū, niſi quatenus Photinum damnat: imo, concilium hoc fuit Arianorum. docet enim Filium, quà Deus eſt, Patri eſſe obſequentem & miniſtrantem.

Did. Ruizii probantis. XII. Didacus Ruiz *à Montoia, de Trinitatē diſput* 36. *num.* 18. *pag* 325. Sirmienſis Synodi *non eſt contemnenda autoritas*, quantum ad præſentem articulum, non ſolum propter autoritatem Hilarii, & tacitam cum eo approbationem Theologorum, ſed etiam, quoniam non totaliter, ſed tantum ex parte reprobata fuit hæc Synodus, ut ſcribit Bellarmin. lib. 1. de Conciliis cap. 7. licet aliter ſentiant Baronius anno Chriſti 357. Et Vaſquez *c. p. diſput.* 108. *cap.* 2. *num.* 14.

Dionyſ. Petavii diſtinguentis. XIII. Dionys. Petavius *lib.* 1. *de Trinit. cap.* 6. Inter novendecim confeſſiones, quas Ariani inter paucos annos ediderunt, *Sexta* in Sirmienſi concilio ab Arianis contra Photinum habito concepta profeſſio eſt anno Chriſti CCCLI. Quæ *ὀσίας* vocem prætermittit, nec non ſimilitudinis & imaginis: Filium aſſerit *Deum de Deo*: damnat affirmantes *ex non exiſtentibus, aut ex altera hypoſtaſi eſſe Verbum*: vel *fuiſſe tempus aliquando, cum non eſſet. Septima* in eadem urbe Sirmio concepta eſt formula anno Chriſti CCCLVII. cum Imperator eò veniſſet, ad eumque pauci ex Arianis Epiſcopis adiiſſent, quorum Principes erant Vrſatius, & Valens. Ea porrò Latinè ſcripta eſt, & in Græcum poſtea converſa. Latinam habet Hilarius *libro de Synodis*: Græcam Athanaſius & Socrates. Quæ quidem *uſia*, & tam *homouſii*, quam *homœuſii* mentionem vetat fieri, quod Scripturæ nusquam earum vocum meminerint. Mox., Patrem maiorem eſſe definit, Filium ſubiectum. Hilarius hanc formulam, *blaſphemiam per Oſium & Potamium conſcriptam* vocat. Quod Oſius Cordubenſis Epiſcopus ei ſubſcribere coactus fuerit. Sed & Liberius Papa, qui anno CCCLV. Berœam relegatus fuerat, Conſtantii & Arianorum fraude, ac terroribus compulſus, Athanaſii damnationi ſubſcripſit poſt biennium, necnon fidei novæ cuidam

Digitized by Google

uidam formulæ, in qua τὸ ὁμοούσιον ſupptimebatur. Refert Petavii.
nim Sozomenus *lib. IV. cap. XV.* cum Imperator Conſtantius
irmium adveniſſet, eodem Liberium ab exilio revocatum veniſ-
, quem, collectis Epiſcopis omnibus, qui in comitatu tunc
rant, Imperatorem cogere ſtuduiſſe, uti homoüſion negaret eſſe
atri Filium, agentibus id inprimis Baſilio, Euſtathio, & Eleuſio,
ui apud Conſtantium omnia poterant: à quibus omnia illa fi-
ei decreta, quæ contra Paulum Samoſatenum, Photinum, & in
ncæniis condita erant, in unum redacta ſunt. Quam in pro-
ſſionem fidei ſenſiſſe Liberium ait, necnon Vrſacium, Germi-
um, & Valentem, & Orientales, qui illic aderant: at Libe-
ım viciſſim confeſſionem alteram exhibuiſſe, in qua damna-
ıteos, qui non ſecundum ſubſtantiam, ac per omnia ſimilem
ſe Patri Filium dicerent. Quocirca neceſſe eſt, diverſam fuiſ-
formulam illam fidei, cui ſubſcribere coactus eſt Liberius, ab
ſiana iſta, quam blaſphemiam Oſii & Potamii vocat Hilarius.
quidem in hac non minus ὁμοιούσιον, quam ὁμοούσιον reiectum
. At Liberius tametſi ὁμοούσιον concordiæ gratia diſſimulave-
, ὁμοιούσιον profectò non tacuit, nedum conceptis verbis re-
ıit. Præterea cum profeſſio illa, quam Liberius approbavit,
tribus concinnata dicatur: nimirum ex ea, quæ contra Pau-
n Samoſatenum edita eſt, & ea, quæ in Encæniis Antiochiæ
ncepta, & eâ denique, quæ contra Photinum apud Sirmium
blicata eſt, longè ab Oſiana blaſphemiâ diſtat. Nam in tri-
s illis non eſt reiectum aut damnatum ὁμοιούσιον, ac ne ὁμοούσιον
idem. Imò in Antiochenſi decretum eſt, Filium imaginem
: paternæ ſubſtantiæ, ac divinitatis, ſine ulla diſſimilitudine.
ea vero, quæ contra Paulum Samoſatenum condita eſt, οὐσίας
men adhibitum eſſe, teſtantur Semiariani apud Epipha-
ın *Hær. LXXIII. num. XIII.* Igitur ἔκθεσις illa fidei,
ım à Liberio expreſſerunt Ariani, nec ea potuit eſſe, quæ
ſinè Sirmii ſcripta dicitur, & ab Oſio probata; nec una ex de-
ı, aut undecim, quas recenſet Athanaſius; ſed ab illis omni-
; diverſa, in quam Semiariani, & Anomœi conſenſerunt, quod
fragmentis Hilarii colligitur, in quibus epiſtola Liberii ad O-
ıtales Epiſcopos data ponitur, qua non ſolum Athanaſii com-
nionem abdicat, verum etiam Sirmii editam à Demophilo

Digitized by Google

Petavii. Arianæ ſectæ coriphæo fidei profeſſionem amplectitur. Quam ob cauſam ſemel iterumq; Liberio anathema dicit Hilarius. Poſt epiſtolam deinde iſta ſubiiciuntur: *Perfidiam autẽ apud Sirmium deſcriptam, quam dicit Liberius Catholicam a Demophilo ſibi expoſitam, hi ſunt, qui conſcripſerunt, Narciſſus, Theodorus, Baſilius, Eudoxius, Demophilus, Cecropius, Silvanus, Vrſacius, Valens, Evagrius, Hyrenius, Exuperantius, Terentianus, Baſſus, Gaudentius, Macedonius, Marthus, Acticus, Iulius, Surinus, Simplicius & Iunior.* Quo in Epiſcoporum numero alii continentur Anomœi, alii Semariani, & Homœouſii, quos in illam profeſſionem conveniſſe mirum videtur, quæ Patri per omnia ſimilem, adeoque eius uſiæ vel ſubſtantiæ, Filium aſſeverabat. Ad id vero Conſtantii voluntate compulſos eſſe veriſimile eſt, qui Anomæorũ perfidiam execrabatur, ut ſcribit Socrates *lib.* II. *c.* XXIV. & Epiphanius *Hær.* LXXIII. *num.* XXIII. refert Conſtantium Baſilio Ancyrano, & Semiarianis cæteris impenſè faventem, Anomæos inſectatum fuiſſe. Sed antequam à ſeptima illa fidei profeſſione diſcedamus, animadvertendũ eſt, præter eam ipſam, quæ ab Oſio vi eſt extorta, & ab Hilario *Oſii & Potamii blaſphemia* nuncupatur, alteram extitiſſe, quæ, ut mea coniectura fert, ſub Oſii nomine vulgata eſt, non ab ipſo probata: in qua Filius ſubſtantia diſſimilis eſt dictus. Teſtantur hoc Baſilius Ancyranus, & Georgius Laodicenus *in Hypomnematiſmo* apud Epiphanium, ubi Semiariani iſti queruntur, Anomæos ab Oſio expreſſiſſe literas, quibus diſſimilis ſubſtantia continebatur. vel potius ſecundum ſubſtantiam. Ita enim Græca caſtiganda ſunt, τὸ ἀνόμοιον κατὰ οὐσίαν, non τὸ ἀνόμοιον οὐσίαν. Atqui in illa *Oſii & Potamii blaſphemia* minimè ſubſtantia diſſimilis Filius appellatur: ſed tantum utraq; dictio ſupprimi videtur ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον, imo ipſa vox οὐσίας, quod in ſacris literis nuſquam legantur. Ac Sozomenus quidem ſcribit, extortam ab Oſio confeſſionem hoc unum comprehendiſſe, ut vox utraque ὁμουσίυ & ὁμοιυσίυ reiiceretur. Verùm aliam præterea ab eodem, aut eiusdem ſaltem nomine profeſſionem editam fuiſſe, Epiphanii ille locus oſtendit. *Octava* fidei profeſſio Sirmii concepta eſt *Coſſ. Euſebio & Hypatio, XI. Calend. Iun.* ut in ipſa eius inſcriptione poſuerunt, qui fuit annus Chriſti CCCLIX.

Nam

Iam cum Baſilius Ancyranus, aliique Semiarianorum legati ex *Petavii.*
ıncyrana Synodo,quæ adverſus Anomœos,& Oſianam formu-
ım anno Chriſti cccLVIII.circa Paſcha celebrata fuerat,ad Im-
eratorem Conſtantium Sirmium adiiſſent, auctores ei fuerunt,
t ad comprimendam Anomœorum perfidiam,& Eccleſiæ com-
onenda diſſidia, generalem Synodum indiceret. Quam cum
Jicomediæ primùm, deinde Nicææ celebrari placuiſſet; quod
mbæ civitates ſub id tempus terræmotu corruiſſent, Baſilio da-
ım eſt negotium, ut de loco indicendæ Synodi deliberaret. Hic
nno Chriſti cccLIX. Sirmium rurſus ad Imperatorem con-
ndit, ibique Arianos Epiſcopos aliquot reperit, Marcum Are-
uſium, Georgium Alexandrinum, Valentem, Vrſacium, &
ios: de quorum conſilio primùm Seleucia Iſauriæ oppidum
lebrando concilio deligitur:mox verò dividi placuit,ut Orien-
les Seleuciam,Occidentales Ariminum eodem tempore coge-
ntur Quò antequam proficiſcerentur, novum aliquod fidei
ecretum communi conſenſu præſcribi placuit,in quod univer-
convenirent, quodque ambabus Synodis offerretur. Itaque
lliatis inter ſe capitibus, præſente Imperatore,Formulam con-
dere fidei cum hac epigraphe: Expoſita eſt catholica fides in
æſentia Domini noſtri religioſiſſimi, & victoris Imperatoris
onſtantii,æterni Auguſti, ſub conſulatu Flaviorum Euſebii &
ypatii,clariſſimorum virorum apud Sirmium,undecimo Calen-
s Iunias. Huic ſubiecta profeſſio eſt, in qua decernitur, *Fi-
um eſſe Deum de Deo,ſimilem ei, qui ſe genuit, Patri ſecundum ſcri-
uras.* In fine verò. *Nomen autem ſubſtantiæ, quia ſimplicius à
tribus eſt poſitum, & ignotum vulgo offenſionem habet, quod nec
id Scripturæ contineant, iſtud ipſum è medio placuit auferri; ſic
nulla ſubſtantiæ deinceps in Deo fiat mentio. Quandoquidem ſa-
e literæ nuſquam de Patris & Filii ſubſtantia meminerunt. Simi-
n verò per omnia Patri Filium eſſe dicimus: quemadmodum ſacræ
ipturæ aſſerunt, ac docent.* Hæc ex Athanaſio *lib. de Synodis*,&
crate *lib.* II. *cap.* XXXVII. Porro Athanaſius illud hac in pro-
ſione redarguit, & irridet, quod Conſules cum menſe,ac die
t appoſiti,quaſi tum primùm iſta fides ortum habuiſſet, tùm
od *αἰώνιον* æternum Imperatorem nominarent Conſtantium,

I qui

Petavius. qui hunc titulum Dei Filio negare eſſent auſi. Addit, *eandem illam formulam ipſis poſtea diſplicuiſſe eius auctoribus, ac per Martianum notarium iuſſu Conſtantii & edicto, ſub gravi pœna, omnia illius exempla conquiſita.* Verum Socrates *lib.* II. *cap.* XXX. hoc de illa Profeſſione refert, quæ Latinè Sirmii condita eſt, & *Oſii*, *ac Potamii blaſphemia* dicitur ab Hilario. Siquidem multa in illa pugnantia deprehendiſſe; ob idque per Conſtantium egiſſe, ut prorſus aboleretur. Sed niſi ab Conſtantio bis id factum velimus, multo Athanaſius audiendus eſt magis, quam Socrates; non ſolum, quia longè ille certior eſt autor; verum etiam quia, cur hanc poſteriorem ſupprimere vellent, cauſa perſpicua eſt; quæ in antecedente minus apparet. Etenim Vrſacium & Valentem præcipuos illius auctores fabulæ fuiſſe, non eſt dubium, quibus addictiſſimus erat Conſtantius, ut è Socrate, Sozomeno, aliiſque conſtat. At illi Anomœorum dogma complexi, vel diſſimilem Patri Filium eſſe palam, ſi auderent, affirmare cupiebant: vel, ſi id minus liceret, ſaltem exactæ per omnia ſimilitudinis, quam Semiariani tuebantur, mentionem omittere. Quamobrem in illo conventu ac colloquio, quod in comitatu Sirmii utriuſque illi ſectæ principes habuerunt, antequam Ariminum ac Seleuciã abirent, non levis inter eos altercatio fuit, quam narrat Epiphanius, qui ſcribit, Valentem, cum ſubſcriberet, Filium Patri ſimilem poſuiſſe, prætermiſſis voculis *per omnia*, Conſtantium autem ea re animadverſa, illas addere coëgiſſe; Baſilium porro Ancyranum ſuſpicantem ſubdolè iſtud etiam *per omnia* ac ſecundum ſententiam ſuam & interpretationem, à Valente additum eſſe, ita ſubſcripſiſſe, ut per omnia Patri Filium eſſe ſimilem exprimeret, non ſolum voluntate, ſed etiam hypoſtaſi, & ſecundum eſſentiam ipſam. Hoc tum Baſilius obtinuit, cum apud Conſtantium gratia valeret. Poſteà tamen, cum minore eſſe in pretio cœpiſſet, & Anomœorum factio prævaleret, ut idem ſcribit Epiphanius, videntur hi ab Imperatore obtinuiſſe, uti prior illa formula reſcinderetur, in qua Patri per omnia ſimilis eſſe Filius dicitur. Quod ſi præter hanc, ſuperiorem quoque Conſtantii mandato obliteratam eſſe cum Socrate putemus,

poteſt

teſt cauſa ſimilis ex hiſtoria proferri: nimirum Baſilium ac Se- *Petavii.*
arianos, quo tempore apud Conſtantium auctoritate pollent, operam dediſſe, ut illa formula deleretur, quæ non minus nœuſion quam homouſion, nec non uſiæ vocabulum abroret. Vtcunque res habet, Valens & Vrſacius poſtremam iln fidei confeſſionem ſecum ad Ariminenſe concilium attuleit. Sed ea ab omnibus eſt reiecta, ipſique, qui eam obtulere, mnati.

XIV. Jacobus Gualterius *in Chronol. p.* 284. Conum generale Sirmienſe à Catholicis, Arianisque ſimul habin adverſus Photinum Sirmienſem Epiſcopum, qui Ieſu Chridivinitatem abnegabat. Hoc ex parte reprobatum cenſet larminus, *lib. de conc. c.* 7. planè autem reprobatum Baron. *ann. n.* 1. *& ſeqq. vide Sozom. l.* 4. *c.* 5. *Iac. Gualterii ba- ſitantis.*

XV. Jacob. Gordonus *Leſmoreus in Chronol. pag.* 129. rtum eſt (quicquid dicant Socrates & Sozomenus) nunc haum eſſe Sirmienſe conciliũ: quia lapſus Oſii, qui tunc accidit, : Athanaſio ad Solitar.) ſcilicet anno poſt exilium, non potuit ea accidiſſe. Reſipuit moriens, ex Athanaſio *ad Solitarios.* ubſcriptione hac Oſii, Socrates *lib.* 2. *c.* 26. Sozom. *lib.* 4. *cap.* 5. ſus eſt & Liberius, ex Hieron. Chron. *per vim*, inquit, Athaius *ad Solit.* vide Sozom. *l.* 4. *c.* 14. Eum tamẽ non fuiſſe hæretin, tuetur hoc anno Baronius. Liberius, poſt ſubſcriptionem lamnationem Athanaſii, mox reſtituitur, conſentientibus iam anis. Cæterum in hoc Sirmienſi conciliabulo, damnant ani Photinum. Sozom. *lib.* 4. *cap.* 5. antea in Sardicenſi daatum. Epiphanius *hæreſ.* 71. Sed & inconſtantes fuerunt rimis editis fidei formulis. Athanaſius *de Synodis.* Vide Socem *lib.* 2. *cap.* 25. affectabant Photini parum diſſentientis ab anis damnationem, ut viderentur Catholici: nam alioqui i divinitatem omnes negabant. Lucifer *de non parcendo Deum delinquenti*: & cum Filium Dei creaturam dicerent nes: alii ante omnia, Photinus poſt omnia creatum dicebat, ebatque, *non fuiſſe ante Mariam Virginem.* *I. Gordoni Leſmorei improbantis.*

XVI. Jod. Lorichius *in theſauro Cath. v. Concilium* *n.* 17. *pag.* 170. Inter concilia partim confirmata, partim re- *Iod. Lorichii. par-*

I 2 proba *tim pro-*

bantis, partim reprobantis. probata eſt Sirmienſe, in quo duæ formulæ fidei, altera Catholica, quæ probata eſt, altera hæretica, quæ eſt reprobata. Celebratum eſt ann. 356.

Gabr. Prateoli probantis. GABR. PRATÆOLVS *Marcoſſius Theol. Pariſienſ. in Catalogo Conciliorum, quem Elencho hæreticorum præmiſit, num. 17.* Decimum ſeptimum concilium eſt Sirmienſe, quod paulo poſt Conſtantius iuſſit in Sirmio congregari: in quo Patres regulas fidei tradiderunt orthodoxas contra Arium, in quibus interpretati ſunt locum illum Geneſ. 19. *Pluit Dominus à Domino, ut ſenſus ſit,* non quod pater ipſe à ſemetipſo pluere dicatur, ſed *pluit Dominus* Filius *à Domino* Patre.

Petr. Fabri reprobantis. XIIX. PETRVS FABER *Tholoſan. Præſes in Dodecameno de Dei nomine atque attributis cap. 9. pag. 170.* Sirmianum congreſſum tanti apud nos eſſe debere non puto, ut ab eius Canone recedere ſine metu anathematis non liceat, præſertim cum & ipſum parum Catholicum, utpote Arianis favorabiliorem, quam oportuit, Nicænæque περὶ τοῦ ὁμοουσίου fidei confeſſioni adverſum fuiſſe, vel ipſa Eccleſiaſtica dictet hiſtoria. Quapropter Theodoſius *lib. 5. Cod. Theodoſ. de hæreticis* reſcriptum, quod apud Sirmium emerſerat, quo primum anno ad imperium cum Gratiano & Valentiniano aſſumtus eſt, antiquandum cenſuit. *Plures ex hac ſchola non addo.*

SECTIONIS I. CAP. III.

SYLLABVS teſtimoniorum Reformatæ, ut vocant, partis Theologorum & Hiſtoricorum de Concilio Sirmienſi.

NOn alienum exiſtimamus à noſtro propoſito, etiam iudicia nonnulla ex Reformatæ, ut dicitur, Partis Theologis & Philologis adducere.

Guil. VVitackeri. I. GVIL. WITACKERVS *Controv. 3. de Concil. quæſt. 5. Tom. 1. Op. pag. 605.* Bellarminus ait, *illud Concilium præcipuè Arianorum fuiſſe, & nullius momenti.* Reſpondeo: Sanè fateor aliquos

os interfuiſſe Arianos huic concilio, ſed tamen multi ibi fue- VVitacke-
it catholici Epiſcopi. Nec ſi plures ibi fuerunt Ariani, quàm ri.
tholici, hæreticum & non legitimum fuiſſe illud concilium
ſuitur. Nam hæc non fuit quæſtio de Arianiſmo, nec ulla
t pars Arianæ hæreſeos, negare Romanum Pontificem eſſe ca-
t Eccleſiæ: Ariani nihil Romano Pontifici detrahebant, aut
cleſiæ Romanæ, quod exiſtimabant ad eos iure pertinere.
iod autem iſti duo ſimul Eccleſiam Romanam rexerint, pa-
ex Sozomeno ibidem. Ait enim paulò pòſt, *Felicem eſſe mor-
tem, & ſic ſolum Liberium rexiſſe.* Hinc intelligimus, Papam o-
i & Imperatori & Synodo ſubditum fuiſſe. Et neque Felix
que Liberius huic concilii decreto reclamat, imo apud Theo-
retum Populus clamat, illud eſſe iuſtum iudicium. Concilii
itiocheni Patres literas ſcripſerunt ad Julium Epiſcopum Ro-
anum (ut legimus apud Sozom. *lib.* 8. *cap.* 8.) in quibus illum
aviter & acerbè reprehendunt, multiſque verbis accuſant,
od ille nonnullos contra conſuetudinem & leges Eccleſiæ, in
mmunionem recepiſſet, quos Synodus damnaſſet & minan-
, ſe ſimiliter cum illo facturos. Et aiunt, non oportuiſſe illum
facere, non magis quàm illi Novatum olim Epiſcopo Roma-
damnatum in communionem receperunt. Vnde conſtat,
us concilii Patres non exiſtimaſſe, maiorem eſſe Papæ aucto-
ritem, quàm concilii, nec Occidentalis Eccleſiæ, quàm O-
ntalis. Sed forſan idem reſpondebunt, quod anteà, *fuiſſe hoc
ncilium Arianorum.* At reſpondeo 1. nullam fuiſſe hac de re
er Catholicos & Arianos controverſiam, nempe de primatu
omani Pontificis: ergo Arianorum hac de re iudicium integrū
e potuit. Quid enim? an nihil rectè ſenſerunt Ariani, quia de Di-
a Chriſti natura erraruntʔ 2. Reſpondeo: *non omnes illius concilii
ſcopos fuiſſe Arianos.* Manifeſtum enim eſt, *multos ibi pios &
egios viros, & incorruptos ac ſinceros Epiſcopos* adfuiſſe, cuiuſmo-
uit Euſebius Nicomedienſis, & Marcus Arethuſius, ut eſt a-
d Sozomen. *lib.* 5. *cap.* 10. qui poſtea ſub Iuliano glorioſum
rtyrium paſſus eſt, & illo tempore ſummo in honore fuit. Et
ræ ſunt à toto concilio ad Iulium miſſæ. Nec reprehenden-

 dum

dendum eſt hoc concilium, quia nihil aliud ſtatuit de appellationibus, quàm quod Synodus Nicæna antea ſtatuerat.

Matth. Martinii. II. MATTH. MARTINIUS *de perſona Chriſti p.* 286. In Nicæna Synodo à CCCXIIX. Patribus damnati ſunt Samoſatenus Arius, Novatus: & puritatis huius doctrinæ conſervandæ causâ conſtitutum eſt, ut Alexandrinus & Antiochenus Epiſcopus Orientis, Occidentis Romanus, eſſent inſpectores. Quamvis autem res Arianicæ plurimum turbarent Eccleſias, & Ariomanitæ contrarias ſynodos molirentur, ut Tyriam in qua, Ario recepto, Athanaſius reiectus eſt circa an. 339. ſic Antiochenam ann. 344. & *ex parte Sirmienſem* an. 355. ex parte dico, quia contra Photinum rectè ſtatuit, quòd λόγος ſit vera & diſtincta perſona: & Ariminenſem pro Occidentalibus ac Seleucienſem pro Orientalibus, an. 363. & aliam Antiochenam an. 365. in quibus ſymbolum Nicænum corrumpebatur: tamen vicit, Deo benedicente, vincetque æternùm veritas.

Lamb Danæi. III. LAMB. DANÆUS *ad Aug. de hæreſ. ad quod vult D. pag.* 123. Photinianiſmi ſcintillæ, Sirmii primùm accenſæ, in Aſiam & reliquas Orbis regiones magna incendia poſteà pepererunt. Itaque latiſſimè ſtatim ſparſus eſt hic error, cuius immani fœtore offenſi Patres orthodoxi Sirmium convenerunt, ibique eum communibus ſententiis damnarunt, Photino ipſo audito, & à Baſilio Ancyræ Epiſcopo erroris convicto, ut tradit Socrates *lib.* 2. *cap.* 29. & 30. tamen ad Imperatorem provocavit, apud quem neque cauſam ſuam probare, neque obtinere potuit. Itaque Sardicenſi ſynodo iterum damnatus, & ab Arianis ipſis exploſus eſt, & ut blaſphemus reiectus.

Conrad. Graſeri. IV. CONRAD. GRASERUS *Iſagog. hiſt. Exot. p.* 336. In Sirmienſi concilio contra Photinum quidem decreta laude digna ſunt conſtituta, ſed cum ab eo ad Arium iretur removebant vocabulum ὁμοούσιος ex ſymbolo Nicæno & reponebant vocem ὅμοιος: ac ſubſcribere nolentes tormentis cogebant. Inde Oſius hactenus conſtantiſſimus, & Liberius Pontifex Romanus ſubſcripſêre, & hic etiam in Athanaſii damnationem conſentit.

Iacob. Gothofredi. V. JACOB. GOTHOFRED. *in diſſert. ad Philoſtorg. lib.* 4. *c.* 3. *p.* 200. Conſtantius, cum urbe Roma an. 357. digreſſus initio adhuc

ſac menſis Decembris eius anni Mediolani conſtitiſſet (*ut docet* ax 5. *Cod. Theod. de maleficis & Math & lex* 14 *de Epiſcopis: Lex* 9. *de* *urſu publico*) extremo iam menſe Decembri Sirmium pervenit, ti docet ſubſcriptio legis 27. *Cod. Theod. de appellat.* Exindeque ntegro A.D. 358. & medio fermè A.D. 359. Sirmii conſtitit: De ua alioquin Conſtantii mora Sirmii Marcellinus quoque *lib.* 16. ag. 78. Ibi igitur conſtituto Conſtantio & Sirmienſis illa ſyndus habita fuit A.D. 358. (quæ longè alia eſt ab ea, quæ habita dverſus Photinum A.D. 357 ut disertè ſcribit Socrates *lib.* 2. *c.* 24. : Sozomenus *lib.* 4 *cap.* 5. in quibus tamen diſcernendis Baroio aqua hæſit) Et in illa verò tandem Liberius Oſiusque ἐκαλουαίτης evicti fuêre, & exinde uterque Epiſcopatui ſuo reſtiitus. *Gothofredi*

VI. Joh. Lætus *in Comp. hiſt. univerſalis p.* 145. Quia hotinus Epiſcopus Sirmii Sabellii & Samoſateni dogmata reimpſerat, convocatum ibidem concilium, Photinus condenatus, multa egregiè decreta, at ubi ad Arium ventum, omnia o Ario decreta, ſubſcribere nolentes tormentis preſſi, inter a-s & Oſius Epiſcopus Cordubæ, ſenex venerandus ac confeſſor ɔctiſſimus, plagæ ei inflictæ, membra machinis diſtorta. *Ioh. Læti*

VII. Franc. Junius *in animadv. ad l.* 1. *de Conc. c.* 7. *Bell.* *m.* 2. Epiphanius Photinum Sirmio emerſiſſe *dicit* & ab eo cœ- Patrum, qui Sardicæ fuerunt, condemnatum. Iidem videet Patres Sirmii convenerunt fermè, qui fuerant Sardicæ. imque Photinum Sardicæ condemnaſſent & Conſtantium expeditionem iter facientem Photinus commoviſſet, iniuſtam irmans ſui condemnationem, ad Imperatoris poſtulatū cogio fuit Sirmii renovata, &c. *Franc. Junii*

IIX. Abrah. Bucholcerus *in Chronol. Indice p.* 200. nodus Sirmienſis à Conſtantio coacta tentavit inter Orthodo- : & Arianos conciliationem, propoſita certa concordiæ forıla, in qua vox ὁμοούσιος omiſſa erat: verum ea ex re maiores enſiones natæ ſunt, cùm utraque pars ambiguam fidei forlam pro ſe interpretaretur. *Abrah. Bucholceri.*

IX. Joh. Henr. Alstedius *in Chronol. Concil. cap.* 29. .204. Synodus Sirmienſis Arianorum celebratur in Pannonia *Ioh. Henr. Alſtedii*

Alſtedii. nia: ubi Oſius Cordubenſis verberibus cogitur ad ſubſcriptionem. Photinus in illa ſynodo fuit convictus & damnatus: contra hanc ſynodum fuit alia habita in Oriente.

Blondelli X. DAVID. BLONDELLVS *de Primatu Papæ continuat. Repl. Perron.ſ.2.§.3.pag.*480. Fides, cui ſubſignare Liberium Demophilus fecit, non ea fuit (quicqud dicatur) primi concilii Sirmienſis, congregati (ut obſervat optimè Socrates) an. 351. contra Photinum in Sirmio, & numerati tàm à S. Hilario, quàm à Papa Gelaſio ſub nomine Vigilii *adverſ. Eutych. lib.* 5. & à Philaſtrio inter concilia catholica, ſed ea, quæ Latinè ſcripta fuit anno 357. ab Oſio & Potamio coram Valente, Vrſacio, Germinio & cæteris, fuitque omnium peſſima; Qua de cauſa S. Hilarius, qui in ſuis fragmentis eam vocat *perfidiam Arianam*, de ſynodis, *Athan. de Synod. Socrat. l.*3.*c.*20. alibi nominat *blaſphemiam ſcriptam ab Oſio & Potamio.*

Socrates l. 2. *c.* 29. *Hilar. de Synodis.*

SECTIONIS I. CAP. IV.

SYLLABVS teſtimoniorum noſtrorum Theologorum & Hiſtoricorum de Concilio Sirmienſi.

ADdamus demum & noſtrorum Theologorum diverſa de iſto concilio iudicia.

Cent. Eccleſ. I. CENTVRIÆ ECCLES. *Tom.*4.*cap.*9.*col.*784. Photinus Eccleſiæ Sirmii Epiſcopus, Chriſtum initium à Maria cœpiſſe, & nudum eſſe hominem, errore Sabellii & Samoſateni imbutus, palàm docuerat: quemadmodum Baſilius refert *lib. contra Eunomium*, & Ambroſius in *Apologia David*: Epiphanius etiam *lib.*2. *tom.*2. *hæreſi* 71. Quod dogma cum perturbationem Eccleſiæ attuliſſet, Imperator Conſtantius ſynodum Epiſcoporum ad Sirmium convocavit, anno proximo poſt conſulatum Sergii & Nigriani, ad annum Chriſti circiter 355. annis quinque poſt ſynodum Sardicenſem. *Socrates lib* 1.*cap.*29. Sozomenus *lib.*4.*c.*6. Conveniunt autem eò Ariani Epiſcopi, ex Orientalibus Marcus

Digitized by Google

is Arethuſius, Georgius Alexandrinus, Baſilius Ancyranus, Pan- *Centur Eccleſ.*
atius Peluſianus, & Hypatianus Epiſcopus Heracleæ. Ex Occidē-
libus verò Valens Murſorum, & Oſius Cordubę, qui inſidiis Aria-
orū paulò ante in exilium expulſus, ſtudio potius ſeu dolo eorū,
n Sirmii convenerant, ab Imperatore accerſebatur. Synodus igi-
r primùm Photinum deprehenſum in errore Sabellii & Samo-
teni depoſuit, poſtea fidei formulas conſcripſit inter ſe diverſas,
ræcam unam, Romanam alteram: cuius paulo pòſt ipſos etiam
itores pœnituit, ideo quod contraria ipſorum doctrinæ conti-
re viderentur. Oſius autem qui invitus ſynodo intererat, prin-
piò conſentire nolens, verberibus ad aſſenſionem & ſubſcri-
ionem compulſus eſt. Socrates *lib.* 2 *cap.* 22. Sozomenus *ibidem.*
ui & *libr.* 4. *cap.* 12. indicat, Oſium in eadem ſynodo ſententiam
nc approbaſſe, quod neque homouſion, neque homiuſion di-
ndum ſit, ideò quod nomina iſta ignota eſſent ſcripturis. atq,
m ob cauſam Arianos, Oſii aliorumque Catholicorum nomi-
, literas ementitas Sirmii, ad Orientales dediſſe, gloriantes, Occi-
ntales tandem in ſuam ſententiam & planam & veram con-
ſſiſſe. Videtur & ex eodem libro, eodem cap. 13. Synodum eam
nſtituiſſe, Filium ſecundum eſſentiam Patri ſimilem dicen-
m eſſe. Et affirmat Hilarius contra Conſtantium, in ea ſyn-
o Conſtantium admiſiſſe & probaſſe ſubſtantiæ nomen, Chri-
m nempè homouſion eſſe. ſed per ſimulationem, ut Occiden-
ibus imponeret. Extant duo ſymbola apud Socratem *lib.* 2.
. 3. & Athanaſium *in epiſtola de Synodis Arimini & Seleuciæ.* Re-
at utrumque ſymbolum & Hilarius *de Synodis adverſus Aria-*
. Ac prius quidem, cum prolixiſſima explicatione. De po-
iori autem ſic ait &c. *Lucæ Oſiandri.*

II. Lucas Osiander *Epitom. Hiſt. Eccl. cent.* 4. *l.* 4. *c.* 9. *pag.*
7. Photinus cum Eccleſiam novo & impio dogmate (quod
nen ex Arianæ hæreſeos ſubſtantia natum erat) perturbaſſet,
ebrata eſt eius rei cauſa Synodus Sirmienſis, juſſu & volun-
e Conſtantii Imperatoris. In ea Synodo convenerunt Epi-
pi Ariani præcipuè (non multi tamen) ex Oriente & Oc-
ente: inter quos omnium nequiſſimi erant Georgius Ale-
idrinus, & Valens. Oſium autem Cordubenſem Epiſcopum

K ſyn-

(ſincerum Doctorem, & virum magnæ autoritatis, ſed valdè mitem) per Imperatorem ad hoc Concilium vocari curaverunt, non ut illius conſilio obtemperarent, ſed ut eius autoritate (per mendacium & calumniam) abuterentur. Compoſitæ autem ſunt in eâ Synodo duæ formulæ fidei, Græca & Romana ſeu Latina. Et quidem in prima formula (Græca illa) non quidem expreſsè ponitur vox Homouſios: ſed tamen quædam phraſes impiæ, quibus Arius eiusque complices (quandò craſsè loquebantur) uſi fuerant, damnatæ ſunt: ſic enim ſcripſerunt Patres huius Synodi: Eos porrò, qui dicunt, ex non ente, aut ex alia ſubſiſtentia, & non ex Deo filium extitiſſe, aut quod tempus aut ætas fuit, quando ille non erat, alienos à ſe cenſet ſancta & Cathol. Eccleſia, &c. Et huius generis plura: ita tamen ambigua ſunt pleraq;, ut ſub iſtis cothurnis potuerit Arianiſmus (per detortam expoſitionem) deliteſcere. Credibile eſt autem, quicquid in hac Græca formula (quæ admodum prolixa & verboſa eſt) boni continetur, id per Oſium Cordubenſem (ad excludendum Arianiſmum) fuiſſe inſertum: & fortaſſe Arianos permovit Conſtantii Imperatoris autoritas, qui (tum temporis) admiſiſſe ſcribitur vocabulum homouſios, non quidem seriò, ſed per ſimulationem, ut Orthodoxos Orientales Epiſcopos falleret. Certè mox Epiſcopos Arianos pœnituit prædictæ formulæ: haud dubiè metuentes, ne malam gratiam apud ſocios ſuos (reliquos Arianos) inirent: itaque aliam formulam lingua Romana conſcripſerunt: ideò hac lingua potiſſimum uſi, ut Occidentalibus Epiſcopis perſuaderent, formulam ab Oſio conſcriptam eſſe. Ea autem formula priori admodum diſſimilis eſt: & nihil prorſus continet, quod Arianiſmum verè & candidè excluderet: quin potius ita comparata eſt, ut Arianiſmum fovere poſſet. Hæc enim (inter alia) in ea formula continentur. Cœterùm, quia multos commovet vox, Latinè quidem dicta ſubſtantia: Græcè autem οὐσία, hoc eſt, ut diligentius cognoſcatur, illud quoq; ὁμοούσιον aut ὁμοιούσιον dicitur: nullam earum vocum mentionem debere fieri, neq; de ea id ſermocinandum in Eccleſia cenſemus, *quod de iis nihil ſcriptum ſit in ſacris literis: & quod illa hominum intellectum, & mentem tranſcendant,*

dant, & quod nemo poßit generationem filii enarrare, quemadmodum ſcriptum eſt; Generationem eius quis enarrabit? Solum enim Patrem ſcire, quomodo filium ſuum genuerit, certum eſt. Nulli vero ambiguum, Patrem MAIOREM *eſſe: neque eſt, quod quisquam dubitet, patrem honore, dignitate, Deitate, atq; adeò ipſo nomine paterno maiorem eſſe, atteſtante præſertim ipſo filio*: Qui miſit me Pater, maior me eſt, *& hoc ipſum Catholicum eſt. Et nemo ignorat, duas eſſe perſonas Patris & Filii: ac proinde Patrem maiorem: Filium vero Patri cum omnibus, quæ illi Pater ſubiecit, ſubiectum eſſe: Patremq;* INITIUM NON HABERE, *& inviſibilem, & immortalem, & liberum à paßionibus eſſe.* Hactenus Latina fidei formula. Quod autem mox in eodem ſcripto dicunt, *filium ex Patre genitum eſſe, DEUM ex DEO, lumen de lumine*: & poſt pauca: *Summa autem totius fidei & firmamentum eſt, ut Trinitas ſemper retineatur, &c.* hæc blaſphemias antecedentes non emendant: neq; enim Chriſtum verum, coæternum, & Patri conſubſtantialem Deum eſſe crediderunt: neque talem Trinitatem aſſeruerunt, in qua trium perſonarum ſit vera æqualitas (Tales igitur ambiguitates Theologi, in hæreticorum ſcriptis, obſervent & caveant.) Porrò, cum Oſius Cordubenſis hanc lubricam, imò impiam fidei formulam approbare noluiſſet, virum illum decrepitum & debilem coëgerunt, & verberibus ab eo ſuſcriptionem extorſerunt. Poſtea ementitas & falſas literas ſub Oſii, aliorumq; Catholicorum nomine, ad Orientales Epiſcopos dederunt, in quibus perſcriptum erat; Occidentales in Orientalium (Arianorum Epiſcoporum) ſententiam, ut planam & veram, conceſſiſſe. Tanta eſt vis ſpiritus mendacis in hæreticis, qui ſemel verecundiæ fines tranſierunt. Cum autem Photinus hæreticus, neque primam, neque ſecundam fidei formulam Sirmienſem amplecteretur (quamvis & ipſe Chriſti divinitatem negaret: ſed craſſius, quàm Sirmienſes) neque pollicitationes Synodi (de reſtitutione Epiſcopatus) quicquam curaret, ſed potius Synodum ad diſputationem provocaret: dictus eſt diſputationi dies ex ſententia Imperatoris, adiuncti ſunt aliquot Senatores & Notarii, qui ſingula exciperent: oritur acerrima diſputantium concertatio. Photinus autem à Baſilio Ancyrano (nomine Synodi diſ-

Luci Oſiandri.

Lucæ Oſiandri. putante) victus & à ſynodo condemnatus aufugit. Hæc talis fuit actio, quaſi cum Calviniſtæ contra Anabaptiſtas & Schvvenckfeldianos de Baptiſmo & Cæna Domini diſputant, eosque erroris arguunt, & condemnant: cum tamen reipſa idem ſentiant de utroque Sacramento (quoad Sacramentorum vim & efficaciam) quod Anabaptiſtæ & Schvveckfeldiani: niſi quod aliquantò cautiùs loquuntur; quippe quos talium errorum, coram Eccleſia Dei, pudet: quos tamen corrigere nolunt.

Sal. Geſneri. III. Sal. Gesnerus *de Concil. T. 1. p. 179.* Imperator Conſtantius dum Sirmii civitate Pannoniæ, ut ex Ptolomæo conſtat, commoratur, Photinus eius Eccleſiæ Epiſcopus dogma quoddam, quod ipſe ſeparatim excogitaverat, palàm divulgare conatur, & quoniam tumultus ex hoc oriebatur, Imperator (quod obſervari debet) Concilium Epiſcoporum Sirmii convocari iubet. Eò igitur convenére ex Epiſcopis Orientis Ariani, & Occidentales, inter quos Oſius Cordubenſis eminuit, invitus & præter voluntatem intereſſe coactus. Socrates *lib. 2. cap 24.* Photinum & eius dogma ita deſcribit *Sozomenus lib. 4. cap. 5.* Quoniam ingenio tùm ad benè dicendum, tùm ad perſuadendum multum valebat, idcircò multos ad ſuam opinionem traxit. Qui tametſi affirmavit, unum Deum omnipotentem eſſe, qui proprio verbo condidit univerſa: tamen, quod Filius DEI ante ſecula generatus ſit & extiterit, nullo modo concedere voluit, ſed Chriſtum ex Maria genitum docuit. Quod igitur Epiſcopi illic congregati blaſphemum Photini dogma damnârunt, ipſumque Epiſcopatu abdicarunt (Sozomen. & Socr. locis indicatis) in eo probanda eſt Synodus. Sicuti etiam iſta decreta ad aſtruendam S. Trinitatem, ſi ſolus abfuiſſet, rectè haberent: Si quis hoc dictum, Faciamus hominem, non Patrem & Filium, ſed Deum ſecum loqui affirmet, anathema eſto. Etſi autem hæc in ſpeciem pro aſſerenda S. Trinitate benè pronuntiata videntur: quia tamen eſſentiæ, maieſtatis & dignitatis æqualitatem, & ταυτότητα in tribus perſonis iidē Epiſcopi negarunt, ideò hæc quoq; omnem ſuam dignitatem perdunt. Mox enim in eadem confeſſione ſubiiciunt: Non autē eiuſdem ordinis Patrem & Filium, ſed Filium Patri ſubiectum arbitramur. Et in poſteriore

formula

Digitized by Google

formula, qua priorem non modo emendare, ſed abrogare voluerunt, in gratiam Arianorum, iniuſtiſſimæ pacis cupiditate ſanxerunt hoc pacto &c. Vtramque fidei formulam recitat Socrates & Hilarius de ſynodis adverſus Arianos, ubi ſuum iudicium, quod tatu dignum eſt, adiungit, quod hîc addimus: Meminiſtis, in ea ſcripta proximè apud Sirmium blaſphemia id tentatum ac laboratum fuiſſe, ut dum Pater unus & ſolus omnium Deus prædicatur, Deus eſſe Filius negaretur, & dum de homouſio & ὁμοιουσίῳ notaceri decernitur, id decretum eſſe, ut aut ex nihilo, ut creatura, aut ex alia eſſentia, ut conſequentia creaturarum, & non ex Deo Patre, Deus Filius natus confirmaretur. Tùm porrò in eo, quod honore, claritate, dignitate, maieſtate Pater maior diceretur, id eſſe quæſitum, ut Filius his omnibus, quibus Pater maior eſt, indigeret. Poſtremò dum ignorabilis nativitas eius aſſeritur, per hoc ignorantiæ decretum, neſcire, quod ex Deo ſit, iuberemur. Perinde quaſi iuberi, decernique poſſit, ut quis aut quod ignoraturus ſit, ſciat, aut quod ſcierit, ignoret. Poſtremò adiiciendum huic narrationi videtur, quod Hilarius perhibet, Conſtantium in eo conciliabulo voces, ὀσίας & ὁμοουσίου, admiſiſſe, ſed callidè & ſimulanter, ut nimirum Occidentalibus perſuaderet, non in rebus ipſis & doctrina de perſona Chriſti, ſed ſolummodo in iſtis vocabulis contentionem Orientalium & Occidentalium verſari, eoque figmento Occidentales adduceret, ad ſphingen Sirmianam ſubſcribendam. Neque ſilentio prætereundum, quod de ſubſcriptione ab Oſio ſene vi extorta annotavit Socrates l b.2.cap.25. ita ſcribens: Quanquam iſte paulo ante per fraudulentum Arianorum conatum erat in exilium miſſus: id temporis tamen ſtudio & labore Epiſcoporum, qui Sirmii convenerant, factum eſt, ut Imperator illum accerſeret, habens in animo vel perſuadendo vel cogendo eum inducere, ut cum Epiſcopis ibi coactis conſentiret. Nam ſi iſtud factum eſſet, illorum fides perilluſtri teſtimonio confirmata videretur. Hac de cauſa invitus, ut dixi, acceſſit ad Concilium. Simul atque vero ſenex ille eorum fidei aſſentire abnuebat, plagæ illi erant inflictæ, membraque machinis diſtorta. Quapropter fidei formulis eo tempore editis vi & neceſſitate compulſus conſenſit

 ſub-

Digitized by Google

Ioach Camerarii. ſubſcripſitque. Atque res tum Sirmii geſtæ hunc exitum habuere.

IV. JOACHIMUS CAMERARIUS *in annot. ad Chronolog. Nicephori de hiſt. ſyn. Nicæna p.* 213. Poſt concilium Nicænũ q. apertis fonbus altercationũ prorupere varii concurſus & multiplices diſputationes ac deciſiones, & rursũ abrogationes ac novæ contentiones, & recentia decreta commota factaq; & edita fuerunt. Nam poſt Nicænam formulam, mox Antiochiæ duæ expoſitiones prolatæ, & hanc tertia ſecuta fuit, oblata Imperatori Conſtantino in Galliis. Quarta, transmiſſa ab Eudoxia. Sirmii dictatæ tres, harumque una Arimini recitata. Octava, Seleuciæ propoſita formula fuit ab ACACIANIS. Poſtrema Conſtantinopolitana, exemtis contentioſis vocabulis, ut videbatur, *ὀυσίας* & *ὑποστάσεως*. Ita deinceps miſeria & calamitate orbis terrarum, quaſi fluctibus inundavit. donec maxima parte huius, tenebris impietatis ac errorum obruta, & alicubi ſuperſtitione captis hominum mentibus, Eccleſia ſervilem & deplorandam magis quam optandam quietem habuit.

Sethi Calviſii. V. SETHUS CALVISIUS *Chronol. pag.* 400. Sirmii in Pannonia iuſſu Conſtantii Concilium, in quo Imperator & Epiſcopi Orientales, ut ſe ſuſpicione hæreſeos ARIANÆ liberarent, Photinum damnant, novamque Confeſſionem cudunt, cui, cum & cruciatus & tormenta Occidentalibus Epiſcopis adhiberentur, ſubſcripſit etiam Oſius iam Centenario maior, & Liberius, qui inſuper in damnationem ATHANASII conſenſit, quod Oſius facere noluit. Liberius inde Romam revertitur, ſed quod ſubſcripſiſſet, & cum Arianis communicaſſet, non recipitur. Felix interim, qui vicem Pontificis hactenus geſſerat, quanquam malis artibus introierat, Pontificatum gerit, & Imperat. Conſtantium hæreſeos damnat, ob quam cauſam iuſſu Conſtantii trucidatur.

N. Selneccери. VI. NIC. SELNECCERUS *in Catalogo præcipuar. ſynodorum pag.* 22. Synodus Sirmienſis *ann.* 355. præſente Imperatore Conſtantio, etſi contraria fuit Nicæna, tamen in ea damnatus eſt Photinus, negans duas naturas in Chriſto nato ex Virgine, & ſimul ut pro voce *ὁμοούσιος* vox *ὅμοιος* uſurparetur, & hoc cothurno diſcordia tolleretur, decretum eſt,

VII. D.

VII. D. Joh. Gerhardus *in Exegeſi de Trin. loco 3. §. 111. p. 1091.* inter interpretes Chriſtianos poſt Irenæum & Iuſtinum Martyrem Concilium Sirmienſe ponit. *D. Ioh. Gerhardus*

VIII. D. Theodorus Thummius *in diſſert. de plural. Perſonarum in divina eſſentia p. 61.* eodem loco collocat. *D. Theod. Thummius.*

IX. Ego *in Vindiciis cap. 3. Exodi cap. 2. ſub finem p. 57. ante quindecim annos*: De Sirmienſis Concilii actis diſtinctius iudicandum eſt. Prima illa Confeſſio, quam Marcus Arethuſius Epiſcopus conſcripſit, ſemper ab antiquitate Orthodoxa laudata fuit. Hilarius eam prolixo ſatis commentario dignatus eſt, in quo quæ duriores occurrunt locutiones ad ſaniorem ſenſum reducit. & poſt. Plurima ſunt fundamenta in hac confeſſione, quæ contra & Arianos & Photinianos urgeri poſſunt ſolidè. Vide eam apud Socratem *lib. 2. c. 25. edit. Lat. c. 40. edit. Græc. Rob. Steph.* Athanaſium *Tom. 1. epiſtpola de Synodis Arimini & Seleuciæ pag. 693.* qui eam non damnat, ſed potiùs Arianos, quod omnibus his neglectis & veluti melioribus repertis aliam fidem decreverint, Romana lingua, in qua errores ſuos Arianos palam ſeminarunt. De qua altera non autem priori intelligendum eſt, quod habet Hilarius in dicto com. Meminiſtis, in ea ſcripta proximè apud Sirmiũ blaſphemia, id tentatum ac laboratum fuiſſe, ut dum pater unus & ſolus omnium Dominus prædicatur, Deus eſſe filius negaretur: & dum de homouſio & ὁμοιουσίῳ taceri decernitur, id decretum eſſe, ut aut ex nihilo ut creatura, aut ex alia eſſentia, ut conſequentia creaturarum, & non ex Deo Patre, Deus Filius natus confirmaretur. Tum porrò in eo, quod honore, claritate, dignitate, maieſtate, Pater maior diceretur id eſſe quæſitum, ut filius his omnibus pater maior eſt, indigeret. Poſtremò, dum ignorabilis nativitas eius aſſeritur, per hoc ignorantiæ decretum, neſcire quod ex Deo ſit, iuberemur. Perinde quaſi iuberi decerniq; poſſit, ut quis aut quod ignoraturus ſit ſciat, aut quod ſcierit ignoret. Et rurſus, Syrmienſis Concilii auctoritas eatenus valida eſt & firma, quatenus, licet reliquæ confeſſiones Ariano veneno ſcateant, prima tamen quæ ſola Concilii nomine apud orthodoxos intelligi debet.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO II.

ACTA Concilii SIRMIENSIS reliqua exhibens.

CAPUT I.

Prima Sirmienſis fidei Confeſsio, quæ Marco Arethuſio Epiſcopo tribuitur.

Acta Sirmienſis Concilii, ut inter antiquitatis indigeſtæ rudera ſunt, hîc colligamus. Eminet Confeſſio pluribus capitibus conſtans, quam primum ex Tom. Conc. Severini Binii repræſentabimus. Eſt autem hæc.

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, creatorem & factorem omnium, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur, & in unigenitum eius Filium, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ante omnia ſecula ex Patre genitum, Deum ex Deo, Lumen de Lumine, per quem omnia in cœlis & in terra facta ſunt, tam inviſibilia, quam viſibilia, eundemq; Verbum eſſe & Sapientiam, Lucem veram, & vitam, & ultimis diebus hominem factum, natumq; ex Sancta Virgine, crucifixum, & mortuum & ſepultum eſſe, & reſurrexiſſe è mortuis tertio die, & aſſumtum in cœlos eſſe, ſedereq; ad dextram Patris, venturumq; in conſummatione ſeculi, ut iudicet vivos & mortuos, reddatq; unicuiq; ſecundum opera ſua, cuius regnum indeſinens permanebit in infinitas ætates. Sedet enim ad dextram Patris non ſolum in hoc ſeculo, ſed in futuro. Et in Spiritum Sanctum, hoc eſt, Paracletum, quem promiſſum Apoſtolis, poſt aſcenſum in cœlos miſit, ut doceret eos & commonefaceret omnium, per quem omnes animæ, quæ in eum ſinceriter credunt, ſanctificantur. 1. Eos porrò, qui dicunt, ex non ente, aut ex alio ſubſiſtente, & non ex Deo Filium extitiſſe, aut quod tempus, aut ætas fuit, quando ille non erat, alienos à ſe cenſet Sancta & Catholica Eccleſia. Iterum ergo dicimus, 2. Si quis Patrem & Filium duos Deos opinetur, anathema eſto. Item 3. ſi quis dicens, Deum Chriſtum eſſe, ſed eum ante ſecula Filium

Filium Dei & adminiſtrum Patri ad univerſitatis creationem non fuiſſe confiteatur, anathema eſto. 4. *Si quis eum, qui ingenitus eſt, aut partem eius ex Maria natum auſit dicere, anathema eſto.* 5. *Si quis Filium ante Mariam, ſed ſecundum præcognitionem fuiſſe dicat, ac non potius ante ſecula ex Deo genitum apud Deum fuiſſe, & per eum omnia facta eſſe, anathema eſto.* 6. *Si quis ſubſtantiam Dei dilatari aut contrahi loquatur, anathema eſto.* 7. *Si quis dilatatam eſſentiam, Filium efficere dicat, aut dilatationem ſubſtantiæ Dei Filium nominet, anathema eſto.* 8. *Si quis merum hominem ex Maria natum eſſe dicat, anathema eſto.* 9. *Si quis hæc verba, Ego ſum Deus primus, Ego quoq; poſtea, & præter me non eſt Deus, quæ ad ſubverſionem idolorum dicta ſunt, ad ſubverſionem unigeniti ante ſecula Dei Iudaicè accipiat, anathema eſto.* 10. *Si quis hoc dictum, Verbum caro factum eſt, audiens, Verbum in carnem mutatum eſſe opinetur, aut poſtquam converſionem paſſum eſſet, carnem aſſumſiſſe dicat, anathema eſto.* 11. *Si quis unigenitum Filium Dei crucifixum audiens, eius deitatem corruptionem, paſſionem, mutationem, diminutionem, aut extinctionem ſuſtinuiſſe dicat, anathema eſto.* 12. *Si quis hoc dictum, Faciamus hominem, non Patrem ad Filium, ſed Deum ſecum loqui affirmet, anathema eſto.* 13. *Si quis Abraham, non Filium, ſed ingenitum Deum aut Patrem eius vidiſſe, aſſeveret, anathema eſto.* 14. *Si quis cum Iacob non Filium colluctatum eſſe dicat, ſed ingenitum Deum aut Patrem eius, anathema eſto.* 15. *Si quis hoc dictum, Pluit Dominus ignem à Domino non de Patre & Filio accipiat, ſed ipſum à ſeipſo pluiſſe dicat, anathema eſto. Pluit enim Filius Dominus à Domino Patre.* 16. *Si quis audiens Dominum Patrem, Dominum item Filium, eo quod Dominus ex Domino ſit, duo numina exiſtimet, anathema eſto. Non autem eiuſdem ordinis Patrem & Filium, ſed Filium Patri ſubiectum arbitramur. Neque enim ille Sodomam ſine conſilio Patris deſcendit, neq; à ſe pluit, quum penes Patrem autoritas ſit, neque ex ſe habeat, quod ſedet ad dextram Patris, ſed auſcultet Patri ita loquenti, Sede à dextris meis, anathema eſto.* 17. *Si quis Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum unam perſonam eſſe dicat, anathema eſto.* 18. *Si quis Spiritum ſanctum paracletum nominans, ingenitum dicat Deum, anathema eſto.* 19. *Si quis, ut docuit DOMINVS, alium aduc nomi-*

net paracletum præter Filium (dixit enim: Et alium paracletum mittet vobis, quem ego rogabo) anathema eſto. 20. *Si quis Spiritum Sanctum partem aliquam dicat Patris aut Filii, anathema eſto.* 21. *Si quis Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum tres Deos appellet, anathema eſto,* 22. *Si quis voluntate Dei Filium Dei ita extitiſſe dicat, ut aliquid, quod conditum eſt, anathema eſto.* 23. *Si quis nolente Patre Filium genitum eſſe dicat, anathema eſto: (Non enim Pater coactus naturali neceſſitate, Filium, quem noluit, genuit, ſed ſtatim ubi voluit, ſine tempore & paſſione eum ex ſe genitum edidit) anathema eſto.* 24. *Si quis ingenitum & ſine origine Filium nominat eo animo, ut duo ingenita & inoriginata, & duos Deos ſtatuere velit, anathema eſto. Caput enim & principium omnium Filius eſt. Caput vero & principium Chriſti Deus, ita enim ad unum principium univerſitatis nullo initio inchoatum, per Filium piè omnia reducimus, iterumque exactè tradentes Chriſtianiſmi ſenſum dicimus, ſi quis Chriſtum Deum Filium Dei ante ſecula, adminiſtrumque ad univerſitatis opificium fuiſſe neget, ſed ex quo tempore è Maria genitus eſt, Chriſtum & Filium appellatum fuiſſe, & principium ſuæ Deitatis tum accepiſſe dicat, anathema eſto.*

CAPUT. II.

Exhibet primæ Confeſſionis varias Lectiones ex collatione Athanaſii, Socratis, Hilarii.

PRimum articulum Athanaſius *de Synodis T.* 1. *p.* 693. & Socrates *lib. β. c. λ.* planè in græcis concorditer habent. Hilarius *de Synod. pag.* 316. pro *creatorem & factorem omnium*, ut Binius habet *creatorem & conditorem.* Chriſtophorſ. reddit *creatorem & fabricatorem omnium.* Apud Athanaſium tranſlatum eſt, ut habet Binius. In ſecundo articulo Athanaſius habet καὶ ταφέντα, quod omittit Socrates. Hilarius habet *Deum ex Deo*, ut Athanaſii græca & Socratis habent, ubi Athanaſii interpres & Binius omittunt *Deum.* Et Chriſtophorſ. Hilarium ſequitur. Ταφέντα & Hilarius reddit, & Athanaſii interpres & Binius. Tertius articulus apud Athanaſium & Socratem unifor-

Digitized by Google

niformis eſt. Primum anathematiſmum iidem iisdem verbis tradunt. Hilarius vero ita reddit: *Eos autem, qui dicunt, de nullis extantibus eſt filius*, vel *de alia ſubſtantia, & non ex Deo, & quod erat tempus vel ſeculum, quando non erat, alienos ſcit ſancta & catholica Eccleſia.* Secundus nihil diſſenſus habet. In tertio Hilarius ab Athanaſio & Socrate recedit Hos rectè expreſſit interpres Ath. & ex eo Binius. Hilarius autem ait: *Si quis unum dicens Deum, Chriſtum autem Deum ante ſecula Filium Dei, obſecutum Patri in creatione omnium non confitetur, anathema ſit.* Quartus, quintus, (niſi quod Hilarius cum προγνώσει quam *præſcientiam* reddit *prædeſtinationem* coniungit) ſextus, ſeptimus, octavus, uti apud Athanaſium collocatur, concordant, niſi quod Hilarius octavo loco collocet hunc anathematiſmum. *Si quis inſitum, vel prolativum verbum Filium Dei dicat, anathema ſit.* Socrates. εἴ τις ἐνδιάθετον ἢ προφορικὸν λόγον λέγοι τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, ἀνάθεμα ἔστω. Poſt octavum Binii ante eum, quem & Athanaſianus interpres ſubiicit & cæco obſequio Binius, Hilarius hunc collocat velut decimum; *Si quis Deum & hominem de Maria natum dicens, Deum innaſcibilem ſic intelligit, anathema ſit. Et Socrates habet.* Εἴ τις θεὸν καὶ ἄνθρωπον τὸν ἐκ Μαρίας λέγων, θεὸν τὸν ἀγέννητον αὐτὸν νοεῖ, ἀνάθεμα ἔστω. Et ipſe Athanaſius græcè habet, quod Interpres omiſit. Nonus apud Binium aphoriſmus, qui & in Athanaſio & Socrate reperitur, apud Hilarium h. l. non extat. Decimum Binii Hilarius undecimo loco collocat & ſic reddit: *Si quis verbum caro factum eſt audiens, verbum in carnem translatum* λόγον εἰς σάρκα μεταβεβλῆσθαι *putet, vel demutationem ſuſtinentem accepiſſe carnem* τροπὴν ὑπομεμενηκότα ἀνειληφέναι τὴν σάρκα (ineptè interpres Athanaſ. *Poſtquam converſionem paſſum eſſet, carnem aſſumſiſſe*: quaſi converſio antecederet aſſumtionem carnis: rectiùs Chriſtophorſ. interpres Socratis: *converſionem ſubeundo carnem ſumſiſſe*) *dicit, anathema ſit.* Vndecimum Binii convenienter Hilario expreſſit interpres Athanaſii, dum Deitatem inſeruit. Sic enim & Hilarius: *Si quis unicum Filium Dei crucifixum audiens, Deitatem eius corruptionem vel paſſibilitatem aut demutationem, aut diminutionem, vel interfectionem ſuſtinuiſſe dicat, anathema ſit.* Imò & convenienter Athanaſio, quem aliàs non ſemper feliciter

 expri-

exprimit. Nam & is habet τὴν θεότητα. Non autem habet Socrates; tantum ait; εἴτις τὸν μονογενῆ υἱὸν τοῦ θεοῦ ἐσταυρωμένον ἀκούων φθορὰν, ἢ πάθος, ἢ τροπὴν &c. Duodecimus Binii nil habet apud autores diſcrepantiæ, niſi quod apud Hilarium eſt decimus tertius. Decimus tertius Binii, quem & Athanaſius habet & Hilarius, non extat in Socrate edit. Reg. Nec interpres reddit. Hilarius τὸν ἀγέννητον θεὸν *Deum innaſcibilem* reddit. Decimus quartus Binii ubique concordat. Et decimus quintus, niſi quod Athanaſius πῦρ habet eiusq; interpres ignem, quod omiſit Socrates, & ante eum Hilarius, & interpres Socratis. Decimus ſextus in græco tam Athanaſii, quam Socratis corruptus eſt. Ita Athanaſius. Εἴτις ἀκούων κύριον τὸν πατέρα, καὶ τὸν υἱὸν κύριον, καὶ κύριον τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱὸν, Ἐπεὶ κύριος ἐκ κυρίου, δύο λέγει θεοὺς, ἀνάθεμα ἔστω: Socrates plura confundit. Εἴτις ἀκούων κύριον τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱὸν κύριον, καὶ τὸν κύριον τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱὸν εἴποι, καὶ, κύριος ἐκ κυρίου, λέγων δύο λέγοι θεοὺς, ἀνάθεμα ἔστω. Rurſus Socrates. Οὐ γὰρ κατῆλθεν εἰς σῶμα ἄνευ βουλῆς τοῦ πατρὸς. Vbi Athanaſ. pro σῶμα rectius habet Σόδομα. Iterum Socrates. Οὐδὲ ἔβρεξεν ἀφ᾽ ἑαυτοῦ, ἀλλὰ παρὰ κυρίου αὐθεντοῦντος, δηλαδὴ τοῦ πατρὸς, λέγοντος, κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ἀνάθεμα ἔστω. Vbi Athanaſ. poſt verba δηλαδὴ τοῦ πατρὸς legit, οὔτε κάθηται ἐκ δεξιῶν ἀφ᾽ ἑαυτοῦ, ἀλλ᾽ ἀκούει λέγοντος τοῦ πατρὸς, κάθου &c. Hilarius habet ad ſententiam Athanaſii. *Si quis Dominum & Dominum, Patrem & Filium q. Dominum à Domino intelligat, quia Dominum & Dominum, duos dicat Deos, anathema ſit. Non enim exæquamus, vel conformamus Filium Patri, ſed ſubiectum intelligimus. Neque enim deſcendit Sodomam ſine Patris voluntate, neque pluit ex ſe, ſed à Domino, autoritate ſcilicet Patris: nec ſedet in dextra à ſemetipſo, ſed audit dicentem Patrem, ſede ad dextram meam.* Decimus ſeptimus, & Decimus octavus, nihil diſcrepant. In decimo nono Athanaſ. habet, εἰ τὶς ὡς ἐδίδαξεν ἡμᾶς ὁ κύριος, Socrates omittit κύριος, quod tamen interpretes & Hilarius habent. In vigeſimo Athanaſius legit τοῦ πατρὸς ἢ τοῦ υἱοῦ Patris vel Filii, uti & Hilarius reddit. Socrates habet, τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ, interpres Chriſtophorſ. *Patris & Filii.* Viceſimus primus per omnia concordat.

cordat. Poſt eum apud Hilarium extat anathematiſmus, quem alii nonum faciunt, ut notatum ſupra. Viceſimo ſecundo Athanaſius legit ὡς ἕν τῶν ποιημάτων, Socrates habet ὡς ἕν τῶν κτισμάτων. Hilarius, *tanquam unum aliquid de creatura.* Viceſimo tertio Ath. legit γεγεννῆσθαι λέγοι τὸν υἱὸν, Socrates γεγεννῆσθαι τὸν υἱὸν λέγοι. Poſt Ath. legit: οὐ γὰρ βιασθεὶς ὁ πατὴρ ὑπὸ ἀνάγκης φυσικῆς ἀχθεὶς, ὡς οὐκ ἠθέλησεν ἐγέννησε τὸν υἱὸν, ἀλλ' ἅμα τε ἠβουλήθη, καὶ ἀχρόνως καὶ ἀπαθῶς ἐξ ἑαυτοῦ αὐτὸν γεννήσας ἐπιδέδειχεν, ἀνάθεμα ἔστω. Socrates habet. οὐ γὰρ μὴ βουλομένου τοῦ πατρὸς, βιασθεὶς ὁ πατὴρ ὑπὸ ἀνάγκης φυσικῆς, ἄυθις ὡς οὐκ ἤθελεν ἐγέννησε τὸν υἱὸν, ἀλλ' ἅματε ἐβουλήθη καὶ ἀχρόνως καὶ ἀπαθῶς ἐξ αὐτοῦ αὐτὸν γεννήσας ἀπέδειξεν, ἀνάθεμα ἔστω. Vbi poſtremum hoc anathema ſuperfluum eſt, nec cum contextu cohæret, unde nec Hilarius expreſſit. De cætero hic Athanaſii lectionem repræſentat: *Non enim coactus Pater vel naturali neceſſitate ductus, cum nollet, genuit Filium, ſed mox ut voluit ſine tempore & impaſſibiliter ex ſe genitum eum demonſtravit.* Viceſimus quartus Binii &, cuius interpretem Binius ſecutus eſt, Athanaſii, qui eſt viceſimus ſextus Hilarii, per omnia conſentit.

CAPVT. III.

Secunda Sirmienſis Confeſſio, quæ priori ſubſtituta eſt.

ATHanaſius prima confeſſione propoſita, ut ſupra annotavimus, ſubiicit: Iſtis omnibus neglectis, & veluti melioribus repertis aliam fidem decernunt, & Sirmii referunt Romano ſermone. Mirum eſt Sever. Binium iſtam ex Athanaſio produxiſſe, qui illam græcè reddidit, cum apud Hilarium extet Latina, veriſimiliter ea, quam ῥωμαϊστὶ Romano ſermone ſcriptam dixit Athanaſius. Nos Binium ſupra ſecuti, etiam hîc non deſeremus, differentiam ſequenti capite indicaturi.

Quoniam de fide placuerat diſceptationem fieri, omnia cum ſedulitate inquiſita & examinata fuere Sirmii in præſentia Valentis, Urſacii, Germinii, cæterorumq; omnium. Conſtitit ergo unum eſſe

Digitized by Google

Deum omnipotentem, ſicuti in univerſo orbe prædicatur, & unum e-ius unigenitum Filium, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ex eo ante ſecula genitum, duos tamen Deos non oportere dici, quum ipſe Dominus de ſe locutus ſit, Vado ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum, ideoq; omnium Deus habendus eſt, quemadmodum Apoſt. dixit, An Iudæorum tantummodo ſit Deus & non etiam gentium? certè & gentium, quoniam unus eſt Deus, qui iuſtificabit circumciſionem ex fide & præputium per fidem: & reliqua omnia conſentiunt, & nullam prorſus habent ambiguitatem. Ceterum quia multum commovet vox, Latinè quidem dicta ſubſtantia, Græcè autem ὀσία, hoc eſt, ut diligentius cognoſcatur, illud quod ὁμοούσιον aut ὁμοιούσιον dicitur, nullam earum vocum mentionem debere fieri, neq; de iis ſermocinandum in Eccleſia cenſemus, quod de iis nihil ſcriptum ſit in ſacris literis, & quod illa hominum intellectum & mentem tranſcendant, & quod nemo poſſit generationem Filii enarrare, quemadmodum ſcriptum eſt, Generationem eius quis enarrabit? Solum enim Patrem ſcire, quomodo Filium ſuum genuerit, certum eſt. Nulli vero ambiguum, Patrem maiorem eſſe, neq; eſt, quod quiſquam dubitet, Patrem honore, dignitate, deitate atq; adeo ipſo nomine paterno maiorem eſſe, atteſtante præſertim ipſo Filio, Qui miſit me Pater, maior me eſt: & hoc ipſum Catholicum eſt, & nemo ignorat, duas eſſe perſonas Patris & Filii, ac proinde Patrem maiorem, Filium vero Patri cum omnibus, quæ illi Pater ſubiecit, ſubiectum eſſe, Patremq; initium non habere, & inviſibilem & immortalem & liberum à paſſionibus eſſe: Filium vero ex Patre genitum eſſe, DEVM ex DEO, Lumen de Lumine, eiusq; generationem, quemadmodum ſuperius dictum eſt, neminem ſcire, niſi ſolum Patrem, ipſumq; Filium Dominum noſtrum & Deum, carnem ſive corpus, hoc eſt, hominem è Maria Virgine aſſumſiſſe. Quemadmodum Angelus prænunciaverat: & omnes ſcripturæ docent, & inprimis ipſe gentium Apoſtolus, hominem aſſumſit Chriſtus ex Maria Virgine, per quem paſſus eſt. Summa autem totius fidei & firmamentum eſt, ut Trinitas ſemper retineatur, quemadmodum legimus in Evangelio: Abite & baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Numerus autem Trinitatis integer & perfectus eſt, Paracletus porrò, nimirum Sanctus, per Filium miſſus ſecundum Evangelium venit, ut Apoſtolos & omnes credentes erudiret & ſanctificaret.

Digitized by Google

CAPVT IV.

Exhibet ſecundæ Confeßionis variationes ex collatione Hilarii, Athanaſii, Socratis.

Hilarius hanc *ſynodum* vocat *exemplum blaſphemiæ, apud Sirmium per Oſium & Potamium conſcriptæ*: & primum articulum ita refert: *Vnum conſtat Deum eſſe omnipotentem Patrem, ſicut per univerſum orbem creditur.* Athanaſius legit ἕνα θεὸν παντοκράτορα, omittit πατέρα, quod tamen reperitur apud Socratem, cætera Athanaſio congruunt, ex quo fortaſſe excidit. Secúndum articulum ita habet Hilarius: *& unicum filium eius Ieſum Chriſtum, Dominum Salvatorem noſtrum, ex ipſo ante ſecula genitum* (Athanaſius habet, Καὶ ἕνα μονογενῆ υἱὸν αὐτοῦ, τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, ἐξ αὐτοῦ πρὸ τῶν αἰώνων γεννηθέντα. Omittit τὸν σωτῆρα ἡμῶν. Socrates hoc habet, & omittit τὸν κύριον, quod Athanaſius habet.) *Duos autem Deos nec poſſe nec debere prædicari* (Athanaſius habet μὴ χρῆναι λέγειν, ut & Socrates. *Duos Deos non oportere dicere.*) *quia ipſe Dominus dixit, ibo ad Patrem meum & ad Patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum. Ideo omnium Deus unus eſt.* (Athanaſius, Socrates, Nicephorus tantum habent διὰ τοῦτο καὶ πάντων θεὸς ἐστι, non autem habent εἷς vel tale quid.) *Sicut Apoſtolus docuit. An Iudæorum Deus tantum? nonne & gentium? Imò & gentium. Quoniam quidem unus Deus, qui iuſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem. Sed & cætera convenerunt, nec ullam habere potuerunt diſcrepantiam. Quod vero quoſdam haud multos movet, ut de ſubſtantia, quæ Græcè* οὐσία *appellatur, id eſt, ut expreßius intelligatur, homouſion quod dicitur aut homœuſion, nullam omnino fieri oportere mentionem,* (Athanaſius habet, πολλούς τινας, ubi Hilarius habet, *quoſdam haud multos,*) *nec quenquam prædicare ea de cauſa ratione, quod nec in divinis ſcripturis contineatur, & quod ſupra hominis ſcientiam ſit, nec quiſquam poßit nativitatem filii enarrare, de quo ſcriptum eſt,* Generationem eius qui enarrabit? (Athanaſ. habet, οὐ χρὴ τινα τούτων παντελῶς μνήμην γίνεσθαι, οὐδὲ περὶ τούτων ἐξηγεῖσθαι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ

σία, διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν, καὶ διὰ τοῦτον τὸν λογισμὸν &c. Et ubi Hilarius habet, hominis ſcientiam, Athanaſ. Socrat. cum Nicephor. habent τὴν τῶν ἀνθρώπων γνῶσιν καὶ τὸν τῶν ἀνθρώπων νοῦν) *Scire autem manifeſtum eſt ſolum Patrem, quomodo genuerit Filium ſuum, & Filium quomodo genitus ſit à Patre.* (Interpres Athanaſii, quem ſecutus eſt Binius, verba *& Filium* &c. omiſit, cum tamẽ ubique extent.) *Nulla ambiguitas eſt maiorem eſſe Patrem, nulli poteſt dubium eſſe, Patrem honore, dignitate, claritate, maieſtate, & ipſo Patris nomine teſtante maiorem eſſe*, (Athanaſ. Τιμῇ καὶ ἀξίᾳ καὶ θεότητι. Socrates conſentit. Et illa verba, *nulla ambiguitas &c.* non repræſentat. Sic & legit Nicephorus, & Tripartita.) *filio teſtante, qui me miſit, maior me eſt. Et hoc Catholicum eſſe nemo ignorat, duas perſonas eſſe Patris & Filii, maiorem Patrem, Filium ſubiectum cum omnibus his, quæ ipſi Pater ſubiecit. Patrem initium non habere, inviſibilem eſſe, immortalem eſſe, impaſſibilem eſſe; Filium autem natum eſſe ex Patre, Deum ex Deo, lumen ex lumine. Cuius filii generationem, ut ante dictum eſt, neminem ſcire, niſi Patrem ſuum. Ipſum autem Filium Dei Dominum & Deum noſtrum, ſicut legitur, carnem vel corpus, id eſt, hominem ſuſcepiſſe ex utero Virginis Mariæ, ſicut Angelus prædicavit. Vt autem ſcripturæ omnes docent, & præcipuè ipſe Magiſter gentium Apoſtolus, hominem ſuſcepiſſe de Maria Virgine, per quem compaſſus eſt.* (Athanaſ. δι' οὗ πέπονθε. ita Socrat.) *Illa autem clavis totius fidei & illa confirmatio* (Athanaſ. & Socrat. τὸ δὲ κεφάλαιον πάσης τῆς πίστεως καὶ ἡ βεβαιότης) *quod Trinitas ſemper ſervanda eſt, ſicut legimus in Evangelio*, Ite baptiſate omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. *Integer, perfectus*, (Athanaſ. & Socrat. ἀκέραιος δὲ καὶ τέλειος) *numerus Trinitatis eſt. Paracletus autem Spiritus* (Athanaſ. & Socrates Τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, Binius ſecutus typographi vitium omiſit *Spiritus*) *per filium eſt, qui miſſus venit iuxta promiſſum* (Athanaſ. & Socrat. δι' υἱοῦ ἀποσταλὲν ἦλθε) (*ut Apoſtolos & omnes credentes inſtrueret, doceret, ſanctificaret.* Athanaſ. ἀναδιδάξῃ καὶ ἁγιάσῃ. Socrates ἁγιάσῃ καὶ ἀναδείξῃ.

CAP. V.

CAPVT V.

Tertia Sirmiana fidei Confeſsio coràm Conſtantio Sirmii edita, Arimini à Valente recitata, Euſebio & Hypatio Coſſ.

CRedimus in unum ſolum & verum Deum Patrem omnipotentem, conditorem opificemque omnium: & in unigenitum Filium Dei, ante omnia ſecula & initia, & ante omne tempus, quod in intellectum cadere poteſt, exiſtentem, & ante omnem comprehenſibilem ſubſtantiam, natum impaſſibiliter ex Deo, ſolum ex ſolo Patre, Deum de Deo ſimilem Patri ſuo, qui ipſum genuit: cuius (ſecundum Scripturas) generationem nemo novit, niſi ſolus, qui eum genuit, Pater. Hunc ſcimus unigenitum Dei Filium, nutu paterno adveniſſe de cælis ad demolienda peccata, genitum ex Maria Virgine, verſatumq; cum Diſcipulis fuiſſe, & ubi omne officium diſpenſationis adimpleviſſet, ſecundum Patris voluntatem, crucifixum & mortuum eſſe, & ad inferos deſcendiſſe, atq; ibi, quod ſui officii erat, peregiſſe: quem ianitores inferorum conſpicati exhorruerunt: Eumq; tertio die ab inferis reſurrexiſſe, & verſatum cum diſcipulis fuiſſe; eumq; ubi negotia ſua abſoluerat impletis quinquaginta diebus in cælos aſſumptum eſſe, & ſedere ad dextram Patris; & ultimis diebus reſurrectionis venturum in gloria paterna, ut tribuat unicuiq; ſecundum opera ſua. Et in Sanctum Spiritum, quem unigenitus promiſit ſe miſſurum humano generi paracletum, quemadmodum ſcriptum eſt: Vado ad Patrem meum, eumq; rogabo, & alium paracletum mittet vobis Spiritum veritatis: ille de meo accipiet, & docebit vos, omniumq; admonebit. Vocabulum porrò ſubſtantiæ, quia ſimplicius à Patribus poſitum eſt, & à populis ignoratur, & ſcandalum affert, eo quod in Scripturis non contineatur, placuit, ut de medio tolleretur, & nullam poſthac de Dei ſubſtantia mentionem eſſe faciendam, eò quod ſacræ ſcripturæ nunquam meminere ſubſtantiæ Patris & Filii, Filium autem Patri per omnia ſimilem dicimus, quemadmodum ſacræ literæ dicunt & docent.

CAPUT VI

Exhibet tertiæ Confeſſionis variationes ex Collatione Athanaſii, Socratis &c.

PRimum articulum quod concernit, Binius repræſentavit editionem Socratis, qui habet βιβλ. β. κεφ. λζ. πιστεύομεν εἰς ἕνα τὸν μόνον καὶ ἀληθινὸν θεὸν &c. Sic & habet Nicephorus lib. 9. cap. 39. Tripartita lib. 5. cap. 20. habet, *Credimus in unum & verum Deum.* Athanaſ. πιστεύομεν εἰς ἕνα θεὸν πατέρα &c. In eodem art. ubi Socrates habet κτίστην καὶ δημιουργὸν τῶν πάντων, quem ſequitur Nicephorus, & Tripartita: habet Athanaſius, ἐξ οὗ τὰ πάντα. Secundo art. cum Socrates habet Τὸν πρὸ πάντων τῶν αἰώνων, ϗ πρὸ πάσης ἀρχῆς, ϗ πρὸ παντὸς ἐπινοουμένου χρόνου, ϗ πρὸ πάσης καταληπτῆς ἐπινοίας γεγεννημένον ἀπαθῶς ἐκ τοῦ Θεοῦ, δι' οὗ οἵ τε αἰῶνες κατηρτίσθησαν ϗ τὰ πάντα ἐγένετο, Athanaſius habet: τὸν πρὸ πάντων αἰώνων ϗ πρὸ πάσης ἀρχῆς γεννηθέντα ἐκ τοῦ θεοῦ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τὰ ἀόρατα ϗ τὰ ὁρατά. Quem ferè ſequitur Tripartita. Porrò ubi Socrates reddit: γεγεννημένον δὲ μονογενῆ, μόνον ἐκ μόνου, Athanaſius legit: γεννηθέντα δὲ &c. Iterùm, cum Athanaſius habet: Τοῦτον οἴδαμεν μονογενῆ θεοῦ υἱὸν, πέμποντος τοῦ πατρὸς παραγενῆσθαι αὐτὸν ἐκ τῶν οὐρανῶν, ὡς γέγραπται, ἐπὶ καταλύσει τῆς ἁμαρτίας ϗ τοῦ θανάτου ϗ γεννηθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου ἐκ Μαρίας τῆς παρθένου τὸ κατὰ σάρκα, ὡς γέγραπται, ϗ ἀναστραφέντα &c. Socrates ita reddidit utique ex formula Latina alia: Τοῦτον ἴσμεν τὸν μονογενῆ αὐτοῦ υἱὸν, νεύματι πατρικῷ παραγενόμενον ἐκ τῶν οὐρανῶν εἰς ἀθέτησιν τῆς ἁμαρτίας, ϗ γεννηθέντα ἐκ Μαρίας τῆς παρθένου ϗ ἀναστρ. &c. Rurſ. ubi Socr. habet, σταυρωθέντα ϗ παθόντα ϗ ἀποθανόντα εἰς ϗ τὰ καταχθόνια κατελθόντα, ϗ τὰ ἐκεῖσε οἰκονομήσαντα, ὃν πυλωροὶ ᾅδου ἰδόντες ἔφριξαν: Athan. ita habet: σταυρωθέντα ϗ ἀποθανόντα, ϗ ταφέντα, ϗ εἰς τὰ καταχθόνια καταλελυθέναι, ὅντινα ϗ αὐτὸς ὁ ᾅδης ἔπτηξεν &c. In tertio articulo, cum Athanaſius habet, Καὶ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα, ὅπερ αὐτὸς ὁ μονογενὴς τοῦ θεοῦ υἱὸς ὁ χριστὸς ὁ κύριος ϗ θεὸς ἡμῶν ἐπηγγείλατο πέμπειν &c. Socrates omittit ὁ κύριος ϗ θεὸς ἡμῶν, quem ſequitur Nicephorus & Tripartita. In eodem Socrates addit

locum *Ioh.* 14, 17. *& cap.* 16, 14. quem Athanaſius omittit. In reiectione nominis ſubſtantiæ, ubi ita loquitur Athanaſius, Τὸ δὲ ὄνομα τῆς οὐσίας ἤρεσε περιαιρεθῆναι καὶ παντελῶς μηδεμίαν μνήμην τῆ λοιπῆ γίνεσθαι. Ἐπειδήπερ καὶ αἱ θεῖαι γραφαὶ οὐδαμῶς ἐμνημόνευσαν περὶ οὐσίας πατρὸς καὶ υἱοῦ, καὶ γὰρ οὐδὲ ὀφείλει ὑπόστασις περὶ πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος ὀνομάζεσθαι: Socrates ita reddit ex Latino. Ἤρεσε τοῦτο περιαιρεθῆναι καὶ παντελῶς μηδεμίαν μνήμην οὐσίας ἐπὶ θεοῦ εἶναι τοῦ λοιποῦ, διὰ τὸ τὰς θείας γραφὰς μηδαμοῦ περὶ πνεύματος καὶ υἱοῦ οὐσίας μεμνῆσθαι. reliqua omittit. Nicephorus & Tripartita conſpirant, niſi quod, ubi Socrates iuxta edit. Reg. habet πνεύματος, illi legunt πατρὸς. Denique cum Athanaſii exemplar habet: πᾶσαι δὲ αἱρέσεις αἵ τε ἤδη πρότερον κατεκρίθησαν, καὶ αἵτινες ἐὰν καινότεραι γένωνται, ἐναντίαι τυγχάνουσαι τῆς ἐκτεθείσης ταύτης γραφῆς, ἀνάθεμα ἔστωσαν; nihil habet Socrates. Accuratè autem procul dubio Socrate ipſo teſte Athanaſius conſignavit omnia.

CAPUT VII.

Orientalium Epiſcoporum contra actitata Sirmienſia determinationes.

Hilarius *de ſynodis adv. Arianos p. m.* 305. notat, his tot & tantis impietatis profeſſionibus editis has rurſum è contrario Orientales Epiſcopos in unum congregatos ſententiarum definitiones condidiſſe, quas ubi condiderint, non addit. Sunt autem hæ 1. *Si quis audiens, imaginem eſſe filium Dei inviſibilis, idem dicat eſſe imaginem Dei, quod & Deum inviſibilem: quaſi non confitens verè filium, anathema ſit.* 2. *Et ſi quis audiens filium dicentem: ſicut enim pater habet vitam in ſemetipſo: ſic & Filio dedit vitam habere in ſemetipſo, eundem dicat, qui acceperit à patre vitam, qui confitetur hoc idem: ego vivo propter Patrem, quem & illum qui dederit, anathema ſit.* 3. *Et ſi quis audiens unigenitum filium, inviſibilis Dei ſimilem, non dixerit eſſentia filium, qui eſt imago Dei inviſibilis, cuius imago & iuxta eſſentiam intelligitur, quaſi non vere dicens filium, anathema ſit.* 4. *Et ſi quis audiens hoc: Quomodo enim Pater habet vitam in ſemetipſo: ſic & Filio dedit vitam habere in ſemetipſo*

Aliquas reperimus in Synodi Ancyrana Canonibus apud Epiphanium hæreſ. 73.

Virg. contra Eutychen l. 5. in princip. 12. horũ capp. etiam meminit.

metipſo, ſimilem non dicat etiam iuxta eſſentiam filium Patri, ipſo teſtante quod ſic habet, quemadmodum dixit, anathema ſit. 5. Si quis condidit vel creavit me, & genuit me, ab eodem audiens, hoc genuit me, non tamen ex ſimilitudine eſſentiæ intelligat, ſed idem eſſe dicat, genuit me & condidit me, quaſi non dicens filium de Deo perfectum, ex duobus nominibus ſignificatum filium, ſed per duo nomina, hoc eſt, condidit me, & genuit, conditionem tantummodo dicens, & nequaquam filium, ſicut tradidit ſapientia ex duobus pium intellectum, anathema ſit. 6. Et ſi quis in filio patris ſimilitudinem ſecundùm eſſentiam quidem ipſo filio revelante, per hæc quæ dicit: ſicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic & filio dedit habere vitam in ſemetipſo, iuxta efficaciam autem per ea quæ docet: Quæ enim Pater facit, eadem & filius ſimiliter facit, ſolum ſecundum efficaciam ſimilitudinem concedens: iuxta eſſentiam vero quod eſt principaliſſimum fidei noſtræ, Filium fraudet, quaſi ſemetipſum fraudans cognatione vitæ perpetuæ, quæ eſt in Patre & Filio, anathema ſit. 7. Et ſi quis Patrem & Filium credere ſe promittens, Patrem diſſimilis eſſentiæ dicat, ſed ſimilis efficaciæ, quaſi prophanas & novas voces contra eſſentiam Filii loquens, & interimens verum Dei Filium eſſe, anathema ſit. 8. Et ſi quis intelligens ſimilem ſecundum eſſentiam Filium eius, cuius & Filius intelligitur eundem dicens Filium, quem Patrem, aut Patrem Patris, aut per emanationem, aut aliquam paſſionem, quemadmodum corporales filios, ab incorporali patre incorporalem filium ſubsiſtentem, anathema ſit. 9. Et ſi quis propterea, quod nunquam Pater Filius intelligitur, & quod Filius nunquam Pater intelligitur, alium dicens Filium præter Patrem, propterea quod alius ſit Pater, alius ſit Filius, ſecundum quod dictum eſt: Alius eſt, qui teſtimonium perhibet mihi, qui me miſit Pater: propter hanc piam intelligendam proprietatem perſonæ Patris & Filii, timens, ne quando idem intelligatur Filius & Pater, ſimilem non dicat etiam iuxta eſſentiam Patri, anathema ſit. 10. Et ſi quis in aliquo tempore patrem Deum unigeniti Filii intelligat, & non ſuper tempora, & ſuper omnem humanam exiſtimationem unigenitum Filium ſine paſſione extitiſſe: quaſi prætergrediens evangelicam prædicationem, quæ temporum quidem intercapedinem de Patre & Filio aſpernata eſt: fideliter autem nos docuit, quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, anathema ſit. 11 Et ſi quis

ſeniorem tempore patrem dicat Filio ex ſe unigenito, iuniorem autem Filium Patre, anathema ſit. 12. Et ſi quis intemporalem unigeniti Filii de Patre ſubſtantiam ad innaſcibilem Dei eſſentiam referat, quaſi Filium Patrem dicens, anathema ſit. Anathematiſmos hos duodecim, annotaviunculis aliquibus illuſtrat Hilarius & ſubiicit; Percurrimus chariſſimi fratres &c. vide ſupra *pag. 21.*

SECT. III.

CONCILII SIRMIENSIS Statum pertractans.

CAP. I.

Temporis confeſſionum Sectione II. propoſitarum diſcretionem diſcutiens.

SIrmienſium circa cauſam Photini ſub imperio Conſtantii actitatorum ſeriem hanc veteres Hiſtorici proponunt. Photinus Sirmii novam & ab Arianis diſcrepantem opinionem de Deitate filii Dei introduxit. Ariani videri voluerunt ſtrenui Deitatis propugnatores. Effecerunt ergo, ut Conſtantii iuſſu Sirmiũ Orientales Epiſcopi potiſſimum convocarentur. Memorant id poſt Conſulatum *Sergii & Nigriani* contigiſſe, qui incidit *in ann. Chr.* 351. Interfuerunt *Marcus Arethuſius, Georgius Alexandrinus, Baſilius Ancyranus, Pancratius Peluſiota, Hypatianus Heracleenſis &c.* Ex Occidentalibus Ariana infectis labe *Valens Murſorum Epiſcopus.* Et *Oſius Cordubenſis* eò licet invitus acceſſit. *Triplex* editur *confeſſio. Primam* Græcè *Marcus Arethuſ.* concepit. *Duæ aliæ* latinè conceptæ ſunt, quarum ultima ad Ariminenſem deniqúe ſynodum delata & à Catholicis damnata fuit. In ſynodo etiam *Baſilius Ancyranus cum Photino* congreditur. *Hoſius autem* diriſſimis tormentis ad ſubſcriptionem adactus. Hinc Conſtantius Magnentio cæteriſque hoſtibus compreſſis, Gallo quoq; interfecto, Coſſ. Arbetione & Lolliano ann. Chr. 355. Romam, ut triumpharet, profectus, Mediolani ſynodum contra Athana-

ſium cogit, cui reluctati Euſebius Vercell. Dionyſius Mediolan. Paulinus Trevirenſ. Lucifer Calarit. exulare iuſſi. Relegatus etiam Liberius Romanus Pontifex, quod Athanaſium condemnare nollet. Eudoxius tum ſedem Antiochenam occupans Aëtium Anomœorum principem, à Leontio Diaconum ordinatum & ob hæreſin loco motum, reſtituere conatur, ſed fruſtra, itaque iactatis etiam Oſii Cordubenſis literis apertè eius errores prædicare auſus eſt. Georgius Laod. communicato cum Baſilio Ancyrano conſilio Epiſcoporum finitimorum congregationem habet Ancyræ, ubi ὁμοούσιον voce ſuppreſſa Filius Dei ὁμοιούσιος dici iuſſus eſt. Et legatio ad Imperatorem Sirmii commorantem à ſynodo decernitur, qua Conſtantius motus fuit, ut literas, quas in favorem Eudoxii Aſphalio Presbytero dederat, revocaret, & Eudoxium damnaret. Dehinc Ariminenſis ſynodus celebrata, in qua Sirmii anteconcepta fidei confeſſio tertia ab Vrſatio & Valente exhibetur. Recentium hiſtoricorum magna eſt diverſitas. *Baronius*, ut apparet, Socratem & Sozomenum de tempore Sirmienſis Concilii circa Coſſ. Sergii & Nigriani collocato refutat. Eum ſequuntur etiam alii ſcriptores, & Photini damnationem ad ann. Chr. 357. Conſtantio IX. & Iuliano Coſſ. referunt, rationibus nixi ſupra *pag.* 57. à Binio collectis. Hinc ita ordinant rerum geſtarum ſeriem. *ann.* 353. *Conſtantio VI. & Gallo II. Coſſ. Magnentio victo* Conſtantius in Gallias profectus Arelate hybernavit, ubi Arianorum Concilio coacto Athanaſius, Paulus Trev. & alii Epiſcopi damnati. *A.* 354. *Conſtantio VI. Gallo III. Coſſ.* Athanaſius Alexandriæ vexatus. *A.* 355. *Arbetione & Lolliano Coſſ.* Conſtantius Mediolani in cauſa Athan. concilium habet & in eo Athanaſii damnationi ſubſcribere recuſantes Epiſcopos exulare iubet, Liberium Roma accerſit, & ex Hiſpania Oſium. *A.* 356. *Conſtantio IX. & Iuliano Coſſ.* Athanaſius Syriano duce Alexandria pulſus, ſubſtituto Georgio. Conſtantius Romam progreſſus è Mediolano, & ibi matronis quibusdam interpellantibus Liberium prius in exilium actum per edictum revocat. Eudoxio ſedem Antiochenam permittit. Ipſe demum urbe digrediens in Illyricum abit, *A.* 357. *Conſtantio IX. & Iuliano II. Coſſ.* Conſtantio Sirmii præſente concilium

Digitized by Google

cilium celebratur, Photinus damnatur, fidei confeſſiones tres concipiuntur, ex quibus ſecunda ab Oſio ad id vi & tormentis coacto ſubſcribitur. Orientales Ancyræ aliam confeſſionem Sirmienſi opponunt, in qua per omnia Patri ſimilis, etiã quoad ſubſtantiã, dictus filius. Baſilius autem Ancyranus Sirmii cum Arianis congreſſus, mutata ſententia, in *οὐσίας* expunctionem conſpirat, unde tertia Sirmienſis confeſſio manavit. Liberius, Beræa revocatus Sirmii primæ Confeſſioni, non ſecundæ ſubſcripſiſſe dicitur & Romam remittitur. A. 358. poſt Sirmienſem Synodum Conſtantius Nicomediæ & Nicææ Synodum inſtituere conatus terræ motu abſterretur. Tandem A. 359. partim Arimini, partim Seleuciæ Synodus celebratur. *De tertia Confeſſione* Nicol. Faber *in præfat. fragmentis Hilarii præfixa ſentit*, Conſtantium literis ad Ancyranum Baſilium ſcriptis mandaſſe, ut de loco cogendæ Synodi cum Orientalibus deliberaret, cumq; inter illos convenire non poſſet, Baſilium ad Imperatorem veniſſe Sirmium, ibique Marcum Arethuſium, Valentem, aliosq; reperiſſe, conſpirantibusq; ad Nicænam fidem evertendam animis, ſtatuiſſe, ut Nicææ Synodus haberetur, quod cum propter terræ motũ fieri non poſſet, Epiſcoporum partem Ariminum, partem Seleuciam convenire iuſſam eſſe atq; interea Sirmii tertiam fidei formulam editam fuiſſe, fabricante Marco Arethuſio, quod ex Germinii literis Faber obſervat.

Dionyſ. Petavius, *in animadv. ad Epiphan. hær. 73. pag. 306.* ſibi in ordinandis Sirmienſibus actis bene merendi opportunitatem oblatam gratulatur, profitetur autem ſimul *acta & tempora illa ſic apud veteres pariter & recentiores confuſa eſſe, ut nulla hiſtoriæ pars impedita magis & difficilis appareat: imò ab hinc mille & ducentis propemodum annis liquidam & ſinceram illorum rationem ignoratam fuiſſe.* Pag. 310. *Fuit*, inquit, *hactenus perſuaſum omnibus, ab una eademq; Sirmienſi ſynodo condemnatum eſſe Photinum; & ſive tres, ſive duas ſaltem fidei formulas eſſe perfectas &c. Nos ex antiquis Patribus primo illud odorati ſumus, tres omninò Conventus Epiſcoporũ eodem in Sirmienſi oppido non iiſdem temporibus celebratos fuiſſe, quorum primus ſynodicus & indictus fuit, cum adverſus Photinum Imperatoris literis acciti ſunt Epiſcopi; reliqui duo fortuiti*

tuiti minimèq, Conciliorum loco ac nomine cenſendi in quibus pauci duntaxat Epiſcopi, qui forte ad Imperatorem acceſſerant, communicatis conſiliis nova fidei decreta condiderunt. Hanc theſin Petavius prolixè roboratum it & I. quidem *Ancyranæ ſynodi expreſſa atteſtatione.* Sic enim Epiſtola ſynodica apud Epiphanium habet, *Optaſſe Ancyranam ſynodum, ut poſt expoſitionem fidei Antiochiæ in Encæniis celebratam & Sardicenſem fidei profeſſionem eaq, quæ Sirmii contra Photinum decreta ſunt, eccleſia conquieſceret.* Et poſt aliqua demonſtrant, ſe ea, quæ in ſuperioribus ſynodis conſtituta fuerant, exponere voluiſſe, & addunt, *Sardicenſem fidei profeſſionem Synodū Sirmienſem amplexam fuiſſe.* At vero Ancyrana Synodus contra Sirmienſem fidei profeſſionem potiſſimum coacta eſt. Quod in libro de Synodis Hilarius docet, ubi Ancyranam ſynodum eiusq; decretum, cuiuſmodi apud Epiphanium exprimitur, explicans, eidem Sirmienſem illam alteram fidei profeſſionem præfixit, cum hoc titulo, *exemplū blaſphemiæ per Oſium & Potamium ſcripta*: & adverſus hanc fidei ἔκθεσιν Orientales Ancyræ conveniſſe confirmat. Quia itaque Ancyrani Patres hoc imprimis urgent, ut ea rata manerent, quæ in Sardicenſi & Sirmienſi aliisq; Conciliis conſtituta fuerunt, utpote quibus ipſi interfuerunt, fieri vix potuit, ut eo tempore, quo tantopere laudata fidei confeſſio edita eſt à Synodo, etiam altera ederetur ab eadem Synodo, quam illi tantopere impugnaverunt. II. *Baſilii Ancyrani indicatione.* Etenim in eâ ep. Synodus indicat, *poſt Sirmienſe Concilium, quod ratum firmumq, eſſe cupit, acquieviſſe, donec novorum hæreticorum importunitate & Georgii Laodiceni literis commotus, ad propugnandam fidem ſe cum ſuis Epiſcopis erexit.* Hinc patet, Georgii Laodiceni literas inter Syrmienſem & Ancyranam Synodum locandas eſſe, quas Sozomenus *lib.* 4. *cap.* 11. recenſet. Is autem cap. 11. ſcribit, *ſimul atq, in Antiochenæ ſedis poſſeſſionem pedem poſuit, totum ſe ad Aetii promovendam perfidiam cum Acacio Cæſarienſi & Vranio Tyri Epiſcopo contuliſſe, eamq, præ ſe tuliſſe ſpeciem, quod Occidentis Epiſcopi Oſius, Vrſacius, Valens &c. ei ſuffragati fuerint, ut τὸ ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον expungeretur.* Hinc Georgium Laodicenum ad literas illas & poſcendum conventum Ancyranum impulſum fuiſſe. Conſtat vero Eudoxium A. 356.

4. Cal.

Digitized by Google

4. Cal. Iun. cum Romæ apud Imp. eſſet, audita Leontii morte Antiochiam contendiſſe, ubi Vrſatii & Valentis literas, cùm fidei formula, quæ τὸ ὁμοούσιον & τὸ ὁμοιούσιον abolet, cuique Oſius ſubſcripſiſſe dicitur, accepit. Si jam A. 357. Sirmienſe Concilium demum contra Photinum editum eſt, Eudoxius, Acacius, Vranius, Baſilius Anc. & Georgius Laodicenus illi intereſſe non potuerunt. At Baſilius eius potiſſima pars dicitur. Adde Ancyranam Synodum, quam Sirmienſis anteceſſit, habitam fuiſſe imminente paſchatis tempore, ut epiſtola ſynodica innuit, ad quam ob hyemis inclementiam multi Epiſcopi comparere non potuerunt. Si autem *anno* 356. Eudoxius Antiochenam ſedem obtinuit, & anno ſequenti Ancyranum Concilium habitum eſt, atque ante paſcha, quando ergo eodem *anno* 357. Sirmienſe ante Ancyranum haberi potuit? Certè in primæ Sirmienſis confeſſionis editione fuere præſentes Baſilius & Georgius. In altera abfuerunt. III. *Hilarii deſignatione.* Is ſcripſit librum *de Synodis ad Epiſcopos Gallicanos* paulo ante Ariminenſem ſynodum, rogatus, ut de actis Ancyrani Orientalium Concilii & Syrmianæ blaſphemiæ damnatione ſuum judicium perſcriberet. Itaque alteram Sirmienſem confeſſionem proponit, cuius autores facit Oſium & Potamium, ſubiicit Orientalium decretum, quod Ancyræ ſtatutum eſt, quod ille commendat & commentario illuſtrat. Poſtremo reliquas ab Orientalibus editas profeſſiones Cath. fidei conſentaneas exponit, *dignum*, inquiens, *eſſe conſcientia communi, etiam cæteras eorundem Epiſcoporum Orientalium diverſis & locis & temporibus conſcriptas fides noſcere, ut per plures confeſſiones ſinceritas conſcientiæ poſſit intelligi.* Et poſtquam Sardicenſis Orientalium fidei formulam recitaſſet, conſequens eſſe ait, *ut eam nunc fidem retractet, quæ non olim tunc cum Photinus Epiſcopatu deiectus eſt, conſcripta eſt*, & addit primam Sirmienſem confeſſionem. Vnde elucet, hanc ab altera diverſo omnino tempore editam. IV. *Sulpitii Severi narratione.* Refert is, poſt Sardicenſem ſynodum & Vrſatii ac Valentis pœnitentiam, interiecto deinde tempore, cum Athanaſius Marcellum in Sardicenſi Concilio abſolutum, parum autem ſanæ fidei compertum, à communione ſuſpendiſſet, Arianos ad ſubvertenda Concilii Sard.

Digitized by Google

acta ita illa occaſione uſos fuiſſe, ut Photini, Marcelli & Athanaſii damnationem commiſcuerint, literis de illo negotio publicatis, quibus tamen reſtiterint Catholici, & præcipuè Paulinus Trevirenſis, cum in Photini & Marcelli damnationem conſentiret, Athanaſium diſertè exceperit. Hinc relegationes ſecutas & Arelatenſem Biterrenſemq; ſynodos, itemque Mediolanenſem, & quidem *Arbetione & Lolliano* Coſſ. Hinc patet, Sirmienſem ſynodum contra Photinum celebratam poſt Sardicenſem, ante Arelatenſem & Mediolanenſem, adeoque ante proſcriptiones Liberii, Euſebii & aliorum Epiſcoporum. Arelatenſe autem Conc. à Saturnino celebratum incidit in *A. Chr.* 353. cum Sirmio in Gallias profectus eſſet Conſtantius. Mediolanenſe *in A.* 355. *Arbet. & Loll. Coſſ.* Tanto igitur tempore ante damnatus Photinus & Sirmienſis peracta ſynodus eſt, quam ſecunda fidei formula in eodem oppido ab Vrſatio, Valente, Oſioque prodiret, quæ poſt relegatum Hilarium, non longè ante ſynodum Ariminenſem, vulgata eſt. His rationibus Petavius aliquot annos inter publicationem primæ & ſecundæ confeſſionis editionem interceſſiſſe, evincere conatur.

Iacob. Gothofredus. *l. c. p. ſupra* 70. diſcernit confeſſiones & congreſſus ſynodicos Sirmienſes, ſed tamen Photini cauſa congregatam Synodum in *A.* 357. collocat. Blondellus autem *pag.* 72. cum Petavio hanc in *A. Chr.* 351. ponit, & alteram, cui Liberius ſubſcribſit, in *A.* 357.

Quid habendum de tempore Sirm. Concilii?

Nos exiſtimamus, omnino Confeſſionem primam & duas reliquas non eſſe uniuseiusdemq; Concilii, nec unius eiusdemque temporis, licet de tempore & anno Chriſti, quo unaquæq; publicata ſit, non uſque adeò explicata eſſet certitudo. Prius ſufficienter probant rationes, quas Petavius collegit. Accedunt etiam aliæ. Nam *primò* non contemnendi ſunt illi *characteres Conſulum*, quos hiſtorici veteres annotant. Et quidem quoad I. Confeſſionem, Socrates ait *loco ſupra p.* 42. *allegato*, poſt Conſulatum *Sergii & Nigriani, quo anno propter tumultus belli, & ſeditiones nullus Conſul conſueta Conſulatus munera obire poterat, Sirmii congregatos Photini dogma damnaſſe.* Sozomenus *loco ſupra p.* 45. *allegato* ait, *proximum illum annum fuiſſe poſt Conſulatum Sergii &*

Nigriani,

Digitized by Google

Nigriani, in quo nullus Conſul vel ex Oriente, vel ex Occidente propter ſtatum reip. tum forte à tyrannis perturbatum deſignatus fuit; Tripartita *loca ſupra p.* 49. *adducto:* poſt *Conſulatum Sergii & Nigriani, quo anno propter bellorum turbas nullus Conſulum fuerat ſolenniter ordinatus, convenerunt in Sirmio &c.* quo ad III. Confeſſionem etiam Conſules annotati ſunt, ſub quibus ea prodita eſt. Sic namque Socrates *L.* 2. *c.* 29. Fides *iſta Catholica coram Domino noſtro Conſtantio, Flavio Euſebio & Hypatio Coſſ. Sirmii ad II. Cal. Iun. edita fuit.* Sozomenus *lib.* 4. *cap.* 17. Abſurdum *putant, ut huic formulæ talis præponeretur titulus, qualem habuit, cum Sirmii edita eſt, nempe, præſente Conſtantio, æterno, magno, Auguſto, Euſebio & Hypatio Coſſ.* Ita & habet Tripartita *lib.* 5. *cap.* 20. Expoſita fides *apud Sirmium præſente D. N. Conſtantio, Auguſto. Coſſ.* Euſebio & Hypatio. *XI. Calend. Iunias.* Taxat illud Athanaſius *epiſtola de Synodis Arimini & Seleuciæ T.* 1. *p.* 671. *Verbis ſuis de fide Conſules adſcribunt, ſub quibus res acta eſt, Vrſacius enim, & Valens Germeniusq́; cum cæteris ſuis gregalibus id fecere, quod antea nec factum, nec auditum eſt apud Chriſtianos. Cum enim ſcripſiſſent eam fidem, quam voluerunt, addidere & Conſulem, & menſem, diemq́; eius temporis, ut omnibus prudentibus palam facerent, non olim, ſed nunc demum eorum fidem ſub Conſtantio initium accepiſſe &c. Eſt autem inter Conſulatum Sergii ac Nigriani, itemq́; Euſebii & Hypatii ad minimum octennii intervallum. Deinde* ex hiſtoria manifeſtum, Sardicenſem & Sirmienſem Synodos, non longo intervallo diſtitiſſe à ſe invicem. Sardicenſis Synodus quando habita ſit, diligenter annotavit Socrates *l.* 2. *c.* 16. cum duos characteres ponit. *Vndecimo anno,* inquit, *poſt mortem Patris* (Conſtantini M.) *duorum Auguſtorum* (Conſtantis & Conſtantii) *Ruffino & Euſebio Coſſ. Concilium Sardicenſe coactum eſt. Epiſcopi circiter* CCC. *qui verſus Occidentem habitabant, ut ait Athanaſius, eò conveniunt. Ex Epiſcopis autem qui Orientem incolebant, ut Sabinus narrat, ſolum* LXXVI. (*in quorum numero fuit Iſchyras Mareotis Epiſcopus, quem illi, qui Athanaſium abdicabant, ad Epiſcopatum illius loci delegerant*) *Sardicam adventant.* Ergo undecimo anno poſt obitum Conſtantini M. & Ruffino atque Euſebio Coſſ. Sardicenſe Concilium habetur. Poſt hos Conſu-

les duo ſolum Coſſ. paria ſunt, ſc. *Flavius Philippus*, & *Fl. Salleus*, *itemq. Vlp. Limenius & Cat. Philonianus*, uſque ad Coſſ. *Sergii & Nigriani*, poſt quos Sirmienſis Synodus habita dicitur à Socrate &c. Exhibetur illo tempore ab Arianis in Italia confeſſio fidei prolixa, ab Orientalibus Epiſcopis concinnata, in qua iam ipſe Photinus Sirmienſis Epiſcopus damnatur. *Abominamur*, inquiunt, *& anathemate execramus, qui Chriſtum non ante ſecula fuiſſe contendunt, ſed ex eo tempore eum Chriſtum & Filium Dei factum eſſe, ex quo noſtram carnem ex Virgine aſſumſit, non totis abhinc 400. annis; ab eo enim tempore volunt Chriſtum initium regni adeptum eſſe, regniq. finem habiturum poſt conſummationem & iudicium. Tales ſunt diſcipuli Marcelli & Scotini Ancyrogalatæ, qui anteſecularem eſſentiam Chriſti eiusq. Deitatem & regnum indeſinens itidem ut Iudæi, inficiantur ſub prætextu conſtituendæ Monarchiæ.* Habet hanc confeſſionem Athanaſius *de Synodis Arimini & Seleuciæ p. 690. & ſeqq.* Socrates H. E. II. 15. Nicephor. *lib. 9. cap.* 11. Procul dubio circa tempora Concilii Sardicenſis illa Confeſſio edita fuit. Id liquet ex Athanaſii notationibus temporum. Ait p. 689. *tempore encaniorum Antiochiæ celebratorum confeſſionem editam, Coſſ. Marcellino & Probino. Aliquot menſibus poſt Coſſ. Conſtantio III. & Conſtanti II. quo tempore in Galliis Conſtans contra Francos fuit eosq. vicit*, aliam fuiſſe adornatam confeſſionem & ad Conſtantem per deputatos in Gallias miſſam, *p. ead.* Rurſus poſt triennium, cum interea Conſules fuiſſent M. Mæcius Memmius, Furius Placidus & Fl. Piſidius Romanus, itemq; Dometius Leontius & Saluſtius, & demum Amantius Ceionius & Rufus Albinus, per Eudoxium & alios nonnullos in Italiam hanc ipſam, quam dixi, confeſſionem eò mittunt. Incidit ergo illa miſſio in Conſulatum Conſtantii IV. & Conſtantis III. ſub quibus decretum fuit Concilium Sardicenſe, anno ſequenti habitum. Procul dubio favorem ſibi illa confeſſione conciliare ſtuduerunt, in qua Paulum Samoſatenum, Sabellium, Marcellum, Photinum aliosq. hæreticos diſertè condemnarunt. In Synodo autem Sardicenſi orta eſt tractatio publica cum Photino. Ita Epiphanius hær. 71. *Photinus à Sirmio originem duxit. Et quando zizaniũ in mundum invexit, quod temporibus Conſtantini factum* *eſt,*

eſt, atq; huc in vita ſuperfuit, à Synodo Occidentali in Sardica congregata ſubverſus ob eam, quam evomuit, blaſphemiam. & poſt. *Fuit hic Photinus loquax, & acuta lingua, & qui multos poſſet ſermonis pronunciatione & dicendi promptitudine decipere. Sapè enim à multis confutatus & poſt illam defenſionem ipſius tunc in Sardica factam, quando ab Epiſco[pis] vocatus fuit ad reddendam rationem de maligna à ſe propoſita fide, impetravit à Conſtantino* (procul dubio legendum, *Conſtantio*) *rege, velut qui fruſtra depoſitus eſſet, ut rurſus acciperet Auditores, coram quibus demonſtraret, ſe fruſtra depoſitum eſſe. Vnde Rex illo tempore demiſit iudices & Auditores ſuæ futuræ purgationis Thalaſsium & Datianum & Cergalium, & Taurum & Marcellinum & Evanthium, & Olympium & Leontium, Baſilio Ancyrano ipſum interrogante, & contradicente his, quæ ipſe defenſurus & admiſſurus eſſet. Non modicam autem diſputationem adverſus Baſilium habuit, ſed inſtar perfrictæ frontis levis mulierculæ colorem ſuum per verba in diſputatione mutabat, falſoq; adducebat dicta inconſiſtentia ad intelligentiam veritatis, ſed quæ eſſent ex ipſius mente fictè excogitata. Verum per fraudulentam ſuam vocem & dicendi promtitudinem ad ſeipſum & Auditores confirmandos, per linguam inſtructus de doctrina propoſita centum teſtimonia generoſus ille cum iactantia ſe producturum eſſe promittebat, etiamſi ipſi ſæpe adverſus illum inſtarent. Quemadmodum etiam in diſputatione adverſus Baſilium reperimus in his, quæ iuſſi ſunt ſcribere velociter ſcribendi periti, Anyſius Diaconus Baſilii & Callicrates, exceptor Ruffini Præſidis provinciæ, & Olympius ac Nicetes Memoriſta ſive à memoria ipſius Baſilii, & Eutyches ac Theodulus Notarii Baſilii, & dimiſſa eſt pars una obſignata ad Regem Conſtant. altera permanſit in ſynodo apud Baſilium, & adhuc alia pars apud Comites ſimiliter obſignata, prout ipſa ex ſententia ſuâ pronunciarat &c.* Si inquiramus ecquanam ſit illa ſynodus, in qua inter Photinum & Baſilium Ancyranum illa collocutio habita; manifeſtum eſt, eſſe ipſam Sirmienſem Synodum. Sic namque Socrates *loco ſupra p. 43. adſcripto* & Sozomenus *loco ſupra p. 46. annotato* disertè ſcribunt. Adde Nicephorum *ſupra p. 52. aſſignatum.* Sic itaque Sardicenſem ſynodum immediatè quaſi ſecuta eſt Sirmienſis. Notamuſque h. l. obiter, *Baſilium Ancyranum*, etiamſi ab Epiphanio & aliis

σία, διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν, καὶ διὰ τοῦτον τὸν λογισμὸν &c. Et ubi Hilarius habet, hominis ſcientiam, Athanaſ. Socrat. cum Nicephor. habent τὴν τῶν ἀνθρώπων γνῶσιν καὶ τὸν τῶν ἀνθρώπων νοῦν) *Scire autem manifeſtum eſt ſolum Patrem, quomodo genuerit Filium ſuum, & Filium quomodo genitus ſit à Patre.* (Interpres Athanaſii, quem ſecutus eſt Binius, verba *& Filium* &c. omiſit, cum tamẽ ubique extent.) *Nulla ambiguitas eſt maiorem eſſe Patrem, nulli poteſt dubium eſſe, Patrem honore, dignitate, claritate, maieſtate, & ipſo Patris nomine teſtante maiorem eſſe*, (Athanaſ. Τιμῇ καὶ ἀξίᾳ καὶ θεότητι. Socrates conſentit. Et illa verba, *nulla ambiguitas &c.* non repræſentat. Sic & legit Nicephorus, & Tripartita.) *filio teſtante, qui me miſit, maior me eſt. Et hoc Catholicum eſſe nemo ignorat, duas perſonas eſſe Patris & Filii, maiorem Patrem, Filium ſubiectum cum omnibus his, quæ ipſi Pater ſubiecit. Patrem initium non habere, inviſibilem eſſe, immortalem eſſe, impaßibilem eſſe; Filium autem natum eſſe ex Patre, Deum ex Deo, lumen ex lumine. Cuius filii generationem, ut ante dictum eſt, neminem ſcire, niſi Patrem ſuum. Ipſum autem Filium Dei Dominum & Deum noſtrum, ſicut legitur, carnem vel corpus, id eſt, hominem ſuſcepiſſe ex utero Virginis Mariæ, ſicut Angelus prædicavit. Vt autem ſcripturæ omnes docent, & præcipuè ipſe Magiſter gentium Apoſtolus, hominem ſuſcepiſſe de Maria Virgine, per quem compaſſus eſt.* (Athanaſ. δι᾽ οὗ πέπονθε. ita Socrat.) *Illa autem clavis totius fidei & illa confirmatio* (Athanaſ. & Socrat. τὸ δὲ κεφάλαιον πάσης τῆς πίστεως καὶ ἡ βεβαιότης) *quod Trinitas ſemper ſervanda eſt, ſicut legimus in Evangelio*, Ite baptiſate omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. *Integer, perfectus*, (Athanaſ. & Socrat. ἀκέραιος δὲ καὶ τέλειος) *numerus Trinitatis eſt. Paracletus autem Spiritus* (Athanaſ. & Socrates Τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, Binius ſecutus typographi vitium omiſit *Spiritus*) *per filium eſt, qui miſſus venit iuxta promiſſum* (Athanaſ. & Socrat. δι᾽ υἱοῦ ἀποσταλὲν ἦλθε) (*ut Apoſtolos & omnes credentes inſtrueret, doceret, ſanctificaret.* Athanaſ. ἀναδιδάξῃ καὶ ἁγιάσῃ. Socrates ἁγιάσῃ καὶ ἀναδείξῃ.

CAP. V.

Digitized by Google

CAPVT V.

Tertia Sirmiana fidei Confeſſio coràm Conſtantio Sirmii edita, Arimini à Valente recitata, Euſebio & Hypatio Coſſ.

CRedimus in unum ſolum & verum Deum Patrem omnipotentem, conditorem opificemque omnium: & in unigenitum Filium Dei, ante omnia ſecula & initia, & ante omne tempus, quod in intellectum cadere poteſt, exiſtentem, & ante omnem comprehenſibilem ſubſtantiam, natum impaſſibiliter ex Deo, ſolum ex ſolo Patre, Deum de Deo ſimilem Patri ſuo, qui ipſum genuit: cuius (ſecundum Scripturas) generationem nemo novit, niſi ſolus, qui eum genuit, Pater. Hunc ſcimus unigenitum Dei Filium, nutu paterno adveniſſe de cælis ad demolienda peccata, genitum ex Maria Virgine, verſatumq; cum Diſcipulis fuiſſe, & ubi omne officium diſpenſationis adimpleviſſet, ſecundum Patris voluntatem, crucifixum & mortuum eſſe, & ad inferos deſcendiſſe, atq; ibi, quod ſui officii erat, peregiſſe: quem ianitores inferorum conſpicati exhorruerunt: Eumq; tertio die ab inferis reſurrexiſſe, & verſatum cum diſcipulis fuiſſe; eumq; ubi negotia ſua abſoluerat impletis quinquaginta diebus in cælos aſſumptum eſſe, & ſedere ad dextram Patris; & ultimis diebus reſurrectionis venturum in gloria paterna, ut tribuat unicuiq; ſecundum opera ſua. Et in Sanctum Spiritum, quem unigenitus promiſit ſe miſſurum humano generi paracletum, quemadmodum ſcriptum eſt: Vado ad Patrem meum, eumq; rogabo, & alium paracletum mittet vobis Spiritum veritatis: ille de meo accipiet, & docebit vos, omniumq; admonebit. Vocabulum porrò ſubſtantiæ, *quia ſimplicius à Patribus poſitum eſt, & à populis ignoratur, & ſcandalum affert, eo quod in Scripturis non contineatur, placuit, ut de medio tolleretur, & nullam poſthac de Dei ſubſtantia mentionem eſſe faciendam, eò quod ſacra ſcriptura nunquam meminere ſubſtantiæ Patris & Filii, Filium autem Patri per omnia ſimilem dicimus, quemadmodum ſacræ literæ dicunt & docent.*

CAPVT VI

Exhibet tertiæ Confeſſionis variationes ex Collatione Athanaſii, Socratis &c.

PRimum articulum quod concernit, Binius repræſentavit editionem Socratis, qui habet βιβλ. β. κεφ. λζ. πιστεύομεν εἰς ἕνα τὸν μόνον καὶ ἀληθινὸν θεὸν &c. Sic & habet Nicephorus lib. 9. cap. 39. Tripartita lib. 5. cap. 20. habet, *Credimus in unum & verum Deum.* Athanaſ. πιστεύομεν εἰς ἕνα θεὸν πατέρα &c. In eodem art. ubi Socrates habet κτίστην καὶ δημιουργὸν τῶν πάντων, quem ſequitur Nicephorus, & Tripartita: habet Athanaſius, ἐξ οὗ τὰ πάντα. Secundo art. cum Socrates habet Τὸν πρὸ πάντων τῶν αἰώνων, καὶ πρὸ πάσης ἀρχῆς, καὶ πρὸ παντὸς ἐπινοουμένου χρόνου, καὶ πρὸ πάσης καταληπτῆς ἐπινοίας γεγεννημένον ἀπαθῶς ἐκ τοῦ Θεοῦ, δι᾽ οὗ οἵ τε αἰῶνες κατηρτίσθησαν καὶ τὰ πάντα ἐγένετο, Athanaſius habet: τὸν πρὸ πάντων αἰώνων καὶ πρὸ πάσης ἀρχῆς γεννηθέντα ἐκ τοῦ θεοῦ, δι᾽ οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τὰ ἀόρατα καὶ τὰ ὁρατά. Quem ferè ſequitur Tripartita. Porrò ubi Socrates reddit: γεγεννημένον δὲ μονογενῆ, μόνον ἐκ μόνου. Athanaſius legit: γεννηθέντα δὲ &c. Iterùm, cum Athanaſius habet: Τοῦτον οἴδαμεν μονογενῆ θεοῦ υἱὸν, πέμποντος τοῦ πατρὸς παραγενῆσθαι αὐτὸν ἐκ τῶν οὐρανῶν, ὡς γέγραπται, ἐπὶ καθαιρέσει τῆς ἁμαρτίας καὶ τοῦ θανάτου καὶ γεννηθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου ἐκ Μαρίας τῆς παρθένου τὸ κατὰ σάρκα; ὡς γέγραπται, καὶ ἀναστραφέντα &c. Socrates ita reddidit utique ex formula Latina alia: Τοῦτον ἴσμεν τὸν μονογενῆ αὐτοῦ υἱὸν, νεύματι πατρικῷ παραγενόμενον ἐκ τῶν οὐρανῶν εἰς ἀθέτησιν τῆς ἁμαρτίας, καὶ γεννηθέντα ἐκ Μαρίας τῆς παρθένου καὶ ἀναστρ. &c. Rurſ. ubi Socr. habet, σταυρωθέντα καὶ παθόντα καὶ ἀποθανόντα εἰς καὶ τὰ καταχθόνια κατελθόντα, καὶ τὰ ἐκεῖσε οἰκονομήσαντα, ὃν πυλωροὶ ᾅδου ἰδόντες ἔφριξαν: Athan. ita habet: σταυρωθέντα καὶ ἀποθανόντα, καὶ ταφέντα, καὶ εἰς τὰ καταχθόνια καταλελυθέναι, ὅντινα καὶ αὐτὸς ὁ ᾅδης ἔπτηξεν &c. In tertio articulo, cum Athanaſius habet, Καὶ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα, ὅπερ αὐτὸς ὁ μονογενὴς τοῦ θεοῦ υἱὸς ὁ χριστὸς ὁ κύριος καὶ θεὸς ἡμῶν ἐπηγγείλατο πέμπειν &c. Socrates omittit ὁ κύριος καὶ θεὸς ἡμῶν, quem ſequitur Nicephorus & Tripartita. In eodem Socrates addit

locum *Ioh.* 14, 17. & *cap.* 16, 14. quem Athanaſius omittit. In reiectione nominis ſubſtantiæ, ubi ita loquitur Athanaſius, Τὸ δὲ ὄνομα τῆς οὐσίας ἤρεσε περιαιρεθῆναι καὶ παντελῶς μηδεμίαν μνήμην τοῦ λοιποῦ γίνεσθαι. Ἐπειδήπερ καὶ αἱ θεῖαι γραφαὶ οὐδαμῶς ἐμνημόνευσαν περὶ οὐσίας πατρὸς καὶ υἱοῦ, καὶ γὰρ οὐδὲ ὀφείλει ὑπόστασις περὶ πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος ὀνομάζεσθαι: Socrates ita reddit ex Latino. Ἤρεσε τοῦτο περιαιρεθῆναι καὶ παντελῶς μηδεμίαν μνήμην οὐσίας ἐπὶ θεοῦ εἶναι τοῦ λοιποῦ, διὰ τὸ τὰς θείας γραφὰς μηδαμοῦ περὶ πνεύματος καὶ υἱοῦ οὐσίας μεμνῆσθαι. reliqua omittit. Nicephorus & Tripartita conſpirant, niſi quod, ubi Socrates iuxta edit. Reg. habet πνεύματος, illi legunt πατρὸς. Denique cum Athanaſii exemplar habet: πᾶσαι δὲ αἱρέσεις αἵ τε ἤδη πρότερον κατεκρίθησαν, καὶ αἵτινες ἐὰν καινότεραι γένωνται, ἐναντίαι τυγχάνουσαι τῆς ἐκτεθείσης ταύτης γραφῆς, ἀνάθεμα ἔστωσαν; nihil habet Socrates. Accuratè autem procul dubio Socrate ipſo teſte Athanaſius conſignavit omnia.

CAPVT VII.

Orientalium Epiſcoporum contra actitata Sirmienſia determinationes.

Hilarius *de ſynodis adv. Arianos p. m.* 305. notat, his tot & tantis impietatis profeſſionibus editis has rurſum è contrario Orientales Epiſcopos in unum congregatos ſententiarum definitiones condidiſſe, quas ubi condiderint, non addit. Sunt autem hæ 1. *Si quis audiens, imaginem eſſe filium Dei inviſibilis, idem dicat eſſe imaginem Dei, quod & Deum inviſibilem: quaſi non confitens verè filium, anathema ſit.* 2. *Et ſi quis audiens filium dicentem: ſicut enim pater habet vitam in ſemetipſo: ſic & Filio dedit vitam habere in ſemetipſo, eundem dicat, qui acceperit à patre vitam, qui confitetur hoc idem: ego vivo propter Patrem, quem & illum qui dederit, anathema ſit.* 3. *Et ſi quis audiens unigenitum filium, inviſibilis Dei ſimilem, non dixerit eſſentia filium, qui eſt imago Dei inviſibilis, cuius imago & iuxta eſſentiam intelligitur, quaſi non vere dicens filium, anathema ſit.* 4. *Et ſi quis audiens hoc: Quomodo enim Pater habet vitam in ſemetipſo: ſic & Filio dedit vitam habere in ſemetipſo*

Aliquas reperimus in Synodi Ancyranæ Canonibus apud Epiphanium hæreſ. 73.

Virg. contra Eutychen l. 5. in princip. 12. horũ capp. etiam meminit.

metipſo, ſimilem non dicat etiam iuxta eſſentiam filium Patri, ipſo teſtante quod ſic habet, quemadmodum dixit, anathema ſit. 5. Si quis condidit vel creavit me, & genuit me, ab eodem audiens, hoc genuit me, non tamen ex ſimilitudine eſſentiæ intelligat, ſed idem eſſe dicat, genuit me & condidit me, quaſi non dicens filium de Deo perfectum, ex duobus nominibus ſignificatum filium, ſed per duo nomina, hoc eſt, condidit me, & genuit, conditionem tantummodo dicens, & nequaquam filium, ſicut tradidit ſapientia ex duobus pium intellectum, anathema ſit. 6. Et ſi quis in filio patris ſimilitudinem ſecundùm eſſentiam quidem ipſo filio revelante, per hæc quæ dicit: ſicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic & filio dedit habere vitam in ſemetipſo, iuxta efficaciam autem per ea quæ docet: Quæ enim Pater facit, eadem & filius ſimiliter facit, ſolum ſecundum efficaciam ſimilitudinem concedens: iuxta eſſentiam vero quod eſt principaliſſimum fidei noſtræ, Filium fraudet, quaſi ſemetipſum fraudans cognatione vitæ perpetuæ, quæ eſt in Patre & Filio, anathema ſit. 7. Et ſi quis Patrem & Filium credere ſe promittens, Patrem diſſimilis eſſentiæ dicat, ſed ſimilis efficaciæ, quaſi prophanas & novas voces contra eſſentiam Filii loquens, & interimens verum Dei Filium eſſe, anathema ſit. 8. Et ſi quis intelligens ſimilem ſecundum eſſentiam Filium eius, cuius & Filius intelligitur eundem dicens Filium, quem Patrem, aut Patrem Patris, aut per emanationem, aut aliquam paſſionem, quemadmodum corporales filios, ab incorporali patre incorporalem filium ſubſiſtentem, anathema ſit. 9. Et ſi quis proptereà, quod nunquam Pater Filius intelligitur, & quod Filius nunquam Pater intelligitur, alium dicens Filium præter Patrem, proptereà quod alius ſit Pater, alius ſit Filius, ſecundum quod dictum eſt: Alius eſt, qui teſtimonium perhibet mihi, qui me miſit Pater: propter hanc piam intelligendam proprietatem perſonæ Patris & Filii, timens, ne quando idem intelligatur Filius & Pater, ſimilem non dicat etiam iuxta eſſentiam Patri, anathema ſit. 10. Et ſi quis in aliquo tempore patrem Deum unigeniti Filii intelligat, & non ſuper tempora, & ſuper omnem humanam exiſtimationem unigenitum Filium ſine paſſione extitiſſe: quaſi prætergrediens evangelicam prædicationem, quæ temporum quidem intercapedinem de Patre & Filio aſpernata eſt: fideliter autem nos docuit, quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, anathema ſit. 11 Et ſi quis

Digitized by Google

ſeniorem tempore patrem dicat Filio ex ſe unigenito, iuniorem autem Filium Patre, anathema ſit. 12. Et ſi quis intemporalem unigeniti Filii de Patre ſubſtantiam ad innaſcibilem Dei eſſentiam referat, quaſi Filium Patrem dicens, anathema ſit. Anathematiſmos hos duodecim, annotaviunculis aliquibus illuſtrat Hilarius & ſubiicit; Percurrimus chariſſimi fratres &c. vide ſupra *pag.* 21.

SECT. III.

CONCILII SIRMIENSIS Statum pertractans.

CAP. I.

Temporis confeſſionum Sectione II. propoſitarum diſcretionem diſcutiens.

SIrmienſium circa cauſam Photini ſub imperio Conſtantii agitatorum ſeriem hanc veteres Hiſtorici proponunt. Photinus Sirmii novam & ab Arianis diſcrepantem opinionem de Deitate filii Dei introduxit. Ariani videri voluerunt ſtrenui Deitatis propugnatores. Effecerunt ergo, ut Conſtantii iuſſu Sirmiū Orientales Epiſcopi potiſſimum convocarentur. Memorant id poſt Conſulatum *Sergii & Nigriani* contigiſſe, qui incidit *in ann. Chr.* 351. Interfuerunt *Marcus Arethuſius, Georgius Alexandrinus, Baſilius Ancyranus*, *Pancratius Peluſiota, Hypatianus Heracleenſis &c.* Ex Occidentalibus Ariana infectis labe *Valens Murſorum Epiſcopus.* Et *Oſius Cordubenſis* eò licet invitus acceſſit. *Triplex editur confeſſio; Primam* Græcè *Marcus Arethuſ.* concepit. *Dua alia* latinè conceptæ ſunt, quarum ultima ad Ariminenſem deniqueſ ſynodum delata & à Catholicis damnata fuit. In ſynodo etiam *Baſilius Ancyranus cum Photino* congreditur. *Hoſius autem* diriſſimis tormentis ad ſubſcriptionem adactus. Hinc Conſtantius Magnentio cæteriſque hoſtibus compreſſis, Gallo quoq; interfecto, Coſſ. Arbetione & Lolliano ann. Chr. 355. Romam, ut triumpharet, profectus, Mediolani ſynodum contra Athana-

 ſium

Digitized by Google

ſium cogit, cui reluctati Euſebius Vercell. Dionyſius Mediolan. Paulinus Trevirenſ. Lucifer Calarit. exulare iuſſi. Relegatus etiam Liberius Romanus Pontifex, quod Athanaſium condemnare nollet. Eudoxius tum ſedem Antiochenam occupans Aëtium Anomœorum principem, à Leontio Diaconum ordinatum & ob hæreſin loco motum, reſtituere conatur, ſed fruſtra, itaque iactatis etiam Oſii Cordubenſis literis apertè eius errores prædicare auſus eſt. Georgius Laod. communicato cum Baſilio Ancyrano conſilio Epiſcoporum finitimorum congregationem habet Ancyræ, ubi ὁμοούσιου voce ſuppreſſa Filius Dei ὁμοιούσιος dici iuſſus eſt. Et legatio ad Imperatorem Sirmii commorantem à ſynodo decernitur, qua Conſtantius motus fuit, ut literas, quas in favorem Eudoxii Aſphalio Presbytero dederat, revocaret, & Eudoxium damnaret. Dehinc Ariminenſis ſynodus celebrata, in qua Sirmii anteconcepta fidei confeſſio tertia ab Vrſatio & Valente exhibetur. Recentium hiſtoricorum magna eſt diverſitas. *Baronius*, ut apparet, Socratem & Sozomenum de tempore Sirmienſis Concilii circa Coſſ. Sergii & Nigriani collocato refutat. Eum ſequuntur etiam alii ſcriptores, & Photini damnationem ad ann. Chr. 357. Conſtantio IX. & Iuliano Coſſ. referunt, rationibus nixi ſupra *pag.* 57. à Binio collectis. Hinc ita ordinant rerum geſtarum ſeriem. *ann.* 353. *Conſtantio VI. & Gallo II. Coſſ. Magnentio victo* Conſtantius in Gallias profectus Arelate hybernavit, ubi Arianorum Concilio coacto Athanaſius, Paulus Trev. & alii Epiſcopi damnati. *A.* 354. *Conſtantio VI. Gallo III. Coſſ.* Athanaſius Alexandriæ vexatus. *A.* 355. *Arbetione & Lolliano Coſſ.* Conſtantius Mediolani in cauſa Athan. concilium habet & in eo Athanaſii damnationi ſubſcribere recuſantes Epiſcopos exulare iubet, Liberium Roma acceſſit, & ex Hiſpania Oſium. *A.* 356. *Conſtantio IX. & Iuliano Coſſ.* Athanaſius Syriano duce Alexandria pulſus, ſubſtituto Georgio. Conſtantius Romam progreſſus è Mediolano, & ibi matronis quibusdam interpellantibus Liberium prius in exilium actum per edictum revocat. Eudoxio ſedem Antiochenam permittit. Ipſe demum urbe digrediens in Illyricum abit, *A.* 357. *Conſtantio IX. & Iuliano II. Coſſ.* Conſtantio Sirmii præſente concilium

cilium celebratur, Photinus damnatur, fidei confeſſiones tres concipiuntur, ex quibus ſecunda ab Oſio ad id vi & tormentis coacto ſubſcribitur. Orientales Ancyræ aliam confeſſionem Sirmienſi opponunt, in qua per omnia Patri ſimilis, etiã quoad ſubſtantiã, dictus filius. Baſilius autem Ancyranus Sirmii cum Arianis congreſſus, mutata ſententia, in *οὐσίας* expunctionem conſpirat, unde tertia Sirmienſis confeſſio manavit. Liberius, Beræa revocatus Sirmii primæ Confeſſioni, non ſecundæ ſubſcripſiſſe dicitur & Romam remittitur. A. 358. poſt Sirmienſem Synodum Conſtantius Nicomediæ & Nicææ Synodum inſtituere conatus terræ motu abſterretur. Tandem A. 359. partim Arimini, partim Seleuciæ Synodus celebratur. *De tertia Confeſſione* Nicol. Faber *in præfat. fragmentis Hilarii præfixa ſentit*, Conſtantium literis ad Ancyranum Baſilium ſcriptis mandaſſe, ut de loco cogendæ Synodi cum Orientalibus deliberaret, cumq; inter illos convenire non poſſet, Baſilium ad Imperatorem veniſſe Sirmium, ibique Marcum Arethuſium, Valentem, aliosq; reperiſſe, conſpirantibusq; ad Nicænam fidem evertendam animis, ſtatuiſſe, ut Nicææ Synodus haberetur, quod cum propter terræ motũ fieri non poſſet, Epiſcoporum partem Ariminum, partem Seleuciam convenire iuſſam eſſe atq; interea Sirmii tertiam fidei formulam editam fuiſſe, fabricante Marco Arethuſio, quod ex Germinii literis Faber obſervat.

Dionyſ. Petavius, *in animadv. ad Epiphan. hær. 73. pag. 306.* ſibi in ordinandis Sirmienſibus actis bene merendi opportunitatem oblatam gratulatur, profitetur autem ſimul *acta & tempora illa ſic apud veteres pariter & recentiores confuſa eſſe, ut nulla hiſtoriæ pars impedita magis & difficilis appareat: imò ab hinc mille & ducentis propemodum annis liquidam & ſinceram illorum rationem ignoratam fuiſſe.* Pag. 310. *Fuit*, inquit, *hactenus perſuaſum omnibus, ab una eademq; Sirmienſi ſynodo condemnatum eſſe Photinum; & ſive tres, ſive duas ſaltem fidei formulas eſſe perfectas &c. Nos ex antiquis Patribus primo illud odorati ſumus, tres omninò Conventus Epiſcoporũ eodem in Sirmienſi oppido non iisdem temporibus celebratos fuiſſe, quorum primus ſynodicus & indictus fuit, cum adverſus Photinum Imperatoris literis acciti ſunt Epiſcopi; reliqui duo fortuiti*

tuiti minimèq; Conciliorum loco ac nomine cenſendi in quibus pauci duntaxat Epiſcopi, qui forte ad Imperatorem acceſſerant, communicatis conſiliis nova fidei decreta condiderunt. Hanc theſin Petavius prolixè roboratum it & I. quidem *Ancyranæ ſynodi expreſſa atteſtatione.* Sic enim Epiſtola ſynodica apud Epiphanium habet, *Optaſſe Ancyranam ſynodum, ut poſt expoſitionem fidei Antiochiæ in Encæniis celebratam & Sardicenſem fidei profeſſionem eaq; quæ Sirmii contra Photinum decreta ſunt, eccleſia conquieſceret.* Et poſt aliqua demonſtrant, ſe ea, quæ in ſuperioribus ſynodis conſtituta fuerant, exponere voluiſſe, & addunt, *Sardicenſem fidei profeſſionem Synodũ Sirmienſem amplexam fuiſſe.* At vero Ancyrana Synodus contra Sirmienſem fidei profeſſionem potiſſimum coacta eſt. Quod in libro de Synodis Hilarius docet, ubi Ancyranam ſynodum eiusq; decretum, cuiuſmodi apud Epiphanium exprimitur, explicans, eidem Sirmienſem illam alteram fidei profeſſionem præfixit, cum hoc titulo, *exemplũ blaſphemiæ per Oſium & Potamium ſcriptæ*: & adverſus hanc fidei ἔκθεσιν Orientales Ancyræ conveniſſe confirmat. Quia itaque Ancyrani Patres hoc imprimis urgent, ut ea rata manerent, quæ in Sardicenſi & Sirmienſi aliisq; Conciliis conſtituta fuerunt, utpote quibus ipſi interfuerunt, fieri vix potuit, ut eo tempore, quo tantopere laudata fidei confeſſio edita eſt à Synodo, etiam altera ederetur ab eadem Synodo, quam illi tantopere impugnaverunt. II. *Baſilii Ancyrani indicatione.* Etenim in eâ ep. Synodus indicat, *poſt Sirmienſe Concilium, quod ratum firmumq; eſſe cupit, acquieviſſe, donec novorum hæreticorum importunitate & Georgii Laodiceni literis commotus, ad propugnandam fidem ſe cum ſuis Epiſcopis erexit.* Hinc patet, Georgii Laodiceni literas inter Syrmienſem & Ancyranam Synodum locandas eſſe, quas Sozomenus *lib.* 4. *cap.* 11. recenſet. Is autem cap. 11. ſcribit, *ſimul atq; in Antiochenæ ſedis poſſeſſionem pedem poſuit, totum ſe ad Aetii promovendam perfidiam cum Acacio Cæſarienſi & Vranio Tyri Epiſcopo contuliſſe, eamq; præ ſe tuliſſe ſpeciem, quod Occidentis Epiſcopi Oſius, Vrſacius, Valens &c. ei ſuffragati fuerint, ut τὸ ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον expungeretur.* Hinc Georgium Laodicenum ad literas illas & poſcendum conventum Ancyranum impulſum fuiſſe. Conſtat vero Eudoxium A 356.

4. Cal.

Digitized by Google

4. Cal. Iun. cum Romæ apud Imp. eſſet, audita Leontii morte Antiochiam contendiſſe, ubi Vrſatii & Valentis literas, cum fidei formula, quæ τὸ ὁμοούσιον & τὸ ὁμοιούσιον abolet, cuique Oſius ſubſcripſiſſe dicitur, accepit. Si jam A. 357. Sirmienſe Concilium demum contra Photinum editum eſt, Eudoxius, Acacius, Vranius, Baſilius Anc. & Georgius Laodicenus illi intereſſe non potuerunt. At Baſilius eius potiſſima pars dicitur. Adde Ancyranam Synodum, quam Sirmienſis anteceſſit, habitam fuiſſe imminente paſchatis tempore, ut epiſtola ſynodica innuit, ad quam ob hyemis inclementiam multi Epiſcopi comparere non potuerunt. Si autem *anno 356.* Eudoxius Antiochenam ſedem obtinuit, & anno ſequenti Ancyranum Concilium habitum eſt, atque ante paſcha, quando ergo eodem *anno 357.* Sirmienſe ante Ancyranum haberi potuit? Certè in primæ Sirmienſis confeſſionis editione fuere præſentes Baſilius & Georgius. In altera abfuerunt. III. *Hilarii deſignatione.* Is ſcripſit librum *de Synodis ad Epiſcopos Gallicanos* paulo ante Ariminenſem ſynodum, rogatus, ut de actis Ancyrani Orientalium Concilii & Syrmianæ blaſphemiæ damnatione ſuum judicium perſcriberet. Itaque alteram Sirmienſem confeſſionem proponit, cuius autores facit Oſium & Potamium, ſubiicit Orientalium decretum, quod Ancyræ ſtatutum eſt, quod ille commendat & commentario illuſtrat. Poſtremo reliquas ab Orientalibus editas profeſſiones Cath. fidei conſentaneas exponit, *dignum*, inquiens, *eſſe conſcientia communi, etiam cæteras eorundem Epiſcoporum Orientalium diverſis & locis & temporibus conſcriptas fides noſcere., ut per plures confeſſiones ſinceritas conſcientiæ poſſit intelligi.* Et poſtquam Sardicenſis Orientalium fidei formulam recitaſſet, conſequens eſſe ait, *ut eam nunc fidem retractet, quæ non olim tunc cum Photinus Epiſcopatu deiectus eſt, conſcripta eſt*, & addit primam Sirmienſem confeſſionem. Vnde elucet, hanc ab altera diverſo omnino tempore editam. IV. *Sulpitii Severi narratione.* Refert is, poſt Sardicenſem ſynodum & Vrſatii ac Valentis pœnitentiam, interiecto deinde tempore, cum Athanaſius Marcellum in Sardicenſi Concilio abſolutum, parum autem ſanæ fidei compertum, à communione ſuſpendiſſet, Arianos ad ſubvertenda Concilii Sard.

acta ita illa occaſione uſos fuiſſe, ut Photini, Marcelli & Athanaſii damnationem commiſcuerint, literis de illo negotio publicatis, quibus tamen reſtiterint Catholici, & præcipuè Paulinus Trevirenſis, cum in Photini & Marcelli damnationem conſentiret, Athanaſium diſertè exceperit. Hinc relegationes ſecutas & Arelatenſem Biterrenſemq; ſynodos, itemque Mediolanenſem, & quidem *Arbetione & Lolliano* Coff. Hinc patet, Sirmienſem ſynodum contra Photinum celebratam poſt Sardicenſem, ante Arelatenſem & Mediolanenſem, adeoque ante proſcriptiones Liberii, Euſebii & aliorum Epiſcoporum. Arelatenſe autem Conc. à Saturnino celebratum incidit in *A. Chr.* 353. cum Sirmio in Gallias profectus eſſet Conſtantius. Mediolanenſe *in A.* 355. *Arbet. & Loll. Coſſ.* Tanto igitur tempore ante damnatus Photinus & Sirmienſis peracta ſynodus eſt, quam ſecunda fidei formula in eodem oppido ab Vrſatio, Valente, Oſioque prodiret, quæ poſt relegatum Hilarium, non longè ante ſynodum Ariminenſem, vulgata eſt. His rationibus Petavius aliquot annos inter publicationem primæ & ſecundæ confeſſionis editionem interceſſiſſe, evincere conatur.

Iacob. Gothofredus. *l. c. p. ſupra* 70. diſcernit confeſſiones & congreſſus ſynodicos Sirmienſes, ſed tamen Photini cauſa congregatam Synodum in *A.* 357. collocat. Blondellus autem *pag.* 72. cum Petavio hanc in *A. Chr.* 351. ponit, & alteram, cui Liberius ſubſcribſit, in *A.* 357.

Quid habendum de tempore Sirm. Concilii?

Nos exiſtimamus, omnino Confeſſionem primam & duas reliquas non eſſe unius eiusdemq; Concilii, nec unius eiusdemque temporis, licet de tempore & anno Chriſti, quo unaquæq; publicata ſit, non uſque adeò explicata eſſet certitudo. Prius ſufficienter probant rationes, quas Petavius collegit. Accedunt etiam aliæ. Nam *primò* non contemnendi ſunt illi *characteres Conſulum*, quos hiſtorici veteres annotant. Et quidem quoad I. Confeſſionem, Socrates ait *loco ſupra p. 42. allegato*, poſt Conſulatum *Sergii & Nigriani, quo anno propter tumultus belli, & ſeditiones nullus Conſul conſueta Conſulatus munera obire poterat, Sirmii congregatos Photini dogma damnaſſe.* Sozomenus *loco ſupra p.* 45. *allegato* ait, *proximum illum annum fuiſſe poſt Conſulatum Sergii & Nigriani,*

Nigriani, in quo nullus Conſul vel ex Oriente, vel ex Occidente propter ſtatum reip. tum forte à tyrannis perturbatum deſignatus fuit; Tripartita *loca ſupra p. 49. adducto: poſt Conſulatum Sergii & Nigriani, quo anno propter bellorum turbas nullus Conſulum fuerat ſolenniter ordinatus, convenerunt in Sirmio &c.* quo ad III. Confeſſionem etiam Conſules annotati ſunt, ſub quibus ea prodita eſt. Sic namque Socrates *l. 2. c. 29. Fides iſta Catholica coram Domino noſtro Conſtantio, Flavio Euſebio & Hypatio Coſſ. Sirmii ad II. Cal. Iun. edita fuit.* Sozomenus *lib. 4. cap. 17.* Abſurdum *putant, ut huic formulæ talis præponeretur titulus, qualem habuit, cum Sirmii edita eſt, nempe, præſente Conſtantio, æterno, magno, Auguſto, Euſebio & Hypatio Coſſ.* Ita & habet Tripartita *lib. 5. cap. 20.* Expoſita fides *apud Sirmium præſente D. N. Conſtantio, Auguſto. Coſſ.* Euſebio & Hypatio. *XI. Calend. Iunias.* Taxat illud Athanaſius *epiſtola de Synodis Arimini & Seleuciæ* T. 1. *p. 671. Verbis ſuis de fide Conſules adſcribunt, ſub quibus res acta eſt, Urſacius enim, & Valens Germeniusq; cum cæteris ſuis gregalibus id fecere, quod antea nec factum, nec auditum eſt apud Chriſtianos. Cum enim ſcripſiſſent eam fidem, quam voluerunt, addidere & Conſulem, & menſem, diemq; eius temporis, ut omnibus prudentibus palam facerent, non olim, ſed nunc demum eorum fidem ſub Conſtantio initium accepiſſe &c. Eſt autem inter Conſulatum Sergii ac Nigriani, itemq; Euſebii & Hypatii ad minimum octennii intervallum. Deinde* ex hiſtoria manifeſtum, Sardicenſem & Sirmienſem Synodos, non longo intervallo diſtitiſſe à ſe invicem. Sardicenſis Synodus quando habita ſit, diligenter annotavit Socrates *l. 2. c.* 16. cum duos characteres ponit. *Undecimo anno*, inquit, *poſt mortem Patris* (Conſtantini M.) *duorum Auguſtorum* (Conſtantis & Conſtantii) *Ruffino & Euſebio Coſſ. Concilium Sardicenſe coactum eſt. Epiſcopi circiter* CCC. *qui verſus Occidentem habitabant, ut ait Athanaſius, eò conveniunt. Ex Epiſcopis autem qui Orientem incolebant, ut Sabinus narrat, ſolum* LXXVI. *(in quorum numero fuit Iſchyras Maraotis Epiſcopus, quem illi, qui Athanaſium abdicabant, ad Epiſcopatum illius loci delegerant) Sardicam adventant.* Ergo undecimo anno poſt obitum Conſtantini M. & Ruffino atque Euſebio Coſſ. Sardicenſe Concilium habetur. Poſt hos Conſu-

les duo ſolum Coſſ. paria ſunt, ſc. *Flavius Philippus*, & *Fl. Salleus*, itemq; *Vlp. Limenius* & *Cat. Philonianus*, uſque ad Coſſ. *Sergii* & *Nigriani*, poſt quos Sirmienſis Synodus habita dicitur à Socrate &c. Exhibetur illo tempore ab Arianis in Italia confeſſio fidei prolixa, ab Orientalibus Epiſcopis concinnata, in qua iam ipſe Photinus Sirmienſis Epiſcopus damnatur. *Abominamur*, inquiunt, *& anathemate execramus, qui Chriſtum non ante ſecula fuiſſe contendunt, ſed ex eo tempore eum Chriſtum & Filium Dei factum eſſe, ex quo noſtram carnem ex Virgine aſſumſit, non totis abhinc 400. annis; ab eo enim tempore volunt Chriſtum initium regni adeptum eſſe, regniq; finem habiturum poſt conſummationem & iudicium. Tales ſunt diſcipuli Marcelli & Scotini Ancyrogalatæ, qui anteſecularem eſſentiam Chriſti eiusq; Deitatem & regnum indeſinens itidem ut Iudæi, inficiantur ſub prætextu conſtituendæ Monarchiæ.* Habet hanc confeſſionem Athanaſius *de Synodis Arimini & Seleuciæ p. 690. & ſeqq.* Socrates H. E. II. 15. Nicephor. *lib. 9. cap.* 11. Procul dubio circa tempora Concilii Sardicenſis illa Confeſſio edita fuit. Id liquet ex Athanaſii notationibus temporum. Ait p. 689. *tempore encaniorum Antiochiæ celebratorum confeſſionem editam, Coſſ. Marcellino & Probino. Aliquot menſibus poſt Coſſ. Conſtantio III. & Conſtanti II. quo tempore in Galliis Conſtans contra Francos fuit eosq; vicit*, aliam fuiſſe adornatam confeſſionem & ad Conſtantem per deputatos in Gallias miſſam, *p. ead.* Rurſus poſt triennium, cum interea Conſules fuiſſent M. Mæcius Memmius, Furius Placidus & Fl. Piſidius Romanus, itemq; Dometius Leontius & Saluſtius, & demum Amantius Ceionius & Rufus Albinus, per Eudoxium & alios nonnullos in Italiam hanc ipſam, quam dixi, confeſſionem eò mittunt. Incidit ergo illa miſſio in Conſulatum Conſtantii IV. & Conſtantis III. ſub quibus decretum fuit Concilium Sardicenſe, anno ſequenti habitum. Procul dubio favorem ſibi illa confeſſione conciliare ſtuduerunt, in qua Paulum Samoſatenum, Sabellium, Marcellum, Photinum aliosq; hæreticos diſertè condemnarunt. In Synodo autem Sardicenſi orta eſt tractatio publica cum Photino. Ita Epiphanius hær. 71. *Photinus à Sirmio originem duxit. Et quando zizaniū in mundum invexit, quod temporibus Conſtantini factum*

eſt,

Digitized by Google

eſt, atq; huc in vita ſuperfuit, à Synodo Occidentali in Sardica congregata ſubverſus ob eam, quam evomuit, blaſphemiam. & poſt. *Fuit hic Photinus loquax, & acutæ linguæ, & qui multos poſſet ſermonis pronunciatione & dicendi promptitudine decipere. Sæpè enim à multis confutatus & poſt illam defenſionem ipſius tunc in Sardica factam, quando ab Epiſcopis vocatus fuit ad reddendam rationem de maligna à ſe propoſita fide, impetravit à Conſtantino* (procul dubio legendum, *Conſtantio) rege, velut qui fruſtra depoſitus eſſet, ut rurſus acciperet Auditores, coram quibus demonſtraret, ſe fruſtra depoſitum eſſe. Vnde Rex illo tempore demiſit iudices & Auditores ſuæ futuræ purgationis Thalaßium & Datianum & Cergalium, & Taurum & Marcellinum & Evanthium, & Olympium & Leontium, Baſilio Ancyrano ipſum interrogante, & contradicente his, quæ ipſe defenſurus & admiſſurus eſſet. Non modicam autem diſputationem adverſus Baſilium habuit, ſed inſtar perfrictæ frontis levis mulierculæ colorem ſuum per verba in diſputatione mutabat, falſoq; adducebat dicta inconſiſtentia ad intelligentiam veritatis, ſed quæ eſſent ex ipſius mente fictè excogitata. Verum per fraudulentam ſuam vocem & dicendi promtitudinem ad ſeipſum & Auditores confirmandos, per linguam inſtructus de doctrina propoſita centum teſtimonia generoſus ille cum iactantia ſe producturum eſſe promittebat, etiamſi ipſi ſæpe adverſus illum inſtarent. Quemadmodum etiam in diſputatione adverſus Baſilium reperimus in his, quæ iußi ſunt ſcribere velociter ſcribendi periti, Anyſius Diaconus Baſilii & Callicrates, exceptor Ruſſini Præſidis provinciæ, & Olympius ac Nicetes Memoriſtæ ſive à memoria ipſius Baſilii, & Eutyches ac Theodulus Notarii Baſilii, & dimiſſa eſt pars una obſignata ad Regem Conſtant. altera permanſit in ſynodo apud Baſilium, & adhuc alia pars apud Comites ſimiliter obſignata, prout ipſa ex ſententia ſua pronunciarat &c.* Si inquiramus ecquanam ſit illa ſynodus, in qua inter Photinum & Baſilium Ancyranum illa collocutio habita; manifeſtum eſt, eſſe ipſam Sirmienſem Synodum. Sic namque Socrates *loco ſupra p. 43. adſcripto* & Sozomenus *loco ſupra p. 46. annotato* diſertè ſcribunt. Adde Nicephorum *ſupra p. 52. aſſignatum.* Sic itaque Sardicenſem ſynodum immediatè quaſi ſecuta eſt Sirmienſis. Notamusque h. l. obiter, *Baſilium Ancyranum*, etiamſi ab Epiphanio & aliis

Diverſa de Baſilio Ancyrano iudicia.

Semiarianis annumeratus ſit, non tamen ab orthodoxorum conſortio conſtanter paſſim excludi. Inſignis pro ipſo locus eſt *in ep. de ſynod. p.* 705. Athanaſii, ubi ita coætaneus & ei exquiſitiſſimus Epiſcoporum ſui temporis cognitor inquit; *Cæterum adverſus eos, qui ex omni parte ſynodum Nicænam convitiis carpunt, iſta pauca ad refutationem ſuffecerint: Adverſus autem eos, qui omnia ſynodi ſcripta recipiunt, de ſolo autem* CONSVBSTANTIALI *ambigunt, non ut adverſus inimicos affici decet. Neq; enim velut adverſus Ariomanitas, aut quaſi bellum geſturi Patribus contradicimus, ſed veluti fratres cum fratribus diſceptamus, ut cum quibus nobis eadem ſit ſententia, controverſia autem de verbis. Nam cum profiteantur Filium ex Patris ſubſtantia, & non ex alia ſubſtantia eſſe, nec creaturam eum, nec opus exiſtere, ſed genuinum & naturalem Patris fœtum, & æternaliter cum Patre eſſe, cum eius & ratio & ſapientia ſit, non longè abſunt à recipienda hac voce* CONSVBSTANTIALI. *Talis autem eſt Baſilius ex Ancyra in ſcriptis ſuis de fide. Nam dictũ illud,* ſimilem illum eſſe Patri ſecundum ſubſtantiam, *non planè explet huius dicti ſententiam,* ex Deo eſſe, *per quod magis, ut ipſi dixere, ingenuitas & vera natura filii erga Patrem ſuum ſignificatur. Nam & ſtannum &c. Cæterum quoniam ex ſubſtantia Patris Filium eſſe dixere, & ſimilem Patri ſubſtantia, quid aliud iſtis innuunt, niſi eum conſubſtantialem eſſe?* Et poſt. *Hæc quidem ſufficiunt ad oſtendendam dilectiſſimorum hominum ſententiam non longè abeſſe à conſubſtantiali. Cæterum quia affirmant, (nam epiſtola penes me non erat) Epiſcopos, qui Samoſatenſem condemnarunt, dixiſſe, Filium non eſſe Patri conſubſtantialem, ac iam deinde ipſos ob reverentiam honoremq; eorum, qui ita locuti ſunt, ab hac voce abhorrere, rectum fuerit, reverenter cum iis de ea re diſceptationes facere. Nam arietare cum illis prorſus indecorum eſt, eò quod omnes Patres ſint. Rurſus diiudicare, iſtos benè, illos malè dixiſſe, nequaquam ſanctum eſt. Omnes enim in Chriſto dormierunt. Quapropter neq; contentioſius agendum eſt, neq; numerus eorum, qui congregati fuere, in comparationem mittendus, ne videantur trecenti illi Nicænſes, eos, qui pauciores ſunt, præſtringere: neq; tempora metienda ſunt, ne priores videantur poſteriores exauctorare. Omnes enim iſti (quemadmodum dixi,) Patres ſunt, ſed tamen neque iſti, quaſi novum aliquid ſapientes,*

tes,

Digitized by Google

tes, id in ſcripta retulerunt, neq; ſui fiducia voces in ſcriptura non ſolennes deſcribunt, ſed à Patribus imitati eorum vocabulis uti voluerunt &c. Iſtam verò ſynodorum Sardicenſis & Sirmienſis propinquitatem etiam oſtendit id ipſum, quod Socrates, Sozomenus, Nicephorus, licet poſt Sardicenſem Synodum plurima civilia & militaria interſerant, ubi tamen ad Eccleſiaſtica redeunt, illicò Sirmienſis Concilii hiſtoriam texunt. Et Epiphanius, quod & *Petavius* annotavit, recenſet, in ſynodo Ancyrana Sardicenſem & Sirmienſem ſynodos contra Photinum conjungi. *Epiph. hær. 73.* Equidem inſcriptio Sirianæ editioni incerto autore præfixa habet: *Anno ſexto Conſtantii Imp. Leontio & Saluſtio Coſſ. ærâ 381. Sardicenſis ſynodus congregata eſt.* Repugnat autem & cum probatis autoribus, de quibus ſupra, & ſecum ipsâ, uti apparet ex collatione chronologica, quod & obſervat Baron: *ad A. Chr. 347. num* 1. & intervallum quinquennii conſtitueretur inter Sardicenſem Sirmienſemq; ſynodos. Nam à Conſulatu *Leontii & Saluſtii* ad Conſ. *Sergii & Nigriani* tanta eſt diſtantia. Id verò cum progreſſu rerum parum conſentit. Longè maius eſt intervallum, ſi non poſt Conſulatum *Sergii & Nigriani* ſed *in A. Ch: 357.* hoc eſt in Conſulatum *Conſtantii Aug. IX. & Iuliani II.* Sirmienſe Concilium collocetur, ut facit Baronius. Nimirum inter hoc tempus & Conſulatum *F. Ruffini & Fl. Euſebii* diſtantia eſſet decem annorum. At quis credat, in tot annorum decurſu nihil mutatum aut motum fuiſſe amplius. Iam ſi poſt Conſulatum Sergii & Nigriani collocetur primaria illa contra Photinum ſynodus, in qua Baſilius Ancyranus cum ipſo diſputavit, quæ diſputatio ſtatim poſt Sardicenſem ab Imperatore decreta eſt, manifeſtum eſt, non poſſe eiusdem temporis eſſe duas alias Confeſſiones, quæ Sirmii editæ dicuntur, utpote quæ longè à Sardicenſibus actis digrediuntur, & ſapiunt reſtaurata Semiarianorum certamina. Conveniſſe namq; Sardicenſia & Sirmienſia acta, docent Ancyræ congregati Synodales, quos Epiphanius *h.* 73. *Semiarianos* vocat, *quorum verba extant ſupra p.* 37 ubi coniunguntur quæ *acta* ſunt *in Sardica,* & *fides, quæ illic effloruit,* & ea quæ *in Sirmio propter Photinum facta ſunt.* Vbi illud Ancyranorum nonnulli taxant, quod *de fide, qua ibi effloruit,* dicitur, quaſi confeſſio fidei aliqua

Digitized by Google

aliqua Sardicæ edita fuiſſet. Id iam olim fuiſſe traditum, ſed falſò. Notat hoc Athanaſius *in ep. ad Antiochenſes pag.* 449. cum ait: *Sub iſtis conditionibus ineatur concordia, ut nihil ulterius, quam prædictum eſt, vel illi, qui ex veteri Eccleſia ſunt, à vobis flagitent, vel illi, qui cum Paulino ſunt, aliud præterquam quod inter Nicæni Concilii decreta reperitur adiiciant, & tabellas, quas nonnulli iactant, quaſi in Sardicenſi ſynodo de fide conſcriptas, ne legi quidem aut proferri ſemel ſinatis. Nihil enim tale Concilium definivit. Quamvis enim certi homines nonnulla, quaſi quæ deeſſent Nicæno Concilio adſcribere vellent, idque acriter contenderent, ſancta tamen ſynodus, quæ Sardis convenit, indigne id tulit, decretoq; ſancivit, ne quid ulterius de fide ſcriberetur, &, ſeſe contentos eſſe Nicana fide, declaraverunt, ut cui nihil deeſſet, & in qua integra & ſolida pietas contineretur neque edendam eſſe aliam profeſſionem fidei, ne illa, quæ Nicææ ſcripta eſt, ſuos numeros non habere videretur, neve illis, quibus libido eſt, ſemper nova ſtatuere, occaſio huiusmodi ſuppeditaretur, ut iterum atq; iterum de fide definiant.* Non habemus nunc niſi viginti & unum Canones Concilii Sardicenſis. Inter quos etiam 4. & 7. corruptos eſſe aut ſuppoſititios, iam olim diſputatum eſt ab Africanis Patribus, adeo ut & Nicol. Cuſanus Card. *Conc. Cath. lib.* 2. *cap.* 25. dixerit, *ſatis poſſe dubitari, an Sardicenſis Concilii conſtitutio exiſtat.* Videatur de hoc negotio Concil. African. *cap.* 105. & poſt alios Chamier *Tom.* 2. *Panſtrat. lib.* 13 *c.* 7. *& cap.* 12. *n.* 28. 29. *& l.* 14. *c.* 3. *n.* 16. *& ſeqq.* Adeoq; & illud decretum, de non addendo ad confeſſionem fidei Nicænam, non niſi Athanaſii fide ſupereſt. Suppoſititiam ergo etiam eſſe partem illam *epiſtolæ*, quæ *nomine Sardicenſis ſynodi edita eſt*, quæque continet tractationem ſeu Regulam fidei à ſynodo definitam, quæ epiſtola extat apud Theodoretum *lib.* 2. *H. E. c.* 8. ex qua tamen Card. Bellarm. *de V. D* 1. 13. teſtimonium non erubuit depromere, ut probet, *lib. Sapientiæ eſſe Canonicam ſcripturam*, arguit Card. Baron. *T.* 3. *A. Chr.* 347. *n.* 38. & Sev. Binius *T.* 1. *Concil. p.* 446. Atqui argutatio ſolida non eſt. Hac enim ratione tota epiſtola ſynodica ſuppoſititia eſſe dicenda erit. Non venditatur illa portio Epiſtolæ tanquam *decretum* aliquod *ſynodicum*, ſed eſt epiſtolica Nicænæ fidei repetitio & quaſi paraphraſis. De

Athanaſii locus explicatur.

Theodoretus vindicatur.

talibus

Digitized by Google

talibus autem non loquitur Athanaſius. Id tamen dicit, non viſum eſſe neceſſariũ Synodo Sardicenſi, uttumnova cuderetur Symboli forma, præter eam, quæ Nicææ iam à Patribus otbi commendata fuerat. Malè igitur Theodoretus & Sozomenus à Baronio iſto nomine admordentur, tanquam admiſiſſent epiſtolæ ſynodicæ aſſui ſuppoſititiam laciniam. Nec merito Vigilius reprehenditur, quod *lib. 5. contra Eutychen* ad hanc epiſtolam, tanquam quæ ſeptem definitionum capitula conplecteretur, provocaverit. Quod vero ex Sapientiæ libro Sardicenſis ſynodica locum citat, non arguit eſſe ſcripturam Canonicam, ſed antiquam inter libros Eccleſiaſticos habitam. Sed ut redeamus ad id, unde digreſſi ſumus, Sirmienſes cæteræ confeſſiones & Sardicenſis atque Sirmienſis prima non cogruunt.

Illud forſan alicui ſcrupulum iniiciet, quod *Baſilius Ancyranus*, quem nos ſupra docuimus Collocutorem in diſceptatione cum Photino fuiſſe, in Sardicenſi Orthodoxorum ſynodo non fuerit, cum reperiatur in ſynodica epiſtola notatus, cum Georgio Alexandrino & Quintiano Gazæ, atque inter eos relatus, qui nec Epiſcopi, nec Chriſtiani nominandi. Et in numero eorum deprehendatur, qui Sardica digreſſi Philippis in Thracia conciliabulum habuerunt. Sed reſpondendum videtur, Baſilium Ancyranum à Sardicenſi ſynodo ſeſe ſeparaſſe non quod in ſumma fidei à ſynodo Sardicenſi Occidentaliũ diſſentiret, ſed partim quod vocem ὁμοούσιον improbaret, ſicut indicat Athanaſius, partim quod Synodus Sardicenſis Marcellum ob colluſionem cum Sabellio Afro & Paulo Samoſateno antea è ſede Ancyrana eiectum ipſo remoto reſtituiſſet, cum tamen certum eſſet, Marcellum hæreſin fovere: qua de re videndus Socrates *lib. 2. cap. 16.* Vnde & illam Synodicam confeſſionem, quam Orientales ſeparatim primum Sardicæ, poſt Philippis congregati ediderunt, Hilarius commendat. Ita enim *de Synodis adverſ. Arianos p. 314 & 315. Brevibus expoſitio fidei huius, ſed abſolutiſſimis uſa eſt definitionibus. Nam condemnans eos, qui de non extantibus eſſe filium Dei dicerent, originem ei non cœptam, ſed manentem dedit. Ac ne hæc origo eius, ex qua natus eſt manens, alia potius quam Dei intelligeretur eſſe ſubſtantia, etiam eos blaſphemos pronunciat, qui ex alia aliqua* O *ſub-*

An Baſilius Ancyranus fuerit in Sardicenſi Synodo?

ſubſtantia, & non ex Deo Filium natum eſſe loquerentur: atque ita non cum non ex nihilo ſubſiſtit, neque aliunde, quam ex Deo, quod eſt, extitit, non poteſt ambigi in his natus eſſe, quæ Dei ſunt, quia neq; de non extantibus, neque alia, quam de innaſcibili Patris & æternâ ſubſtantia, unigeniti Filii generatur eſſentia. Reſpuit verò & intervalla temporum, ac ſeculorum, ut qui per naturam non differt, non poſſit ſeparabilis eſſe per tempus. Ex omni autem parte, qua ſe circumagere ſollicitudo potuit, hæreticorum ingeniis aditus obſtruitur, ne quid eſſe diverſitatis prædicetur in filio &c. Quod vero ſub iſtis diſſidiis propter verborum uſum & iudiciorum caſum exortis poſtea occaſionem nacti ſint Ariani ſeſe inſinuandi in negotia Eccleſiæ & cauſæ ſuæ patrocinia quærendi, id ad hæreticorum artes referendum eſt, non ad ſingulorum malitiam. Sic & in Orientalium illo ſeceſſu reperitur Marcus Arethuſius, de quo iam ſupra.

Porrò & inde conſtat primæ confeſſionis Sirmienſis à ſecunda & tertia diſtantia, quoniam Hilarius contra Conſtantium Imp. loco ſupra p. 15. adducto, notat, *Imperatorem profeſſione nominis ſubſtantiæ* (in myſterio Trinitatis quoad Patrem & Filium) *ſe & in Sardicenſi Synodo & in Sirmienſi pium eſſe Occidentalibus mentitum.* Itaq; Sirmienſis Synodus & confeſſio eo tempore poſt Sardicenſem Synodum celebrata eſt, quo adhuc aliquem orthodoxæ religionis conſenſum præ ſe tulit. Id vero eſt tempus unius alteriusve Anni poſt Sardicenſem ſynodum Paulo namque ante Sardicenſe Concilium Conſtans *Imperator* (ita loquitur Socrates l 2. c. 14.) *cuius ditioni partes verſus Occidentem ſubiectæ erant, illorum* (Pauli Conſtantino pol. & Athanaſii Alex. exulantium & ſuam conditionem Imperatori patefacentium) *iniurias ſuam ipſius calamitatem ſtatuens, literas ad fratrem dat, perque illas ei ſignificat, ut tres Epiſcopi, rationem de Pauli & Athanaſii abdicatione reddituri, ad ipſum mittantur.* Mittit Imperator Conſtantius aliquos. Cum Imp. Conſtans (ait Socrates *lib. 2. cap. 16.*) *denuò ſcripſiſſet, ut Paulo & Athanaſio ſua ipſorum loca ac ſedes reſtituerentur, nihilq; proficeret, Paulus & Athanaſius aliud Concilium cogi poſtulant, ut cum de eorum rebus, tum de fide in Concilio generali cognoſceretur: docentq; ſe abdicatos fuiſſe, quo ipſo penitus labefactaretur fides. Edicitur ergo Concilium generale, ut*

omnes

Digitized by Google

omnes Sardicam commeent. Poſt Concilium in graviſſimam diſſenſionem terminatum *Imperator* (inquit Socrates lib. 2. c. 18.) *qui partium ad Occidentem vergentium dominabatur, ea quæ in Concilio Sardicenſi acta erant, fratri ſuo Conſtantio ſignificat, hortaturq́, ut Paulum & Athanaſium ad proprias ſedes reſtituendos curet. Vbi autem Conſtantius fratris poſtulata de die in diem differebat, ille* (Imp. dico Occidentis) *optionem fratri det, vel Paulum & Athanaſium ad ſuas ipſorum ſedes Eccleſiasq́, reſtituendi, vel ſi hoc minus præſtaret, ipſum ſibi hoſtem reddendi, nihilq́, aliud quam bellum expectandi. Quod cum intellexiſſet Orientis Imp. non mediocrem animo cœpit ægritudinem. Accerſitis igitur non paucis Orientis Epiſcopis optionem ſibi datam illis exponit, rogat, quid faciendum ſit. Illi melius eſſe reſpondent, ut Athanaſio Eccleſiæ ſuæ concederet adminiſtrationem, quam ut bellum inteſtinum ſuſciperet. Vnde Imperator neceſſitate adductus Athanaſium ad ſe accerſit. Iſtas Epiſtolas* (inquit Socrat. lib. 1. c. eod.) *ubi Athanaſius in Aquileia (Sardica enim digreſſus ibi commorabatur) acceperat, Romam cum feſtinatione contendit, literas oſtendit Iulio Epiſcopo, Romanam Eccleſiam maximâ afficit lætitia. Nam Conſtantius Orientis Imperator propterea videbatur illorũ de fide opinioni aſſenſurus. Hic,* ut Hilarius ait, *Conſtantius ſe pium mentiebatur.* Videantur porrò, quæ Conſtantius præſtitit alia, *eod. cap.* à Socrate commemorata. Et iſta quidem ſimulatio pietatis duravit usque ad Coſſ. Sergium & Nigrianum, quo Conſtans à Magnentio interficitur. Ibi, ſed pedetentim recrudeſcunt perſecutiones. Athanaſius loco denuò pellitur. Paulus Conſtantinop. in exilium eiicitur & ſtrangulatur. Marcellus reſtituto Baſilio eiicitur. Siſtunt turbas turbæ Photini, ad Imp. à Concilio Sardicenſi, cum Sirmii commoraretur, devolutæ. Ita Socrates *l. 2. c. 24.* Pergit nihilominus Conſtantius in ipſo Sirmienſi Concilio ſe pium ſimulare, ut vult Hilarius. Intricatus nimirum Magnentii, Decennii, Sylvani, Iudæorum, & ipſius denique Cæſaris Galli turbis. *Præſentibus autem malis,* (inquit Socrates lib. 2. cap. 27.) *liberatus, ad bellum cum Eccleſia gerendum animum convertit* &c. Reſpondet his narratis id, quod Athanaſius ſcribit *epiſt. ad ſolitar. vit. agentes p. 641.* cum ait: *Conſtantius cum in expeditionem iret contra Magnentium, videretque Epiſcoporum cum Atha-*

Digitized by Google

thanaſio communionem, quaſi ignis ſucceſſus ſententiam ſuam mutat, nihil iam iuriſiurandi memor, & ſuarum literarum oblitus, gratitudinis officium erga fratrem non retinuit &c. Incidit iſta contra Magnentium expeditio in annum poſt vacuum Conſulibus annum, Conſtantio V. & Conſtant. Gallo Cæſare Coſſ. atque adeò poſt concilium Sirmienſe, ut verum ſit id, quod Hilarius ſcripſit. At in ſecunda Conf. Sirmienſi non amplius *ſe pium ſimulavit* Conſtantius. Ibi Valens, Vrſatius Germinius, & reliqui Arianæ factionis ſigniferi dirigebant totum negotium. Et quod primarium eſt, Oſius iam ex graviſſima illa & tot documentis comprobata animi firmitudine deiectus fuit. Hinc Hilarius ſecundam illam Confeſſionem exemplum blaſphemiæ apud Sirmium per Oſium & Potamium conſcriptæ vocat. Athanaſius ep. cit. ſeriem rerum aperit. Oſtendit quid Arelate, quid Mediolani egerit: quomodo Liberius Romæ tentatus ſit, in exilium præcipitatus & demum poſt exactum (ita Athanaſ. pag. 647.) in exilio biennium inflexus, miniſque mortis ad ſubſcriptionem contra Athanaſium inductus. Oſtendit, quomodo in illa contra Magnentium expeditione Oſium ſollicitaverit, qui primum gravi reſponſo ad Sardicenſia acta provocaverit, poſt Sirmium acceſſitus integrum ibi annum detentus fuerit, atque ita demum διὰ τὰς πολλὰς ὑπὲρ μέτρον ἐπιφερομένας αὐτῷ πληγὰς καὶ συσκευὰς κατὰ τῶν συγγενῶν αὐτοῦ, ὡς γέρων καὶ ἀσθενὴς τῷ σώματι ipſorum furori ceſſerit. Multo minus, cum tertia Confeſſio ederetur, Conſtantius ſe pium ſimulavit. Denique Vigilius *contra Eutychen lib. 5.* evidenter & diligenter Confeſſiones Sirmienſes diſtinguit, ubi oſtendit, non repugnare eos ſimpliciter intentioni ſanctorum Patrum, qui etiam poſt Nicænam ſynodum canones & anathematiſmos, exigente ita neceſſitate, conſtituunt. *Deinde*, inquit, *adverſus ſacrilegam impiæ profeſſionis unitatem, quæ per Oſium, Valentem, Vrſatium, Germinium cæteroſque ſimilis pravitatis apud Sirmium fuerant conſcripta univerſi Orientales Epiſcopi convenientes, alios, i. e. XII. ſententiarum definitiones condiderunt, quæ Nicæno Concilio non continentur.* Et poſt: *Illius verò Catholici Concilii apud Sirmium contra Photinum ex toto Oriente &c.* vide verba *ſupra pag.* 49. annotata. Quod autem Socrates, & poſt eum Sozome-

Virgilii Confeſſionum Sirmienſium diſtinctio.

zomenus, Caſſiodorus, Nicephorus & alii omnes illas Confeſſiones Sirmii uno eodemque tempore fabrefactas tradiderunt, ex eo factum videtur, quia Athanaſii narratio id requirere videbatur. Nam in ep. de ſynodis Arimini & Seleuciæ p. 693. meminit congregationis Sirmianæ contra Photinum, & ſtatim *pag. 695.* poſt confeſſionem Sirmianam primam propoſitam, addit, *iſtis omnibus neglectis ac veluti melioribus repertis aliam fidem decernunt &c.* Vide verba ſup. p. 12. 13. & poſt p. 696. *Hac*, inquit, *ubi miſiſſent denuò mutata ſententia compoſuerunt eam fidem.* &c. Vide verba ſupra pag. 13. At etiamſi Athanaſius iſtas confeſſiones tanquam ſibi invicem ſubſequentes enumeret, nullo tamen indicio teſtatur, illas uno tempore, & unâ ſynodo habita publicatas aut compoſitas fuiſſe. Imò ita loquitur Athanaſius, ut ab uno cœtu unoque tempore iſta acta eſſe ſcriptaque colligi non poſſit. Ita enim de prima. *Sirmii adverſus Photinum congregati aliam fidem compoſuerunt &c.* Ita de ſecunda: *Veluti melioribus repertis aliam fidem decernunt & Sirmii in ſcripta referunt Romano quidem ſermone, ſed quæ Græcè interpretata hunc ſenſum habeant.* Et rurſus. *Quoniam de fide placuerat diſceptationem fieri, omnia cum ſedulitate inquiſita & examinata fuere Sirmii, in præſentia Valentis, Vrſatii, Germinii cæterorumque omnium.* *Ecce obiectum aliud.* Primus congreſſus Sirmianus *contra Photinum* fuit. In altero ne mentio quidem Photini, neque de eius erroribus ſententia. Quid de ὁμοουσίῳ aut ὁμοιουσίῳ habendum ſit, deducitur. Ecce *ſtylus diverſus.* In prima ſynodo Græcè conferebatur & decernebatur: in altera Latinè. Ecce *perſonæ diverſæ*: in prima ſynodo generalis indefinitique congreſſus meminit. In ſecunda Arianos manifeſtarios Valentem, Vrſatium, Germinium &c. appellat. Hinc & *in ep. ad Africanos* T. 1. p. 723. ſecundam illam confeſſionem, quæ appellatur *de fide*, quia incipit, *Quoniam de fide*; nominatim perſtringit. *Superflua eſt illorum Ariminenſis ſynodus, ſuperflua & illa, quæ ab ipſis appellatur ſynodus de fide; ſufficit enim Nicæna, quæ cum veteribus Epiſcopis conſentit* &c. ut ſupra p. 14. & 15. coniectavimus. Illud adhuc ſynodum Sirmienſem primæ confeſſionis autorem infamare videtur, & ad eundem cum reliquis cœtum detrudere, quod Athanaſius de eius autori-

Athanaſii narratio de Confeſſionibus Sirmienſibus illuſtratur.

bus loquatur, tanquam Eccleſiæ adverſariis. *Sed*, inquit, *neque in his permanſerunt, rurſus enim Sirmii adverſus Photinum congregati aliam fidem compoſuerunt, non ita prolixam, neque tot verbis abundantem. nam pleriſque detractis alia addiderunt veluti ea per ſuggeſtionem ab aliis audiviſſent &c.* Id vero contra clariſſima aliorum teſtimonia foret, ſi in totum autoribus Arianis illius confeſſionis accurationem adſcribere vellemus. Dicendum ergò videtur, Athanaſium loqui de adverſariis ſuis, qui non omnes Ariani fuerant, & hoſtes Eccleſiæ, quanquam ab Arianis ſeducti intempeſtivo quodam erga Athanaſium efferbuerint Zelo, & Nicænæ etiam fidei formulas loquendi impugnaverint Quales plurimos fuiſſe, ex ſuperioribus liquet. Ferme ſe res ita habet de confeſſione *ſynodi Antiochenæ in encæniis habitæ.* Suberat & illius introductioni Arianorum in abdito graſſata manus. Vt enim Iulii I. Papæ conſilia everterent & obruerent Athanaſii innocentiam, autores ſunt Conſtantio, ut encænia Antiocheni nobiliſſimi templi, à Conſtantino cœpti, ab ipſo abſoluti, indiceret, atq; eâ occaſione Epiſcoporum numerum cogeret. Athanaſius nonaginta, Hilarius ſeptem, Sozomenus novem amplius confluxiſſe tradunt. Ex illis triginta ſex Arianos fuiſſe, autor eſt Iulius I in ep. ad Arianos. Illi autem hæreſin adeò occultarunt, ut Arrianum nomen averſati fuerint. In eo concilio contra Athanaſium actum eſt, & obtenta eius ab Alexandrina ſede eiectio. Sparſæ etiam ſunt variæ fidei formulæ, ſed non fuere ſingulæ Concilii. Hilarius unam recitat *lib. de ſynodis pag.* 312. quam & habet Athanaſ. *de ſynod pag.* 687. & adverſariis ſuis adſcribit. Hilarius v. ita de ea loquitur. *Superioribus diverſiſque temporibus, multis hoc cauſis poſtulantibus*, fides *alias* neceſſe *fuit conſcribi, quæ quales ſint, ex ipſis intelligetur: omnibus enim, quæ ab his geſta ſunt, cognitis, facilius tum & plenius earum rerum, de quibus inter nos quæſtio eſt, abſolutionem religioſam & unitati congruam afferemus. Expoſitio Eccleſiaſticæ fidei, quæ expoſita eſt in Synodo, habita per Encænia Antiochenæ Eccleſiæ, conſummatæ, quam expoſuerant qui affuerunt Epiſcopi nonaginta & ſeptem, cum in ſuſpitionem veniſſet unus ex Epiſcopis, quod prava ſentiret.* Et recitata confeſſione ait pro eius explicatione porro; *Minus forte expreſſè vide-*

ſè videtur de in differenti ſimilitudine Patris & Filii fides hac locut a eſſe, maximè cum de Patre & Filio & Spiritu ſancto ita ſenſerit, ſignificatā in hominibus propriā unius cuiuſq; nominatorum ſubſtantiam, & ordinē & gloriam, ut ſint quidem per ſubſtantiam (hypoſtaſin) tria, per conſonantiam vero unum. Et primum ſciendum eſt, non adverſum hæreſin, quæ diſſimilis ſubſtantiæ Patrem & Filium & Spiritum ſanctum auſa eſt prædicare, in Antiochia fuiſſe conventum, ſed adverſus eam, quæ poſt S. ſynodum Nicænam in id proruperat, ut tria nomina Patri vellet adſcribere &c. Ita enim pergit Hilarius dilucidare omnia, & adſcribere ſynodi definitionem neceſſitati ab errore novitio excitatæ, quam Athanaſius ad Arianorum abſtruſas fraudes turbido fluctuantique animo, ad ſubverſionem fidei Nicænæ contendenti adſcribit. Sic omnino & cum de Sirmienſi confeſſione loquitur, ad Arianorum ſuggeſtiones abditas & artes vaferrimè excogitatas reſpicit. Atque his miſcere ſe incautius, qui aliàs in negotio religionis ſinceri fuerunt, haud ſatis æquanimiter Athanaſius tulit. Qua de re placet adſcribere Sozomeni ſententiam, qui lib.3.cap.12. ait: *Meo quidem iudicio, ſi complurium mentem ſpectes, in eandem revera ſententiam quaſi pedibus itum eſt, conceſſumque, Filium ex Patris eſſentia conſtare. At vero quidam contentionis ſtudio adducti, contra verbum* conſubſtantiale *pugnarant. Nam alii in initio huic voci, uti mea fert opinio, adverſati videri ſe ſuperatos eſſe (quod pleruq; ſolet accidere) turpe duxerunt. Alii autem propter habitum ex crebris de iiſdē rebus diſputationibus acquiſitum, adſic de Deo ſentiendum inducti, poſtea à ſententia deduci non potuerunt Alii vero, quibus erat ſatis exploratè cognitum, non contendendum eſſe; ut alterutri parti gratificarentur, vel propter potentiam vel propter familiaritatem, vel propter alias cauſas, quibus homines adduci conſueverunt ad largienda ea, quæ parum ſunt conſentanea, vel ut liberè illis rebus indulgeant, ob quas meritò reprehendi deberent, de veritate deflexerunt. Multi qui ridiculum putarunt, in eiusmodi verborum concertationibus tempus terere, in ſententia Concilii Nicæni acquieverunt &c.* Vnde mirandum non eſt, quanquam alibi Athanaſius clementius habeat ὁμοουσίου, quoad nominis uſurpationem, adverſarios, ſi alibi, ubi ſentit & ſibi adverſitates ſimul ſtrui, & iuxta illas etiam miſcere ſe τῇ λογομαχίᾳ

γομαχία ab aſtutiſſimis aulæ Imperatoriæ aſſentatoribus ipſam etiam πραγματομαχίαν, durius de iſtis ſynodis ſcribat, in quibus ſi non numerum fecerunt, rationes temperarunt tamen & ad Imperatoris nutum omnia flexerunt Ariani. Sed & illud obſervandum, Athanaſium, cùm aliis Oſius Cordubenſis Epiſcopus duriſſimè notetur, uti videre licet ex illis, quæ Hilarius *ſupra pag.* 19. 23. 28. Phœbadius *pag.* 31. Vigilius *pag.* 49. &c. ſcripſerunt, eundem tamen mitiſſimè tractare, & ne verbo quidem eius meminiſſe, cum confeſſiones Sirmienſes recitat. Alibi verò ipſum magnis elogiis exornat. In Apologia de fuga ſua ad Conſtantium *pag.* 547. poſt catalogum Epiſcoporum contextum, quos Arianorum crudelitas indigniſſimè habuit; *De magno*, inquit, *& graviſſimæ ætatis viro, eodemque confeſſore Oſio, qui verè Oſius eſt, id eſt, ſanctus, ſuperfluum arbitror mentionem facere, cum nullus fortaſſe ſit, qui non cognitum habeat, eum ab iſtis quoque in concilium actum fuiſſe. Non enim quicquam in illo viro latere poteſt, in viro illo tantæ claritudinis. In qua enim ſynodo ille non dux & anteſignanus fuit? quem non ille recta tuendo in ſententiam ſuam pertraxit? quæ Eccleſia illius præſidentiæ non pulcherrima monumenta retinet? quis illum mœſtus adiit, ut non lætus abierit? quis indigus ab eo poſtulavit, quin poſtulatum obtinuerit? Atque contra hunc quoque ſe audaces improboſque oſtendere, eo quod certus ille earum calumniarum, quas pro tuenda impietate contra me ſtruerent, ipſorum inſidiis ſubſcribere noluit.* εἰ γὰρ καὶ ὕστερον διὰ τὰς πολλὰς &c. ut ſupra. Et Apologia II. pag. 615. *Tametſi Hoſius minis Conſtantii conterritus non videbatur Euſebianis contradicere, vis tamen illa & tyrannica Conſtantii poteſtas, multaque contumeliæ & interminationes ſatis oſtendunt, minimè eum in noſtri condemnationem conſenſiſſe, ſed ſenii imbecillitate imparem verberibus ad tempus ceſſiſſe.* Et in epiſt. ad vitam ſolit. agentes p. 651. *Hæc*, inquit, *cum audiſſet impietatis propugnator Conſtantius Cæſar, & quod alii eſſent per Hiſpanias eiusdem cum Hoſio ſententiæ, quos cum ſollicitaſſet ad ſubſcriptionem, impellere nequiviſſet, accerſit Hoſium, & pro exilio detinet illum integrum annum Sirmii, nihil veritus impius nec Deum, neque Patris ſui, quem erga Hoſium habebat, affectum, neque ſenectutem hominis iam centenarii inhumanus ille reſpexit. Omnia namque ob amorem hæreſis neglectui*

Digitized by Google

ſtui habebat novus ille Achab & noſtris temporibus ſecundus Balthaſar. Tantam n. vim intulit ſeni & ita cum arcte tenuit, ut afflictus attritusque malis, tandem ægreque cum Vrſatio & Valente communicaret, ſed tamen ut contra Athanaſium non ſubſcriberet. Verum ne ita quidem eam rem pro levi habuit; moriturus enim quaſi in teſtamento ſuo eorum vim proteſtatus eſt, & Arianam hæreſin condemnavit, vetuitque eam à quoquã probari aut recipi &c. Sic ſanè pro Hoſio Athanaſius. Vnde fas eſt dubitare, an ex vero, an autem ex fama ab Arianis ſparſum emanaverit, quod Hilarius dixit, Confeſſionem ſecundam Sirmienſem ab Hoſio & Potamione ſcriptam eſſe. Sane Sozomenus habet *lib.4.cap.5. ut fama eſt.* Sulpitius Severus *S. Hiſtor.lib.2.p.161. edit.* Giſelini: *Oſium quoque ab Hiſpania in eandem perfidiam conceſſiſſe, opinio fuit; quod eo mirum atque incredibile videtur, quia omni ferè ætatis ſuæ tempore conſtantiſſimus noſtrarum partium, & Nicæna ſynodus autore illo confecta habebatur, niſi fatiſcente ævo (etenim maior centenario fuit, ut S.Hilarius in epiſt. refert.) deliraverit.* Sed & Phœbadius conditionaliter de mutata Oſii ſententia loquitur. Et Socrates lib. 2. cap. 26. *non de ſcriptione loquitur*, ſed *fidei*, inquit, *formulis eo tempore editis vi & neceſſitate compulſus conſenſit ſubſcripſitque.* Et ipſi *Ancyranæ* ſynodi aſſeſſores Baſilius & Georgius conqueruntur, quod Ariani Anomœi Oſii ſubſcriptiones & ſcriptiones, ſed falsò, iactitaverint. Teſtis eſt Epiphanius, cùm *hæreſi* 73. epiſtolam illorum recitat, in qua pag. 720. hæc verba ſunt: *Alterum, inquiunt, eſt, quod cum antea ſcripſerint, diſſimilem ſecundum eſſentiam Filium Patri, & putarent ſe condemnare Eccleſiam per literas, quas à venerando Epiſcopo Oſio venati eſſent, in quibus diſſimilis ſecundũ eſſentiam habetur, poſtquam rediiſſent illi ex Oriente ad Sirmium, collegerunt & hoc huius hæreticum maleficiũ, ut ne pœnas darent ob facinora in Orientalem fidem perpetrata, & conati ſunt eſſentiæ nomen, quod in uſu Patribus eſt, propter prædictas cauſas tollere ex Eccleſiaſtica doctrina, quo etiam hac parte hæreſin ſuam corroborare viderentur.* Neque ſatis manifeſtum eſt, an iure tantum ſuper Oſii lapſu leſſum adornaverit Baronius, cum *An. Chriſti* 357. *num.* 17. ita ait. *Immenſo ſane luctu & implacabilibus lamentis proſecuti ſunt S. Patres funus præclariſſimi viri, qui cum navem, qua tot tantaque maria naviga-*

An Confeſſio Sirmienſis ſecunda ab Oſio & Potamio conſcripta ſit?

Baronius notatur.

navigaret inter ſyrtes, ſcopulos, atque piratas, validis undique adverſariis urgentibus ventis, iam ad portum ſalutis magna gloria perduxiſſet incolumem, ibi inſperatò naufragium fecit, univerſa Catholica Eccleſia expaveſcente. Eiuſmodi Oſii planè miſerabili caſu Catholicus orbis contremuit, concuſſæque ſunt ſolidiſſimæ petræ. Quis rogo de ſui exitu potuit eſſe ſecurus, ſi omnium ſynodorum laudibus Oſium celebratum & ſcriptorum cunctorum illorum temporum præconiis exaltatum, totque ex diverſis atque multiplicibus certaminibus coronis auctum hominem, in conciliis agentem Patronum atque Magiſtrum, videat tàm inopinatè proſterni, ac inſtar ſalis infatuati pedibus proculcari, tantumque ducem effici exercitus deſertorem, imò ad hoſtes deficientem & in caſtris hoſtium profitentem, transfugam adeò ignominioſè conſtitui? eòque potiſſimum tempore, proh dolor! quo de laboribus immenſis præmium accepturus & de innumeris victoriis fuiſſet donandus à ſummo Imperatore coronis? Meritò igitur abietes ulularunt, quia cecidit cedrus, atque paventes ſibiq; timentes viri ſancti ad Deum clamantes, propheticum illud occinuerunt, ne proiicias me in tempore ſenectutis, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

Zach. 11.
Pſal. 70.

Superavit meâ ſententia lapſus Oſii præteritorum omnium caſum, ſive Origenis, ſive Tertulliani, ſive quorumvis aliorum dixeris: nullus enim æquèac ipſe, neque tanta temporis diuturnitate tot tantisq; publicis actionibus, iiſdemq; ſummis ac ſtatum totius reipubl. Chriſtianæ concernentibus tum in Occidente, tum in Oriente perfunctus, nullus, inquam, æquè ut Oſius ſpectatus fuit &c. Non ſanè iſtiusmodi lamenta novit antiquitas ita conſtanter, uti Baronius præ ſe fert. Mirum profectò eſt, quod cum in aliis Athanaſio Baronius crediderit, cum de Oſio refert, non etiam in hoc referentem ſecutum fuiſſe. Autor de Viris illuſtribus cap. 1. qui aſſeritur Iſidorus Ep. Hiſpalenſis, dum agit de Gregorio Epiſcopo Eliberitano de Oſii ~~exitu~~ hæc deſcribit: *Poſt impiam Oſii prævaricationem, dum S. Gregorius Eliberitanus Ep. in Cordubenſi urbe iuxta imperiale decretum fuiſſet adductus, ac minimè vellet illi communicare, commotus Oſius dicit Clementio Conſtantii Præfecti vicario, ut mitteret eum in exilium. At ille, Non audeo, inquit, Epiſcopum in exilium mittere, niſi prius eum ab Epiſcopatu deieceris.*

Quid de Oſii obitu Iſidoro tributus liber?

Vt au-

Digitized by Google

Vt autem vidit S. Gregorius, quod Oſius vellet dare ſententiam, appellat Chriſtum, totius fidei ſuæ viſceribus exclamans, Chriſte Deus, qui venturus es iudicare vivos & mortuos, ne patiaris hodie inhumanam proferri ſententiam iam adverſus me minimum ſervum tuum, qui pro fide nominis tui, ut reus aſſiſtens, ſpectaculum factus ſum, ſed tu ipſe quæſo in cauſa tua hodie iudica, ipſe ſententiam proferre dignare per ultionem. Non ego quaſi metuens de exilio fugere cupio, cum mihi pro tuo nomine nullum ſupplicium grave ſit: ſed ut multi prævaricationis errore liberentur, cum præſentem viderint ultionem. His dictis, ecce repente Oſius, reſidens faſtu quaſi regalis imperii, cum ſententiam conaretur exprimere, os vertit, diſtorquens pariter & cervicem, ac de ſeſſu in terram eliditur, atque illicò expiravit. Tunc admirantibus cunctis & Clementius ille gentilis expavit, & licet eſſet iudex, tamen timens, ne in ſimile ſupplicium vindicaretur, proſtravit ſe ad pedes ſancti viri, obſecrans, ut ſibi parceret, quia in eum divinæ legis ignoratione peccaſſet, & non tam proprio arbitrio, quam mandantis imperio. Inde eſt, quod ſolus Gregorius ex numero vindicantium integram fidem nec in fugam converſus eſt, neque paſſus eſt exilium, unusquisque enim timuit de illo ulterius iudicare. Habent hanc relationem etiam aliqui ex recentioribus Hiſpaniæ hiſtoricis. Baronius autem eam impugnat A.Chr. 357. n. 31. & ſeqq. Rationibus nititur his. I. *quia* illius primus autor eſſe reperitur Marcellinus Presbyter ſchiſmaticus ſectæ Luciferianæ. II. *quia* S. Athanaſius (verbis ſupra exhibitis) de ipſius obitu aliter locutus eſt. III. *quia* Athanaſius *Oratione I. contra Arianos*, quam trigeſimo ſexto poſt concilium Nicænum anno habuit, A. Chr. ut Baronius putat 361. adeoque poſt Sirmienſia acta, recenſens præclariſſimos & de fide Cath. optimè meritos viros, primo loco ac titulo honorifico ponit Oſium, unde in communione Catholica eum defunctum liquet. IV. *quia* Athanaſius *Apol. 2. ad Conſtant.* eum ad tempus ob verberum vim ceſſiſſe dictat. V. *quia* Auguſtinus *lib. 1. contra Epiſtol. Parmenian. cap. 4.* non meminit, Donatiſtas & nominatim Parmenianum aliquid Oſio obieciſſe, præterquam quod favens Cæciliano, tum ipſi, tum aliis quoque eius Collegis, quos iſti Traditores appellarunt, communicaſſet. Fuiſſent ſanè obitum illũ horrendum exprobraturi, ſi is contigiſſet, *Hilar. fragment. l. 2.*

p. 4. 5 de illis Gid. iudicium *Bar. A. 357. num. 52. 53.* ſect. VI. *quia* Euſebius Vercellenſis epiſt. ad Gregorium Eliberitanum oſtendit, etiam Ariminienſi concilio ſupervixiſſe Oſium, quem transgreſſorem nominat, atque adeò non ſtatim poſt ceſſionem illam Conſtantii tyrannide extortam iſto modo concidiſſe.

Autorum ſupra propoſitorum diſcretio. Hinc iam in promtu eſt, quid de autorum ſupra commemoratorum narratis ſit iudicandum. De *Athanaſio* & *Hilario* nominatim iam dictum eſt. Sed & Phœbadius quomodo loquatur, indicavimus. Gregorius Bæticus ad ſecundam & tertiam Confeſſionem reſpicit. C. *Marius Victorinus* ſecundam imprimis tangit. Sic & *Baſilius* & *Gr. Nazianzenus* accipiendi. *Epiphanii* locus prior ſupra p. 37. & 38. adductus ad primam, poſterior p. 38. 39. ad ſecundam referendus eſt. *Philoſtorgius* loquitur ex ſententia & iactatione Anomœorum, quos Baſilium Ancyranum, & Georgium Laodicenum perſtrinxiſſe propterea, iam obſervavimus. *Ambroſius* intelligit actitata circa Confeſſiones poſteriores, *Sulpitius Severus* videtur diverſorum temporum acta in unum coniicere. Sub Coſſ. Sergio & Nigriano Photini cauſa tractata eſt. Poſtea circa tempus pugnæ ad Murſam, contra Magnentium feliciter exeuntis, cauſa Marcelli & Athanaſii confuſæ ſunt, cum Marcelli error magis innoteſceret, & Sardicenſis Synodi, tanquam in Marcelli cauſa hallucinantis, autoritas quodammodo periclitaretur, & iam inſolentiores Ariani eſſent redditi. De Socratis & Sozomeni narratione iam iudicatum eſt. In *Socrate* eſt aliqua temporis diſtinctio. *Iſti Epiſcopi*, inquit, *Sirmii ad tempus commorati alia acta ſanciverunt. Nam vetera ſua de fide decreta condemnare, novasq; fidei formulas condere cœperunt.* Acta nimirum *condemnationis & abdicationis Photini* ad Concilium ab omnibus & tum & poſtea, ut probe recteq; faciens, approbatum refert. Acta *conditarum formularum* ad tempus ſubſequens. Vbi quoad Confeſſionem primam illum falli in propatulo eſt. Nec diſputationem cum Ancyrano Baſilio poſt conditas formulas celebratam, ſatis deductum ſupra. Sanè illi anathematiſmi ex diſputatione & interpretationibus in ea prolatis originem ſuam habuerunt. *Ruffinus* tangit ſecundæ tertiæque formulæ tempora. *Vincentius Lirinenſis* ad primam formu-

lam

Digitized by Google

Iam reducendus eſt. *Caſsiodorus & Nicephorus* Socratem & Sozomenum ſequuntur. *Philaſtrius* ad primam ſpectat formulam. Pontificii *Sagittarius, Carranza, Prataolus, Ruiz, Pererius* primam formulam reſpiciunt. Cæteros confuſio temporis apud veteres commiſſa ſeduxit. *Petavius* ſupra p. 62. diſtinguit tempora, ſed in eo hallucinatur, quod indiſtinctè ait, *Sirmienſe Concilium* A. 351. *ab Arianis contra Photinum habitum*. Sic & de reliquis habendum. In alligandis autem annis Coſſ. ad annos Chriſti aliqua reperitur diverſitas. *Cuſpinianus* Comm. in Aurel. Caſſ. Conſules p. 499. annum poſt Coſſ. Sergii & Nigriani alligat ad A. Chr. 354. *Helvicus* in A. Chr. 353. *Sethus Calviſ.* in A. Chr. 351. Hoc vero non hic moramur.

CAP. II.
Cauſas & Circumſtantias Concilii Sirmienſis alias expendens.

LOcus Concilii SIRMIUM eſt, urbs Pannoniæ inferioris, longiuſculè à Danubio flumine ſita. *Ptolom. lib. 2. cap. 6. vulgo Sirmiſch.* Sæpius ibi Conſtantium Imperat. verſatum fuiſſe, ex Ammiano Marcellino diſcimus. *Conf. lib. 16. p.* 78. *lib.* 17. *p.* 112. 122. *lib.* 18. *pag.* 129. *lib.* 19. *p.* 160. 163. unde colligitur, non ſemel hybernaſſe Sirmii Conſtantium. Patet autem argumenti Baroniani nullitas, qui An. Chr 357. ſynodum Sirmianam celebratam fuiſſe probaturus, id exinde deducit, quia eo anno fuit Conſtantius Sirmii. Sic n. ſcribit in Añal. A. Ch. 357. n. 2. *Inſuper cum conſtet, eiusmodi Synodũ habitam eſſe Sirmii, præſente Conſtantio Imp. quod & Sozomenus affirmat, plane dicendũ eſt, hoc ipſo anno celebratã eſſe, quo idem Conſtantius, ut demonſtratur Marcellino autore, Sirmii conſediſſe probatur.* Non enim id deducetur, niſi probetur, nullo prætere anno prius Sirmii fuiſſe Conſtantium, quod falſum eſt, nec A. 351. ibi Coſſ. Sergii & Nigriani finiente eſſe potuiſſe. Vide & de Sirmio Herodianum *lib.* 7. *p.* 592. 18. Zoſimum *lib.* 2. 678. 40. ut alios iam ſilentio prætermittam.

Locus concilii.

Baronius notatur.

CAUSA *impulſiva*, in qua & *obiectum* Concilii convocati, fuit periculum ab hæreſi Photini, quæ iuxta alias Eccleſiam turbare cœperat. Illam diſertè tangit Hilarius *ſupra p.* 22. §. *Idem*

Obiectum Synodi.

Digitized by Google

lib. & §. Idem rurſus. Epiphanius *ſupra pag* 37. Sulpitius Severus *pag.* 40. *num.* 11. Socrates *pag.* 42. *n.* 12. Sozomenus *p.* 44. *n.* 13. Vincentius Lirinenſis *p* 48. *n.* 15. Caſſiodorus *in tripart. ſupr. p.* 49, *n.* 16. Nicephorus Calliſtus *ſupr. p.* 50. *n.* 18. Et eam quidem Orthodoxi ſpectarunt potiſſimum; quamvis negari nequeat, illa occaſione etiam reſiduas aliquas ex Sardicenſi ſynodo difficultates, & in primis ſeparationem eam, qua Philippos Thraciæ ſe Epiſcopi partim Ariani, partim in uſu vocabuli homouſii à cæteris diſſidentes & propter Marcelli abſolutionem offenſi, deque Athanaſio malè perſuaſi, contulerunt, tractatas fuiſſe. Sed & illud certum eſt, Arianos cauſam in prætextum vertiſſe, interim ipſos occaſione ea uſos fuiſſe, ut, cum adhuc ſe pios ſimularent, quemadmodum loquitur Hilarius, cauſam ſuam ſtabilirent, & eos, qui quoad vocem τὸ ὁμοούσιον inter perſonas divinas damnarunt, in illa contra alios Orthodoxos lucta foverent. Hæc abſtruſa conſilia tangit & refellit Hilarius *ſupr. pag.* 24. *& ſ.* latè. Tangit & Epiphanius *p.* 37. *n.* 8. Clarè indicat Sulpitius Severus *p.* 40. *n.* 11. *ibi. Ariani aſtuto conſilio miſcent innoxium criminoſis* &c. Sequuntur Socrates, Sozomenus, Tripartita, Nicephorus, licet confusè. Itaque Sagittarius *ſupra ſect.* 1. *cap.* 2. *num.* 1. cùm *concilium adverſus omnes hæreticos, præſertim verò Arianos coactum* dicit, & Carranza, cum *núm.* 2. ait, in *concilio Sirmienſi tradiderunt regulas fidei Orthodoxas contra Arium,* ita explicandi ſunt, ut per Arianos præcipuos hoſtes Deitatis Ieſu Chriſti intelligamus. Quo ſenſu etiam Sociniani, Photini proles, Ariani paſſim vocantur. Videndum autem ſemper ad veram cauſam, & quid ex Orthodoxorum intentione actum fuerit, & inde dictorum interpretatio gubernanda. Monet hoc Hilarius *loco ſupra tacto de ſynodis contra Arianos p.* 313. in eruendo ſenſu definitionum Orientalium Epiſcoporum, quos contra ſequiores confeſſiones fecerunt. *Primum ſciendum*, inquit, *non adverſum hæreſin, quæ diſſimilis ſubſtantiæ Patrem & Filium & Spiritum ſanctum auſa eſt prædicare, in Antiochia fuiſſe conventum, ſed adverſus eam, quæ poſt S. Synodum Nicænam in id proruperat, ut tria nomina Patri vellet adſcribere,*

Cavsa

Cᴀᴠsᴀ *efficiens* convocationis concilii & *autor* eſt Cᴏɴ- *Quis convocarit Conciliũ?*
sᴛᴀɴᴛɪᴠs *Imperator*, uſus iure Maieſtatis, qua tanquam ἐκ ἐπίσκοπος (quomodo Conſtantinus Pater ſe appellavit) quæ ad utramque legis tabulam & religionis Chriſtianæ conſervandam puritatem ſpectant, moderari & gubernare debuit. Sic Hilarius *ad Conſtantium loco ſupra cit. pag. 15. ibi: Cur* Tᴜᴀ (id eſt, tua autoritate & maieſtate gubernante decreta) *damnas?* Et ibi: *Damnas quoque & ſubſtantiæ nomen, quo te & Sardicenſi ſynodo & Sirmienſi pium eſſe, Occidentalibus mentiebaris.* Socrates *ſupra pag. 42. ibi: Imperator Sirmii concilium Epiſcoporum convocari iubet.* Sozomenus *pag. 45. ibi: Oſius confeſſor etiam ab Imperatore ad concilium accerſitus eſt.* Caſſiodorus *in Tripart. ſupra pag. 49. num. 17.* ibi: *iuſſit Imperator concilium in Sirmio congregari.* Nicephorus *pag. 50.* ibi: *Conſtantius cum Sirmii eſſet, Photini dogma in disquiſitionem adduxit.* & ibi. *Quapropter etiam concilium ibi coëgit.* Nec reprehenſus à quoquam tum fuit Conſtantius, quod iure convocandorum conciliorum tunc uſus fuerit Imperator. Etenim quod ex iudicii Theologici Ern. de Euſebiis vehiculo allegatur, tanquam ipſe Oſius Cordubenſis Conſtantio in iſto negotio repugnaverit, confutavimus in prodromo Anticriſ. *ſeu invectiva in vehiculum p. 66. & ſeqq.* & alibi in eo prodromo Imperatorum & Regum iura Eccleſiaſtica luculenter demonſtravimus. *Confer & Anticriſ. ſect. 4. quaſt. 9. §. 1. diſputat. 1. Collat. ad Concil. Franc. ſect. 3. cap. 1. differt. de iure Can. ſub nomine Sacci vulgatam §. 30.*

Nᴏʀᴍᴀ fuit ipſa *ſ. ſcriptura.* Nam & hæc utique more- *Qua norma Concilii?*
tum recepto in medio poſita & ceu regula conſtituta fuit adæquata & ſufficiens: de quo vide Baron. *T. 3. a. 325. num.* 60. & Coll. ad Conc Francof. *ſect. 3. cap. 3. pag.* 130. Hoc præ ſe tulerunt S. Patres illo tempore S. Athanaſius *epiſt. de Synodis Arim. & Seleuc. pag. 673.* Fruſtra *circumcurſitantes prætexunt, ob fidem ſynodos ſe poſtulare.* ἔςι μὲν γὰρ ἱκανωτέρα πάντων ἡ θεία γραφή, *eſt enim quidem ſcriptura omnibus potentior*, (habentur hæc verba etiam in diſput. 1. contra Arianos p. 114.) *Quod ſi ad hanc rem uſus ſynodi deſideratur, ſuperſunt acta Patrum. Nam neque hac in parte negligentes fuerunt, qui Nicææ convenerunt, ſed ita accuratè ſcripſerunt,*

Digitized by Google

runt, ut qui ſinceriter eorum ſcripta legat, facile reminiſcatur eius in Chriſtum religionis, quæ à ſ. literis *annunciatur.* ſic idem *de Incarnat. Chriſt. pag.* 414. alloquitur Arianos. *Si diſcipuli eſtis Evangeliorum, per ſcripturas incedite; quod ſi diverſa à ſcriptura fabulari vultis, cur nobiscum concertatis, qui neque loqui, neque audire ſuſtinemus παρὰ τὰ γεγραμμένα quod extraneum ſit ab iſtis.* Et *de ſalutari adventu I. Chriſti p.* 496. Proponantur *hæreticorum dogmata, & veſtræ cogitationis ſententia, & noſtræ fidei ratio;* (tanquam examinãda) *& Evangelii definitio & Apoſtolorum prædicatio, & Prophetarum teſtimonia.* (tanq. regula) *Et in orat. contra Sabellii gregales:* ἀρκεῖ πιστεῦσαι τοῖς γεγραμμένοις καὶ γενομένοις. Et *in Epiſt. ad Iovianum de fide p.* 398. Vera *& pia in Chriſtum fides* φανερὰ πᾶσι καθέστηκεν *clara omnibus proſtat ex divinis ſcripturis cognita & explorata* γινωσκομένη καὶ ἀναγινωσκομένη. Et *ad Serapion. de Spiritu ſancto pag.* 359. μόνον τὰ ἐν ταῖς γραφαῖς μανθανέτω. Et Hilarius *lib. ad Conſtantium Auguſtum, p.* 292. *In quantum ego nunc beatæ religioſæque voluntatis verè te, Domine Conſtanti Imperator, admiror, fidem tantum, ſecundum ea quæ ſcripta ſunt, deſiderantem, & meritò planè ad illa ipſa unigeniti Dei eloquia feſtinans, ut imperatoriæ ſollicitudinis capax pectus etiam divinorum dictorum conſcientia plenum ſit. Hoc qui repudiat, Antichriſtus eſt: & qui ſimulat, anathema eſt. Sed unum hoc quoque per hanc dignationis tuæ ſinceram audientiam rogo, ut præſente ſynodo, quæ nunc de fide litigat, paucis me de Scripturis Evangelicis digneris audire & loquar tecum de verbis Domini mei Ieſu Chriſti, cuius vel exul ſum, vel Sacerdos. Habent enim vaſa teſtea non ignobiles theſauros & infirmiora corporum magis reverenda ſunt: & apud nos modo Deum indocti piſcatores locuti ſunt. Super humilem & trementem verba ſua ſecundum Prophetam Deus reſpicit. Fidem Imperator quæris? audi eã non de novis chartulis, ſed de Dei libris. Scito eum etiam poſſe in Occidente donari, unde venientes in regno Dei cum Abraham & Iſaac & Iacob recumbent. Memento eam non in quæſtione philoſophiæ eſſe, ſed in Dei doctrina. Non tam mihi rogo audientiam, quam tibi & Eccleſiis Dei. Ego enim penes me habeo fidem, exteriore non egeo.* Huc contendit & Phœbadius *ſupra p.* 30. *num.* 3. Hoc etiam ipſi Ariani tum obſervaſſe videri voluerunt. Hinc in ſecunda Confeſſione: *de illis nihil ſcriptum in ſ. lite-*

Conf. Ind. Iniquit. Mog. port. 1. §. 39. *p.* 203.

ſ. literis. Et rurſus. *Quemadmodũ ſcriptum eſt.* & iterum. *Omnes ſcripturæ docent & ipſe etiam gentium Apoſtolus.* Et rurſus. *Quemadmodum legimus in Evangelio.* Et demum. *Secundum Evangelium.* Ita & in Synodo Seleucienſi apud Epiphan. hær. 73. *Omnem diligentiam adhibuimus, ut fidem firmiter diſtingueremus juxta propheticas voces & nihil præter divinas ſcripturas Eccleſiaſticæ fidei adderemus, quemadmodum præcepit pientiſſimus Rex noſter Conſtantius.* Memento tamen, inquit Hilarius l. c *neminem hæreticorum eſſe, qui ſe nunc non ſecundum ſcripturas prædicare ea, quibus blaſphemat, mentiatur. Hinc enim Marcellus verbum Dei cum legit, neſcit. Hinc Photinus Hominem Ieſum Chriſtum cum loquitur ignorat. Hinc & Sabellius, dum quod, ego & Pater unum ſumus, non intelligit, ſine Deo Patre & ſine Deo Filio eſt. Hinc & Montanus per inſanas fæminas ſuas paracletum alium defendit. Hinc & Manichæus & Marcion legem odit, quia litera occidit, & mundi princeps diabolus eſt. Omnes ſcripturas ſine ſenſu loquuntur, fidem ſine fide prætendunt. Scripturæ enim non in legendo ſunt, ſed in intelligendo: neque in prævaricatione ſunt, ſed in charitate. Audi, rogo, ea, quæ de Chriſto ſunt ſcripta, ne ſub eis, quæ non ſcripta ſunt, prædicentur. Submitte ad ea, quæ de libris locuturus ſum, aures tuas, fidem tuam ad Deum erigas: audi, quod proficit ad fidem, ad unitatem, ad æternitatem. &c.* Gemina his ſcribit Athanaſius *diſp. 1. cont. Arian. p.* 113 cum ait: *Cum unaquæq; hæreſis ſui commenti parentem habeat eum, qui ab initio perverſus, homicida & mendax fuit, Diabolum, ac pudore tam exoſi nominis teneatur, pulcherrimum & quod ſuper omnia eſt, nomen Salvatoris profitetur, ſcripturarumq; dictionibus amicitur, & verba quidem profert, veram tamen inde ſententiam ſuffuratur, ac deinde intellectu, quem ipſe, confinxit dolis inumbrato, erroneorum homicida & ipſa efficitur. Alioqui, quid Marcioni & Manichæo hæreticis cum Evangelio, qui legem abnegant? Ex veteribus enim nova, & novis vetera conteſtata redduntur. Qui igitur iſta inficiantur, quomodo illa agnoſcent? Paulus certè eius Evangelii Apoſtolus fuit, quod prænunciavit per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis. Quin & ipſe Dominus locutus eſt, ſcrutamini ſcripturas, quonam illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me. Quomodo igitur agnoſcent Dominum, qui non ante ſcripturas de eo conſuluerunt & ſcrutati*

Caſſiodorus Socratem & Sozomenum ſectatur: ſicut & Nicephorus. Philaſtrius *ſupra pag. 52. Sanctos Epiſcopos* vocat.

Quis ſit Confeſſ. ſynodi autor.

Quis primam Confeſſ. ſcripſerit, quam propriè ſynodi Sirmienſis eſſe, ſupra indicavimus, in ſuſpenſo eſt. Marcum Arethuſium autorem tradit Socrates *ſupra pag.* 43. ibi: *unam Marcus Arethuſæ Epiſcopus Græco ſermone conſcripſit.* Sozomenus in hoc ſequitur Socratem. Tripartita vero Caſſiodori *ſupra p.* 50. ſubſcribit ibi: *unam quidem Attica lingua edidit Marcus Arethuſæ, ſed cum Romana lingua concordiam non habentem.* Et Nicephorus *pag.* 51. ibi: *Atque unam quidem &c.* Sequitur Bellarminus *ſupra p.* 52. Baronius *pag.* 57. Binius. *pag.* 59. & alii complures, quibus ego ſubſcripſi *ſupra p.* 79. Apparet autem à Socrate totum illud narratum profluxiſſe, cuius nec Athanaſius, nec Hilarius, nec alius ante Socratem mentionem fecerunt. Dionyſius Petavius *ſupra pag.* 62. *num.* 13. Arianis illam Confeſſionem tribuit. Lucas Oſiander *ſupra pag.* 74. *ait*, quicquid in prima fidei formula bonum eſt, id per Oſium Cordubenſem fuiſſe inſertum. Quanquam ad ſummam rei parum attinet, ſi omninò pro certo habeatur, Marcum Arethuſium formulam Confeſſionis ſcripſiſſe. Nam quod Marcus ille inter Arianos aut Semiarianos recenſetur, Confeſſioni nihil detrahit. Non enim ad ſententiam ſcriptoris, ſed ad ſenſum Concilii reſpiciendum eſt. Id autem contra Photinum veram tenuit mentem. Et Ariani pios & Catholicos ſe, ut Hilarius ait, mentiebantur, & Ariana dogmata reprobabant.

Quis Marcus Arethuſius?

Sed & dubitari poteſt, an Marcus Arethuſius Arianus fuerit? Non enim tum temporis, qui à partibus Arianorum ſteterunt, omnes Arianos fuiſſe, iam ex ſuperioribus conſtat. Deprehenditur Marcus in Sardicenſi ſeparata Synodo IIXC. Epiſcoporum, quæ Philippos Thraciæ ſeſe contulit, & quidem in ſubſcriptione epiſtolæ ſynodalis, quæ eſt in fragm. Hilar. *lib.* 2. *pag.* 6. 7. S. & apud Baron. *A. Ch.* 347. *n.* 75 & Binium *Tom.* 1. *Concil. p.* 448. Atqui illi IIXC Epiſcopi non omnes erant Ariani, ſed quidam etiam in cauſa Marcelli, & Athanaſii & Pauli Conſtantinopolitani a ſynodo Sardicenſi diſſentiebant. Hinc ep. 1. ſynodal Sardic *ex iis, qui convenerunt ex partibus Orientis, qui ſe appellant Epiſcopos, certi autores ſunt* (E. non omnes) *quorum ſacri-*

leges

legas mentes Ariana hæreſis peſtifero tinxit veneno. Nec Ariani ibi ſuam ſententiam expreſse propoſuerunt, ſed ex abdito & excitatis contra orthodoxias Doctores primarios calumniis viam ſibi ad hæreſeos ſuæ introductionẽ ſtraverunt. Vnde, quod ſupra notavimus, Hilarius ſymbolum Concilii Sardicenſis approbat, tanquam in ſententia ſincerum. Sanè ſi Marcus Arethuſius fuiſſet inter Arianos, fuiſſet princeps & anteſignanus eorum, utpote cui commiſerunt ſymboli confectionem in Sirmienſi Concilio. At cum principes eius temporis inter Arianos nominantur, Marcus omittitur. Ita in Ep. 2. Concil Sardic. *quæ extat apud Theodoret. lib. 2. cap. 8. Tripartit. lib. 4. cap. 24. Athanaſ. Apolog.* 2. recenſentur *Euſebius, Theodorus Heracleæ, Narciſſus Neroniadis Ciliciæ, Stephanus Antiochiæ, Georgius Laodiceá, Acacius Cæſareæ Paleſtinæ, Menophantus, Epheſius, Vrſatius Sigiduni, Valens Murſi Pannoniæ.* Hos fere etiam enumerat Sulp. Severus *ſupra pag.* 41. Quando verò in Synodo Ancyrana Marcus Arethuſius primum ſubſcripſit, ut habetur apud Epiphanium *l. c.* illam Confeſſionem, in qua hic anathematiſmus habetur: *Si quis non per omnia ſimilem dixerit, filium Patri, ſicut Filium Patri, ſed iuxta ſolam voluntatem ſimilem dixerit, iuxta eſſentiam verò diſſimilem, anathema ſit &c.* non ſanè eo facto ſe in Semiarianorum conſortium dedit. Nam anathematiſmi Ancyrani plurimi, ut jam ante notavimus, laudati ſunt ab Hilario, & ſunt Orientalium Epiſcoporum, quos ſupra *ſect. 2. cap. 7.* etiam propoſuimus, velut ad acta Sirmienſia pertinentes. Quod autem in relatione de Synodo Seleucienſi apud Epiphanium *l. c.* habetur, quaſi & illi Marcus Arethuſ. ſubſcripſiſſet, falſum eſſe docet Petavius *in animadverſ. l. h n.* 26. Neque ſatis exploratum eſt, an Marcus Arethuſius fuerit ille Marcus, quem Athanaſius *de Synodis pag.* 689. dicit cum Narciſſo, Mari, Theodoro, ſub nomine ſynodi Antiochenæ in encœniis habitæ, in Gallias ad Conſtantem Aug. ablegatum, ut traderet reformatam Confeſſionem. Si fuit, nondum tamen Arianorum factioni indubitatò adſcribi poteſt. Argutiſſimè Ariani omnia adornarunt, cum Catholicos ſe ſimularunt, quod Antiochiæ fecerunt. Itaq; Marcum Arethuſium eligere potuerunt orthodoxum, ut ſuas artes tegerent. Et in hunc finem addide-

Digitized by Google

navigaret inter ſyrtes , ſcopulos , atque piratas , validis undique adverſariis urgentibus ventis , tam ad portum ſalutis magna gloria perduxiſſet incolumem, ibi inſperatò naufragium fecit , univerſa Catholica Eccleſia expaveſcente. Eiusmodi Oſii planè miſerabili caſu Catholicus orbis contremuit, concuſſaque ſunt ſoliduſſima petræ. Quis rogo de ſui exitu potuit eſſe ſecurus , ſi omnium ſynodorum laudibus Oſium celebratum & ſcriptorum cunctorum illorum temporum præconiis exaltatum , totque ex diverſis atque multiplicibus certaminibus coronis auctum hominem, in conciliis agentem Patronum atque Magiſtrum , videat tàm inopinatè proſterni , ac inſtar ſalis infatuati pedibus proculcari, tantumque ducem effici exercitus deſertorem, imò ad hoſtes deficientem & in caſtris hoſtium profitentem , transfugam adeò ignominiosè conſtitui ? eoque potiſſimum tempore , proh dolor ! quo de laboribus immenſis præmium accepturus & de innumeris victoriis fuiſſet donandus à ſummo Imperatore coronis ? Meritò igitur

Zach. 11. *abietes ulularunt, quia cecidit cedrus , atque paventes ſibiq; timentes*

Pſal. 70. *viri ſancti ad Deum clamantes, propheticum illud occinuerunt, ne proiicias me in tempore ſenectutis , cum defecerit virtus mea , ne derelinquas me. Superavit meâ ſententia lapſus Oſii præteritorum omnium caſum, ſive Origenis, ſive Tertulliani, ſive quorumvis aliorum dixeris : nullus enim æquè ac ipſe , neque tanta temporis diuturnitate tot tantisq; publicis actionibus , iisdemq; ſummis ac ſtatum totius reipubl. Chriſtianæ concernentibus tum in Occidente , tum in Oriente perfunctus, nullus, inquam , æquè ut Oſius ſpectatus fuit &c.* Non ſanè iſtiusmodi lamenta novit antiquitas ita conſtanter , uti Baronius præ ſe fert. Mirum profectò eſt , quod cum in aliis Athanaſio Baronius crediderit, cum de Oſio refert , non etiam in hoc referentem ſecutum fuiſſe. Autor de Viris illuſtribus cap. 1. qui aſſeritur Iſidorus Ep. Hiſpalenſis , dum agit de Gregorio Epi-

Quid de Oſii obitu Iſidoro tributus liber?

ſcopo Eliberitano de Oſii exitu hæc deſcribit : *Poſt impiam Oſii prævaricationem, dum S. Gregorius Eliberitanus Ep. in Cordubenſi urbe iuxta imperiale decretum fuiſſet adductus , ac minimè vellet illi communicare, commotus Oſius dicit Clementio Conſtantii Præfecti vicario , ut mitteret eum in exilium. At ille , Non audeo , inquit , Epiſcopum in exilium mittere , niſi prius eum ab Epiſcopatu deieceris.*

Vt au-

Vt autem vidit S. Gregorius, quod Oſius vellet dare ſententiam, appellat Chriſtum, totius fidei ſuæ viſceribus exclamans, Chriſte Deus, qui venturus es iudicare vivos & mortuos, ne patiaris hodie inhumanam proferri ſententiam iam adverſus me minimum ſervum tuum, qui pro fide nominis tui, ut reus aſſiſtens, ſpectaculum factus ſum, ſed tu ipſe quæſo in cauſa tua hodie iudica, ipſe ſententiam proferre dignare per ultionem. Non ego quaſi metuens de exilio fugere cupio, cum mihi pro tuo nomine nullum ſupplicium grave ſit: ſed ut multi prævaricationis errore liberentur, cum præſentem viderint ultionem. His dictis, ecce repente Oſius, reſidens faſtu quaſi regalis imperii, cum ſententiam conaretur exprimere, os vertit, diſtorquens pariter & cervicem, ac de ſeſſu in terram eliditur, atque illicò expiravit. Tunc admirantibus cunctis & Clementius ille gentilis expavit, & licet eſſet iudex, tamen timens, ne in ſimile ſupplicium vindicaretur, proſtravit ſe ad pedes ſancti viri, obſecrans, ut ſibi parceret, quia in eum divinæ legis ignoratione peccaſſet, & non tam proprio arbitrio, quam mandantis imperio. Inde eſt, quod ſolus Gregorius ex numero vindicantium integram fidem nec in fugam converſus eſt, neque paſſus eſt exilium, unusquisque enim timuit de illo ulterius iudicare. Habent hanc relationem etiam aliqui ex recentioribus Hiſpaniæ hiſtoricis. Baronius autem eam impugnat A. Chr. 357. n. 31. & ſeqq. Rationibus nititur his. I. *quia* illius primus autor eſſe reperitur Marcellinus Presbyter ſchiſmaticus ſectæ Luciferianæ. II. *quia* S. Athanaſius (verbis ſupra exhibitis) de ipſius obitu aliter locutus eſt. III. *quia* Athanaſius *Oratione I. contra Arianos*, quam trigeſimo ſexto poſt concilium Nicænum anno habuit, A. Chr. ut Baronius putat 361. adeoque poſt Sirmienſia acta, recenſens præclariſſimos & de fide Cath optimè meritos viros, primo loco ac titulo honorifico ponit Oſium, unde in communione Catholica eum defunctum liquet. IV. *quia* Athanaſius *Apol. 2. ad Conſtant.* eum ad tempus ob verberum vim ceſſiſſe dictat. V. *quia* Auguſtinus *lib. 1. contra Epiſtol. Parmenian. cap. 4.* non meminit, Donatiſtas & nominatim Parmenianum aliquid Oſio obieciſſe, præterquam quod favens Cæciliano, tum ipſi, tum aliis quoque eius Collegis, quos iſti Traditores appellarunt, communicaſſet. Fuiſſent ſanè obitum illũ horrendum exprobraturi, ſi is contigiſ- *Hilar. fragment. l. 2.*

 ſet,

p. 4. 5 de illis Vid. iudicium Bar. A. 357. num. 52. 53. ſect. VI. *quia* Euſebius Vercellenſis epiſt. ad Gregorium Eliberitanum oſtendit, etiam Ariminienſi concilio ſupervixiſſe Oſium, quem transgreſſorem nominat, atque adeò non ſtatim poſt ceſſionem illam Conſtantii tyrannide extortam iſto modo conci- diſſe.

Autorum ſupra propoſitorum diſcretio. Hinc iam in promtu eſt, quid de autorum ſupra commemoratorum narratis ſit iudicandum. De *Athanaſio* & *Hilario* nominatim iam dictum eſt. Sed & Phœbadius quomodo loquatur, indicavimus. Gregorius Bæticus ad ſecundam & tertiam Confeſſionem reſpicit. *C. Marius Victorinus* ſecundam imprimis tangit. Sic & *Baſilius* & *Gr. Nazianzenus* accipiendi. *Epiphanii* locus prior ſupra p. 37. & 38. adductus ad primam, poſterior p. 38. 39. ad ſecundam referendus eſt. *Philoſtorgius* loquitur ex ſententia & iactatione Anomœorum, quos Baſilium Ancyranum, & Georgium Laodicenum perſtrinxiſſe propterea, iam obſervavimus. *Ambroſius* intelligit actitata circa Confeſſiones poſteriores. *Sulpitius Severus* videtur diverſorum temporum acta in unum coniicere. Sub Coſſ. Sergio & Nigriano Photini cauſa tractata eſt. Poſtea circa tempus pugnæ ad Murſam, contra Magnentium feliciter exeuntis, cauſa Marcelli & Athanaſii confuſæ ſunt, cum Marcelli error magis innoteſceret, & Sardicenſis Synodi, tanquam in Marcelli cauſa hallucinantis, autoritas quodammodo periclitaretur, & iam inſolentiores Ariani eſſent redditi. De Socratis & Sozomeni narratione iam iudicatum eſt. In *Socrate* eſt aliqua temporis diſtinctio. *Iſti Epiſcopi*, inquit, *Sirmii ad tempus commorati alia acta ſanciverunt. Nam vetera ſua de fide decreta condemnare, novasq; fidei formulas condere cœperunt.* Acta nimirum *condemnationis & abdicationis Photini* ad Concilium ab omnibus & tum & poſtea, ut probe rectèq; faciens, approbatum refert. Acta *conditarum formularum* ad tempus ſubſequens. Vbi quoad Confeſſionem primam illum falli in propatulo eſt. Nec diſputationem cum Ancyrano Baſilio poſt conditas formulas celebratam, ſatis deductum ſupra. Sanè illi anathematiſmi ex diſputatione & interpretationibus in ea prolatis originem ſuam habuerunt. *Ruffinus* tangit ſecundæ tertiæque formulæ tempora. *Vincentius Lirinenſis* ad primam formu-

lam

Digitized by Google

lam reducendus eſt. *Caſsiodorus & Nicephorus* Socratem & Sozomenum ſequuntur. *Philaſtrius* ad primam ſpectat formulam. Pontificii *Sagittarius*, *Carranza*, *Prataolus*, *Ruiz*, *Pererius* primam formulam reſpiciunt. Cæteros confuſio temporis apud veteres commiſſa ſeduxit. *Petavius* ſupra p. 62. diſtinguit tempora, ſed in eo hallucinatur, quod indiſtinctè ait, *Sirmienſe Concilium* A. 351. *ab Arianis contra Photinum habitum*. Sic & de reliquis habendum. In alligandis autem annis Coſſ. ad annos Chriſti aliqua reperitur diverſitas. *Cuſpinianus* Comm. in Aurel. Caſſ. Conſules p. 499. annum poſt Coſſ. Sergii & Nigriani alligat ad A. Chr. 354. *Helvicus* in A. Chr. 353. *Sethus Calviſ.* in A. Chr. 351. Hoc vero non hic moramur.

CAP. II.
Cauſas & Circumſtantias Concilii Sirmienſis alias expendens.

LOcus Concilii Sirmium eſt, urbs Pannoniæ inferioris, longiuſculè à Danubio flumine ſita. *Ptolom. lib. 2. cap. 6. vulgo Sirmiſch.* Sæpius ibi Conſtantium Imperat. verſatum fuiſſe, ex Ammiano Marcellino diſcimus. *Conf. lib. 16. p. 78. lib. 17. p. 112. 122. lib. 18. pag. 129. lib. 19. p. 160. 163.* unde colligitur, non ſemel hybernaſſe Sirmii Conſtantium. Patet autem argumenti Baroniani nullitas, qui An. Chr 357. ſynodum Sirmianam celebratam fuiſſe probaturus, id exinde deducit, quia eo anno fuit Conſtantius Sirmii. Sic n. ſcribit in Añal. A. Ch. 357. n. 2. *Inſuper cum conſtet, eiuſmodi Synodũ habitam eſſe Sirmii, præſente Conſtantio Imp. quod & Sozomenus affirmat, plane dicendũ eſt, hoc ipſo anno celebratã eſſe, quo idem Conſtantius, ut demonſtratur Marcellino autore, Sirmii conſediſſe probatur.* Non enim id deducetur, niſi probetur, nullo præterea anno prius Sirmii fuiſſe Conſtantium, quod falſum eſt, nec A. 351. ibi Coſſ. Sergii & Nigriani finiente eſſe potuiſſe. Vide & de Sirmio Herodianum *lib. 7. p. 592. 18.* Zoſimum *lib. 2. 678. 40.* ut alios iam ſilentio prætermittam.

Locus concilii.

Baronius notatur.

Causa *impulſiva*, in qua & *obiectum* Concilii convocati, fuit periculum ab hæreſi Photini, quæ iuxta alias Eccleſiam turbare cœperat. Illam diſertè tangit Hilarius *ſupra p. 22. §. Idem lib. &*

Obiectum Synodi.

Digitized by Google

lib. & §. *Idem rurſus.* Epiphanius *ſupra pag* 37. Sulpitius Severus *pag.* 40. *num.* 11. Socrates *pag.* 42. *n.* 12. Sozomenus *p.* 44. *n.* 13. Vincentius Lirinenſis *p* 48. *n.* 15. Caſſiodorus *in tripart. ſupr. p.* 49, *n.* 16. Nicephorus Calliſtus *ſupr. p.* 50. *n.* 18. Et eam quidem Orthodoxi ſpectarunt potiſſimum; quamvis negari nequeat, illa occaſione etiam reſiduas aliquas ex Sardicenſi ſynodo difficultates, & in primis ſeparationem eam, qua Philippos Thraciæ ſe Epiſcopi partim Ariani, partim in uſu vocabuli homouſii à cæteris diſſidentes & propter Marcelli abſolutionem offenſi, deque Athanaſio malè perſuaſi, contulerunt, tractatas fuiſſe. Sed & illud certum eſt, Arianos cauſam in prætextum vertiſſe, interim ipſos occaſione ea uſos fuiſſe, ut, cum adhuc ſe pios ſimularent, quemadmodum loquitur Hilarius, cauſam ſuam ſtabilirent, & eos, qui quoad vocem τὸ ὁμοίωσιν inter perſonas divinas damnarunt, in illa contra alios Orthodoxos lucta foverent. Hæc abſtruſa conſilia tangit & refellit Hilarius *ſupr. pag.* 24. & *ſ.* latè. Tangit & Epiphanius *p.* 37. *n.* 8. Clarè indicat Sulpitius Severus *p.* 40. *n.* 11. *ibi. Ariani aſtuto conſilio miſcent innoxium criminoſis* &c. Sequuntur Socrates, Sozomenus, Tripartita, Nicephorus, licet confusè. Itaque Sagittarius *ſupra ſect.* 1. *cap.* 2. *num.* 1. cum *concilium adverſus omnes hæreticos, præſertim verò Arianos coactum* dicit, & Carranza cum *num.* 2. ait, in *concilio Sirmienſi tradiderunt regulas fidei Orthodoxas contra Arium,* ita explicandi ſunt, ut per Arianos præcipuos hoſtes Deitatis Ieſu Chriſti intelligamus. Quo ſenſu etiam Sociniani, Photini proles, Ariani paſſim vocantur. Videndum autem ſemper ad veram cauſam, & quid ex Orthodoxorum intentione actum fuerit, & inde dictorum interpretatio gubernanda. Monet hoc Hilarius *loco ſupra tacto de ſynodis contra Arianos p.* 313. in eruendo ſenſu definitionum Orientalium Epiſcoporum, quos contra ſequiores confeſſiones fecerunt. *Primum ſciendum*, inquit, *non adverſum hæreſin, quæ diſſimilis ſubſtantiæ Patrem & Filium & Spiritum ſanctum auſa eſt prædicare, in Antiochia fuiſſe conventum, ſed adverſus eam, quæ poſt S. Synodum Nicænam in id proruperat, ut tria nomina Patri vellet adſcribere,*

Cavsa

Cauſa *efficiens* convocationis concilii & autor eſt Constantius *Imperator*, uſus iure Maieſtatis, qua tanquam ἐπίσκοπ(ος) (quomodo Conſtantinus Pater ſe appellavit) quæ ad utramque legis tabulam & religionis Chriſtianæ conſervandam puritatem ſpectant, moderari & gubernare debuit. Sic Hilarius *ad Conſtantium loco ſupra cit. pag.* 15. *ibi*: *Cur* Tua (id eſt, tua autoritate & maieſtate gubernante decreta) *damnas*? Et ibi: *Damnas quoque & ſubſtantiæ nomen, quo te & Sardicenſi ſynodo & Sirmienſi pium eſſe, Occidentalibus mentiebaris.* Socrates *ſupra pag.* 42. *ibi*: *Imperator Sirmii concilium Epiſcoporum convocari iubet.* Sozomenus *pag.* 45. *ibi*: *Oſius confeſſor etiam ab Imperatore ad concilium accerſitus eſt.* Caſſiodorus *in Tripart. ſupra pag.* 49. *num.* 17. ibi: *iuſſit Imperator concilium in Sirmio congregari.* Nicephorus *pag.* 50. ibi: *Conſtantius cum Sirmii eſſet, Photini dogma in diuquiſitionem adduxit.* & ibi: *Quapropter etiam concilium ibi coëgit.* Nec reprehenſus à quoquam tum fuit Conſtantius, quod iure convocandorum conciliorum tunc uſus fuerit Imperator. Etenim quod ex iudicii Theologici Ern. de Euſebiis vehiculo allegatur, tanquam ipſe Oſius Cordubenſis Conſtantio in iſto negotio repugnaverit, confutavimus in prodromo Anticriſ. *ſeu invectiva in vehiculum p.* 66. *& ſeqq.* & alibi in eo prodromo Imperatorum & Regum iura Eccleſiaſtica luculenter demonſtravimus. *Confer & Anticriſ. ſect.* 4. *quæſt.* 9. §. 1. *diſputat.* 1. *Collat. ad Concil. Franc. ſect.* 3. *cap.* 1. *diſſert. de iure Can. ſub nomine Sacci vulgatam* §. 30.

Quis convocarit Conciliũ?

Norma fuit ipſa *ſ. ſcriptura.* Nam & hæc utique more tum recepto in medio poſita & ceu regula conſtituta fuit adæquata & ſufficiens: de quo vide Baron. *T.* 3. *a.* 325. *num.* 60. & Coll. ad Conc Francof. *ſect.* 3. *cap.* 3. *pag.* 130. Hoc præ ſe tulerunt S. Patres illo tempore S. Athanaſius *epiſt. de Synodis Arim. & Seleuc. pag.* 673. Fruſtra *circumcurſitantes prætexunt, ob fidem ſynodos ſe poſtulare.* ἐστι μὲν γὰρ ἱκανωτέρα πάντων ἡ θεία γραφὴ, *eſt enim quidem ſcriptura omnibus potentior*, (habentur hæc verba etiam in diſput. 1. contra Arianos p. 114.) *Quod ſi ad hanc rem uſus ſynodi deſideratur, ſuperſunt acta Patrum. Nam neque hac in parte negligentes fuerunt, qui Nicææ convenerunt, ſed ita accuratè ſcripſerunt,*

Qua norma Concilii?

runt, ut qui ſinceriter eorum ſcripta legat, facile reminiſcatur eius in Chriſtum religionis, quæ à ſ. literis annunciatur. ſic idem de Incarnat. Chriſt. pag. 414. alloquitur Arianos. Si diſcipuli eſtis Evangeliorum, per ſcripturas incedite; quod ſi diverſa à ſcriptura fabulari vultis, cur nobiscum concertatis, qui neque loqui, neque audire ſuſtinemus παρὰ τὰ γεγραμμένα quod extraneum ſit ab iſtis. Et de ſalutari adventu I. Chriſti p. 496. Proponantur hæreticorum dogmata, & veſtræ cogitationis ſententia, & noſtræ fidei ratio; (tanquam examinãda) & Evangelii definitio & Apoſtolorum prædicatio, & Prophetarum teſtimonia. (tanq. regula) Et in orat. contra Sabellii gregales: ἀρκεῖ πιστεῦσαι τοῖς γεγραμμένοις καὶ γενομένοις. Et in Epiſt. ad Iovianum de fide p. 398. Vera & pia in Chriſtum fides φανερὰ πᾶσι καθέστηκεν clara omnibus proſtat ex divinis ſcripturis cognita & explorata γινωσκομένη καὶ ἀναγινωσκομένη. Et ad Serapion. de Spiritu ſancto pag. 559. μόνον τὰ ἐν ταῖς γραφαῖς μανθανέτω. Et Hilarius lib. ad Conſtantium Auguſtum, p. 292. In quantum ego nunc beatæ religioſaque voluntatis verè te, Domine Conſtanti Imperator, admiror, fidem tantum, ſecundum ea quæ ſcripta ſunt, deſiderantem, & meritò planè ad illa ipſa unigeniti Dei eloquia feſtinans, ut imperatoriæ ſollicitudinis capax pectus etiam divinorum dictorum conſcientia plenum ſit. Hoc qui repudiat, Antichriſtus eſt: & qui ſimulat, anathema eſt. Sed unum hoc quoque per hanc dignationis tuæ ſinceram audientiam rogo, ut præſente ſynodo, quæ nunc de fide litigat, paucis me de Scripturis Evangelicis digneris audire & loquar tecum de verbis Domini mei Ieſu Chriſti, cuius vel exul ſum, vel Sacerdos. Habent enim vaſa teſtea non ignobiles theſauros & infirmiora corporum magis reverenda ſunt: & apud nos modo Deum indocti piſcatores locuti ſunt. Super humilem & trementem verba ſua ſecundum Prophetam Deus reſpicit. Fidem Imperator quæris? audi eã non de novis chartulis, ſed de Dei libris. Scito eum etiam poſſe in Occidente donari, unde venientes in regno Dei cum Abraham & Iſaac & Iacob recumbent. Memento eam non in quæſtione philoſophiæ eſſe, ſed in Dei doctrina. Non tam mihi rogo audientiam, quam tibi & Eccleſiis Dei. Ego enim penes me habeo fidem, exteriore non egeo. Huc contendit & Phœbadius ſupra p. 30. num. 3. Hoc etiam ipſi Ariani tum obſervaſſe videri voluerunt. Hinc in ſecunda Confeſſione: de illis nihil ſcriptum in ſ. lite-

Conf. Ind. Inquit. Mog. port. 1. ſ. 39. p. 203.

Digitized by Google

ſ. literis. Et rurſus. *Quemadmodū ſcriptum eſt.* & iterum. *Omnes ſcripturæ docent & ipſe etiam gentium Apoſtolus.* Et rurſus. *Quemadmodum legimus in Evangelio.* Et demum. *Secundum Evangelium.* Ita & in Synodo Seleucienſi apud Epiphan. hær. 73. *Omnem diligentiam adhibuimus, ut fidem firmiter diſtingueremus juxta propheticas voces & nihil præter divinas ſcripturas Eccleſiaſticæ fidei adderemus, quemadmodum præcepit pientiſſimus Rex noſter Conſtantius. Memento tamen*, inquit Hilarius l.c *neminem hæreticorum eſſe, qui ſe nunc non ſecundum ſcripturas prædicare ea, quibus blaſphemat, mentiatur. Hinc enim Marcellus verbum Dei cum legit, neſcit. Hinc Photinus Hominem Ieſum Chriſtum cum loquitur ignorat. Hinc & Sabellius, dum quod, ego & Pater unum ſumus, non intelligit, ſine Deo Patre & ſine Deo Filio eſt. Hinc & Montanus per inſanas fœminas ſuas paracletum alium defendit. Hinc & Manichæus & Marcion legem odit, quia litera occidit, & mundi princeps diabolus eſt. Omnes ſcripturas ſine ſenſu loquuntur, fidem ſine fide prætendunt. Scripturæ enim non in legendo ſunt, ſed in intelligendo: neque in prævaricatione ſunt, ſed in charitate. Audi, rogo, ea, quæ de Chriſto ſunt ſcripta, ne ſub eis, quæ non ſcripta ſunt, prædicentur. Submitte ad ea, quæ de libris locuturus ſum, aures tuas, fidem tuam ad Deum erigas: audi, quod proficit ad fidem, ad unitatem, ad æternitatem. &c.* Gemina his ſcribit Athanaſius *diſp. 1. cont. Arian. p.* 113 cum ait: *Cum unaquæq; hæreſis ſui commenti parentem habeat eum, qui ab initio perverſus, homicida & mendax fuit, Diabolum, ac pudore tam exoſi nominis teneatur, pulcherrimum & quod ſuper omnia eſt, nomen Salvatoris profitetur, ſcripturarumq; dictionibus amicitur, & verba quidem profert, veram tamen inde ſententiam ſuffuratur, ac deinde intellectu, quem ipſe, confinxit dolis inumbrato, erroneorum homicida & ipſa efficitur. Alioqui, quid Marcioni & Manichæo hæreticis cum Evangelio, qui legem abnegant? Ex veteribus enim nova, & novis vetera conteſtata redduntur. Qui igitur iſta inficiantur, quomodo illa agnoſcent? Paulus certè eius Evangelii Apoſtolus fuit, quod prænunciavit per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis. Quin & ipſe Dominus locutus eſt, ſcrutamini ſcripturas, quonam illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me. Quomodo igitur agnoſcent Dominum, qui non ante ſcripturas de eo conſuluerunt & ſcrutati*

Digitized by Google

ſunt? Nam quem Moſes deſcripſit & Propheta, eum ſe inveniſſe diſcipuli affirmant. Aut quorſum Sadducæis lex,non recipientibus Prophetas? Cum qui legem edidit Deus, idem ſit, qui in lege Prophetas ſe excitaturum promiſit, adeò ut idem ſit Dominus legis & Prophetarum, & qui alterum neget, neget omninò & alterum. Aut quorſum Iudæis vetera, cum non agnoſcant eum, qui inde expectabatur Dominum? Si enim ſcriptis à Moſe fidem habuiſſent, fidem habuiſſent Domini verbis, de me, *inquit,* ille ſcripſit. *Aut quid Samoſatenſi cum ſcripturis abneganti verbum Domini, eaque inficianti, quæ pariter ex veteri & ex novo teſtamento ſignificantur? Quid item Arianis cum ſcripturis, qui creaturam aſſerunt eſſe Dei Verbum, & ut Ethnici ſolent, cultum exhibent creaturæ, omiſſo creatore? Et quotquot ſunt hæreſes, nihil habent in ſuis figmentis conſtituendis, quod commune ſit cum ſ. ſcriptura. Neque id eos latet, qui huiusmodi errores tuentur, quam longè,imò quam omninò illa hæreſis diſſentiat à S. ſcriptura, ſed tamen omninò ad dolum ſimpliciorum, de quibus Proverbia mentionem faciunt, ſimplex corde credit omni ſermoni, illi vero velut Diabolus ipſorum Pater transformationem vultus ad ſpeciem Angeli conformant, eamq; verborum indolem præ ſe ferunt, ut rectum ſenſum habere videantur, eumq; ubi perſuaſerint, eò miſeros deducunt, ut diverſa alienaq; à ſcripturis ſentiant.* Sic Athanaſius. Conf. Coll. ad Conc. Francof. *ſect.* 3. *cap.* 3.

Qui in Cõcilio conſederint? Qui in eo Concilio conſederint, haut ſatis liquet. Quomodo *Athanaſius* capiendus ſit,qui ita loquitur,ac ſi meri Ariani Sirmii conſediſſent, ſupra indicatum eſt. Hilarius *de ſynodis p.*316. Orientalibus ſynodum tribuit. *Conſequens,* inquit, *eſt, ut eam nunc fidem retractemus, quæ non olim tunc cum Photinus Epiſcopatu deiectus eſt, conſcripta eſt. Exemplum fidei Sirmio ab Orientalibus contra Photinum conſcriptæ.* Confer verba ſupra p. 22. propoſita. Sulpitius Severus *ſupra p.* 41. in tres claſſes Epiſcopos in ſynodo congregatos dividit. *Pars,* inquit, *Epiſcoporum, quæ Arium ſequebatur, damnationem Athanaſii cupitam ſequebatur:* pars *coacti metu & factione in ſtudia partium conceſſerant:* pauci, *quibus fides cara & veritas potior erat, iniuſtum iudicium non receperunt.* Poſtea ſubiicit. *Ariani ex conſenſione multorum inexpugnabiles erant: nam omnes fere duarum Pannoniarum Epiſcopi, multiq; Orientalium, ac tota Aſia in perfidia eorum coniuraverant. Sed Princi-*

Digitized by Google

pes mali iſtius habebantur à Singiduno Vrſatius, Valens à Murſa, ab Heraclio Theodorus, Stephanus Antiochenus, Acacius Cæſareæ, Menophanes Epheſo, Georgius Laodicea, Narciſſus à Neapoli. Addit, hos palatium occupaſſe ita, ut nihil ſine eorum nutu ageret Imperator. Videtur autem hoc ad ſecundam Confeſſionem, & conventiculum pro ea excudenda habitum pertinere, in quo Athanaſii cauſa procul dubio diſceptata & homouſion expenſum. Socrates ait: *Imperator* CONCILIUM Epiſcoporum *Sirmii convocari iubet.* Quod non eo ſenſu capiendum, quaſi tum obtinuerit iure communi, ut ſoli Epiſcopi ad Concilium cum poteſtate voti deciſivi admitterentur. Id enim falſum eſſe oſtendit contra Bellarminum & alios Sal. Geſnerus *Refut. Bell. de Concil. lib.* 1. *cap.* 15. D. Hulſemannnus *in Manuali A. C. p.* 1075 Guil. Witakerus T. 1. *Oper. p.* 588. Sam. Mareſius *contra Tirinum p:* 270. *& ſeqq.* Math. Sudivius *de Concil. lib.* 1. *cap.* 8. Introduxerunt Ariani in ſynodos aulæ Imperatoriæ Proceres, quod non erat illicitum, ſed ut præſiderent & terrerent, quod improbum fuit. Queritur Athanaſius de eo *Apolog.* 2. *pag.* 567. cum ait: *Qua fronte talem conventum ſynodum appellare audent, cui Comes præſedit, & ubi Speculator apparebat? & commentarienſis ſive carcerarius pro Diaconis Eccleſiæ adventantes introducebat? ubi Comes verba faciebat? cæteri præſentes in ſilentio erant, vel potius Comiti obſequium ſuum accommodabant? ubi quod communiter Epiſcopis placuit, ab illo impediebatur? Ille Imperio utebatur, nos à militibus ducebamur, vel potius iuſſu Euſebianorum ſententiisq; ipſe Comes inſerviebat. In ſumma dilectiſſimi, quæ ſpecies ibi ſynodi, vbi vel cædes, vel exilium, ſi Cæſari placuiſſet, conſtituebatur.* Sic Athanaſius. Cum autē Socrates ſigillatim nominat ex Orientalibus Marcum Arethuſium, Georgium Alexandrinum, Baſilium Ancyranum, Pancratium Peluſiotam, Hypatianum Heracleæ; ex Occidentalibus Valentem Murſorum, & Oſium Cordubenſem, non hoc vult, quaſi nemo alius Epiſcoporum Orientis & Occidentis adfuerit, ſed quod hi præ cæteris in eo negotio notandi viſi fuerint Sozomenus ſupra p. 41. pauciores commemorat. Vigilius ſupra p. 49. cum dicit ex toto Oriente Concilium congregatum, ita accipiendus eſt, quod plures ex Oriente, quam Occidente congregati fuerint.

Conf. Collat. ad Cõcil. Francof. p. 98.

Caſſiodorus Socratem & Sozomenum ſectatur: ſicut & Nicephorus. Philaſtrius *ſupra pag. 52. Sanctos Epiſcopos* vocat.

Quis ſit Confeſſ. ſynodi autor.

Quis primam Confeſſ. ſcripſerit, quam propriè ſynodi Sirmienſis eſſe, ſupra indicavimus, in ſuſpenſo eſt. Marcum Arethuſium autorem tradit Socrates *ſupra pag. 43.* ibi: *unam Marcus Arethuſæ Epiſcopus Græco ſermone conſcripſit.* Sozomenus in hoc ſequitur Socratem. Tripartita vero Caſſiodori *ſupra p. 50.* ſubſcribit ibi: *unam quidem Attica lingua edidit Marcus Arethuſæ, ſed cum Romana lingua concordiam non habentem.* Et Nicephorus *pag. 51.* ibi: *Atque unam quidem &c.* Sequitur Bellarminus *ſupra p. 52.* Baronius *pag. 57.* Binius. *pag. 59.* & alii complures, quibus ego ſubſcripſi *ſupra p. 79.* Apparet autem à Socrate totum illud narratum profluxiſſe, cuius nec Athanaſius, nec Hilarius, nec alius ante Socratem mentionem fecerunt. Dionyſius Petavius *ſupra pag. 62. num. 13.* Arianis illam Confeſſionem tribuit. Lucas Oſiander *ſupra pag. 74. ait*, quicquid in prima fidei formula bonum eſt, id per Oſium Cordubenſem fuiſſe inſertum. Quanquam ad ſummam rei parum attinet, ſi omninò pro certo habeatur, Marcum Arethuſium formulam Confeſſionis ſcripſiſſe. Nam quod Marcus ille inter Arianos aut Semiarianos recenſetur, Confeſſioni nihil detrahit. Non enim ad ſententiam ſcriptoris, ſed ad ſenſum Concilii reſpiciendum eſt. Id autem contra Photinum veram tenuit mentem. Et Ariani pios & Catholicos ſe, ut Hilarius ait, mentiebantur, & Ariana dogmata reprobabant.

Quis Marcus Arethuſius?

Sed & dubitari poteſt, an Marcus Arethuſius Arianus fuerit? Non enim tum temporis, qui à partibus Arianorum ſteterunt, omnes Arianos fuiſſe, iam ex ſuperioribus conſtat. Deprehenditur Marcus in Sardicenſi ſeparata Synodo IIXC. Epiſcoporum, quæ Philippos Thraciæ ſeſe contulit, & quidem in ſubſcriptione epiſtolæ ſynodalis, quæ eſt in fragm. Hilar. *lib. 2. pag. 6. 7. S.* & apud Baron. *A. Ch. 347. n. 75.* & Binium *Tom. 1. Concil. p. 448.* Atqui illi IIXC Epiſcopi non omnes erant Ariani, ſed quidam etiam in cauſa Marcelli, & Athanaſii & Pauli Conſtantinopolitani à ſynodo Sardicenſi diſſentiebant. Hinc ep. 1. ſynodal Sardic *ex iis, qui convenerunt ex partibus Orientis, qui ſe appellant Epiſcopos, certi autores ſunt* (E. non omnes) *quorum ſacrileges*

legas mentes Ariana hæreſis peſtifero tinxit veneno. Nec Ariani ibi ſuam ſententiam expreſse propoſuerunt, ſed ex abdito & excitatis contra orthodoxias Doctores primarios calumniis viam ſibi ad hæreſeos ſuæ introductioně ſtraverunt. Vnde, quod ſupra notavimus, Hilarius ſymbolum Concilii Sardicenſis approbat, tanquam in ſententia ſincerum. Sanè ſi Marcus Arethuſius fuiſſet inter Arianos, fuiſſet princeps & anteſignanus eorum, utpote cui commiſerunt ſymboli confectionem in Sirmienſi Concilio. At cum principes eius temporis inter Arianos nominantur, Marcus omittitur. Ita in Ep. 2. Concil Sardic. *quæ extat apud Theodoret. lib. 2. cap. 8. Tripartit. lib. 4. cap. 24. Athanaſ. Apolog.* 2. recenſentur *Euſebius, Theodorus Heracleæ, Narciſſus Neroniadis Ciliciæ, Stephanus Antiochiæ, Georgius Laodiceá, Acacius Cæſareæ Paleſtinæ, Menophantus, Epheſius, Vrſatius Sigiduni, Valens Murſi Pannoniæ.* Hos fere etiam enumerat Sulp. Severus *ſupra pag.* 41. Quando verò in Synodo Ancyrana Marcus Arethuſius primum ſubſcripſit, ut habetur apud Epiphanium *l. c.* illàm Confeſſionem, in qua hic anathematiſmus habetur: *Si quis non per omnia ſimilem dixerit, filium Patri, ſicut Filium Patri, ſed iuxta ſolam voluntatem ſimilem dixerit, iuxta eſſentiam verò diſſimilem, anathema ſit &c.* non ſanè eo facto ſe in Semiarianorum conſortium dedit. Nam anathematiſmi Ancyrani plurimi, ut jam ante notavimus, laudati ſunt ab Hilario, & ſunt Orientalium Epiſcoporum, quos ſupra *ſect. 2. cap.* 7. etiam propoſuimus, velut ad acta Sirmienſia pertinentes. Quod autem in relatione de Synodo Seleucienſi apud Epiphanium *l. c.* habetur, quaſi & illi Marcus Arethuſ. ſubſcripſiſſet, falſum eſſe docet Petavius *in animadverſ. l. h n.* 26. Neque ſatis exploratum eſt, an Marcus Arethuſius fuerit ille Marcus, quem Athanaſius *de Synodis pag.* 689. dicit cum Narciſſo, Mari, Theodoro, ſub nomine ſynodi Antiochenæ in encœniis habitæ, in Gallias ad Conſtantem Aug. ablegatum, ut traderet reformatam Confeſſionem. Si fuit, nondum tamen Arianorum factioni indubitatò adſcribi poteſt. Argutiſſimè Ariani omnia adornarunt, cum Catholicos ſe ſimularunt, quod Antiochiæ fecerunt. Itaq; Marcum Arethuſium eligere potuerunt orthodoxum, ut ſuas artes tegerent. Et in hunc finem addide-

diderunt Confeſſioni ſuæ. *Eos porrò qui dicunt, filium ex non ente, aut ex alia ſubſtantia, & non ex Deo eſſe, aut, erat, quando non erat Filius, alienos à ſe cenſet Catholica Eccleſia.* Ex qua aſſertione Sylvanus Tarſenſis Epiſcopus, *vir*, ut Theodoretus memorat H. E. II, 27. *planè admirabilis, ratiocinatione ritè verèq; concluſa* Conſtantio Imp. *reſpondit; Si Deus Filius neque ex nihilo, neq; creatura, neque ex ulla alia eſſentia exiſtat, idcirco Dei Patri conſubſtantialis eſt, & Deus de Deo, & lumen de lumine, & eandem habet cum genitore naturam.* Cæterum Greg. Nazianz. *orat.* 47. *quæ eſt* 1. *in Iulian.* Martyrium Marci Arethuſi illuſtre latiſſimè deſcribit, vocat *p.* 765 *edit. Leunclav.* eximium virum, *qui multos Chriſtianos à gentilium errore ad ſalutem non minus vitæ ſplendore, quam dicendi facultate traduxit:* & rurſus pag. 767. *ſacroſanctum ſenem, athletam ſpontaneum, omnibus tum ætate venerandum, tum vitæ probitate venerabiliorem, qui ne in tormentis quidem frontis animiq; lætitiam reliquerat, verum ſupplicia etiam ipſa irridebat, cuius virtutis præſtantia religionem & reverentiam omnibus iniecit.* Et rurſus, *Firmum & Conſtantem ſenem.* Sozomenus *lib.* 5. *cap.* 9. *Canitie & vita ante acta venerandum, verè pium & ſapientem virum, imò beatum & generoſa mente furoribus reſiſtentem.* Baronius T 4. *A.* 362. *n.* 153 cenſet, *par eſſe credere, illum poſt tantam dogmatum conflictationem ſeſe ad caſtra fidelium Orthodoxorum ab hæreticis deficientem tranſtuliſſe.* Sed nequaquam probavit Baronius, quod ait *infeciſſe nomen Marci, ipſum* manifeſtè, *quoad dogmata fidei, ſtetiſſe à partibus Arianis.*

Quis alterã Confeſſionem Sirmienſem ſcripſit?

Alteram Confeſſionem ab Osio conſcriptam eſſe, dubium eſſe *ſupra h. ſ. c.* 1. notavimus. Baronius *A.* 357. *n.* 13. ita ſuffragatur. *S. Hilarius cum eiuſmodi blaſphemiam recitat, eidem præfixum hunc titulum ponit;* Exemplum blaſphemiæ apud Sirmium per Oſium & Potamium conſcriptæ. *Sub quo quidem titulo dicta Sirmiana blaſphemia deſcripta habetur. Caret planè eò titulo, quæ recenſetur ab Athanaſio, & quæ à Socrate ponitur, nec ulla apud eos prorſus mentio, quod Oſius & Potamius eam ſcripſerint. Quam ob rem cum ſuperius ſit demonſtratum, Hilarium haud nactum eſſe germanam atque originalem eius fidei profeſſionem Latino ſermone deſcriptam, ſed ex Græco depromtam, illud affirmare cogimur,*

Digitized by Google

mur, titulum illum, qui deſiderabatur in authentico exemplari ſuperadditum ab Arianis, & fortaſſe ab ipſo Marco Arethuſio, quem Græco eam ſermoni reddidiſſe Socrates tradit, atque eo magnorum Confeſſorum titulo illam Orientalibus, quo facilius acciperetur, promulgare curaſſe. Caſſiodorus *in Tripart. ſupra p.* 50. ita loquitur, ac ſi latinè à Marco compoſita eſſet. Impoſitum fuiſſe S. Hilario illa inſcriptione, apertum eſt. Et tamen vehementer eum contra Hoſium exaſperavit. Duo verò ſumit Baronius, quæ nondum demonſtravit. *Primum*, Arethuſium titulum illum ad ſeducendos Orientales adſcripſiſſe; cum valde veriſimile ſit, Marco Arethuſio primam quidem Confeſſionem arriſiſſe, in qua Deitas Chriſti contra Photinum aſſerta; non autem placuiſſe ſecundam, cum & omnimodam ὁμοιότητα Patris & Filii in SS. Trinitate & ipſius etiam ſubſtantiæ vocem, ille conſtanter urſerit, ut ex dictis liquet, quam illa ſublatam ſepultáq; cupit. Vnde ut reſtitueretur Chriſto ſimilitudo omnimoda, etiã quo ad ſubſtantiam, cum Deo Patre, non uno congreſſu & imprimis Ancyræ ille laboraſſe videtur. Itaque ſub *Oſii & Potamii* nomine Arethuſius non videtur Confeſſionis iſtam formulam commendaſſe: cum præſertim conqueratur *in commonefactione de nomine eſſentiæ ſeu ſubſtantiæ* quod Anomœi ſub Oſii literis ſententiæ ſuæ patrocinium quæſiverint. Id ipſis paraſſet Arethuſius, ſi Confeſſionem alteram, quæ, Anomœorum ex voto, τὸ ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον cum nomine οὐσίας premit tollitve, Oſii nomine adornaſſet. *Alterum*, quod Hilarius non habuerit germanam latinam editionem, ſed translatam ex Græca facta ab Arethuſio. Vbi ſanè incertum eſt, an Arethuſius Latinam ſecundam Confeſſionem Græcam fecerit. Dicit quidem Socrates *ſupra pag.* 42. utramq. Confeſſionem, ſecundam ſc. & tertiam in Græcum ſermonem converſam fuiſſe. Id autem Marcum Arethuſium feciſſe non dicit, ut tamen ait Bar. *l.c.n.* 11. Sed quicquid ſit de hoc, illud, quod tamen Baronius ſe demonſtraſſe ait, ſc. Hilarium deſtitutum fuiſſe Latina editione germana, haut ſatis evidens eſt. Illa ſanè verba, quæ *n.* 11. ex Hilario adducit, omninò nihil probant. Ita ille l. de ſynodis. *Rectum & conveniens exiſtimo, ut antequam de verborum ſuſpicionibus & diſſenſionibus ineam ſermonem, ea quæ ab*

Baronius notatur.

Digitized by Google

ab Orientalibus Epiſcopis adverſum conſcriptam apud Sirmium hæreſin dicta & conſtituta ſunt, verbis quam poſſum abſolutiſſimis demonſtrem, non quod non ab aliis planiſſimè omnia edita ſint, ſed quod ex Græco in Latinam ad verbum expreſſa translatio adfert plerumq; obſcuritatem, dum cuſtodita verborum collatio eandem abſolutionem non poteſt ad intelligentiæ ſimplicitatem conſervare. Vide cætera ſupra p. 19. Hilarius non loquitur de ſecunda fidei formula, ſed de iis anathematiſmis XII. qui ab Orientalibus eidem oppoſiti. Qui enim ſunt *Orientales?* Quos paulò ante tanquam Orthodoxos commendaverat, & ignorata verborum opinione differre dixerat. Illi græcè ſcripſerunt. Illorum anathematiſmos abſolutiſſimis verbis conatur Hilarius & pollicetur exprimere. *Conſcripta apud Sirmium hæreſis* eſt formula ſecunda. Non de hujus formulæ translatione loquitur Hilarius, ſed de Orientalium Canonum. Maximè hoc loco cæcutiit Cardinalis.

Rurſus Baronius notatur.

Quis ſcripſerit tertiam confeſſionem?

De *tertia Confeſſione quis eam ſcripſerit?* Baronius agit *A. Chr. 357. num. 25. & ſeqq.* Dicit *id hactenus incognitum fuiſſe, patefactum autem, ubi editus eſt à* Nic. Frabro *liber* fragmentorum de ſynodo Ariminenſi Hilarii, *in quo inter alia vetera monumenta extat* epiſtola Germinii ad alios Arianos, *qua teſtatur, eam à Marco Arethuſio dictatam.* Hanc ſignificationem Germinii probabilem reddere conatur Baronius I. *quia Marcus Arethuſius & in paraſceve ad ſynodum Ariminenſem, in qua iſta tertia confeſſio exhibita eſt, primo loco ſubſcripſit, referente Epiphanio. 2. quia idem tanquam cum Baſilio Ancyrano eiusdem ſententiæ, etiam in Seleucienſi ſynodo primo loco ſubſcripſit.* Epiſtolæ, quæ extat apud Baronium *An. Chr. 357. num. 27. & A. Chr. 366. num. 27.* primaria capita hæc ſunt. I. profitetur, quid de Chriſto ſentiat: *Docemus Chriſtum Dei Filium per* OMNIA Deo Patri ſimilem, *excepta innativitate, (ἀγεννησία) Deum de Deo, lumen de lumine, virtutem de virtute, integrum de integro, perfectum de perfecto, ante ſecula & ante univerſa, quæ intelligi vel dici poſſunt, genitum, cuius nativitatem nemo ſcit, niſi Pater* &c. II. indignatur, quod Valens aliam introduxerit opinionem. *Miror,* inquit, *prædictum Valentem aut oblitum eſſe, aut certè ſubdole diſſimulare, quid in præterito geſtum definitumque ſit. Nam ſublimis memoriæ Conſtantio Imperat. quando inter quosdam*

Digitized by Google

dam cœperat eſſe de fide diſſenſio, in conſpectu eiuſdem Imperatoris, præſentibus Georgio Epiſcopo Alexandrinorum Eccleſiæ, Peluſinorum, Baſilio Epiſcopo tunc Anquiritano, præſente etiam ipſo Valente & Vrſatio, & in ea pravitate poſt habitam uſque in noctem de fide diſputationem, & ad certam regulam perductam, Marcum ab omnibus nobis electum fidem dictaſſe in qua fide ſic conſcriptum eſt, Filium ſimilem Patri per omnia, *ut ſancta dicunt & docent ſcripturæ, cuius integræ profeſſioni conſenſimus omnes & manu noſtra ſubſcripſimus. Si autem nunc aliquid ſpiritus huius mundi ſuggerit, ex aperto adhuc ſcire non poſſumus. Nam ut nos profeſſi ſumus de ſcripturis*, per omnia Filium ſimilem Patri excepta innativitate, *exponant & illi de ſcripturis quemadmodum parte ſimilis ſit, parte diſſimilis &c.* Parum intereſt, ſive Germinii relationem ſequamur, ſive non. Monemus duntaxat, fragmenta illa non eſſe uſquequaq; probæ fidei, quod ex ipſo Baronio proximè annotavimus. Acta, quæ Epiphanius habet, ad quæ provocat Baronius, non evincunt, Marcum Arethuſium ſcriptorē fuiſſe tertię huius formulæ. Nam ita habet Epiphanius *hær.*73. in ep. quæ uti Petavius emendatè legit, Commonefactio Baſilii & Georgii inſcribitur. *Dicimus nunc ad præſentes hæreticos; Quia vos ſcripſiſtis* ſimilem ſecundum voluntatem, diſſimilem ſecundum eſſentiam, *ideò nos contra ſcripſimus*, quod ſimilis non ſecundum imitationem ſolum eſt, ſed etiam ſecundum eſſentiam. *Quandoquidem igitur primi vos* eſſentię *mentionem feciſtis*, diſſimilem ſecundum eſſentiam *dicentes, propterea conamini, ut tollatur nomen eſſentiæ, quo iuxta voluntatem ſolum ſimilem eſſe Filium dicatis, ſi verò aſſentimini, per omnia Filium eſſe ſimilem Patri, deteſtamini eos, qui differentiam ſimilitudinis proferunt, & ſcribite ſic*: Si quis non per omnia ſimilem dixerit filium Patri, ſicut Pater Filio, ſed iuxta ſolam voluntatem ſimilem dixerit, iuxta eſſentiam vero diſſimilem, is anathema ſit. *Et poſtea*: ſi *volunt* eſſentiæ *nominis mentionem facere, & reprobant ſuas ipſorum ſubſcriptiones, eſſentiæ nomen ubique facientes, confiteantur etiam quæ tradita ſunt à Patribus, non ſolum ſecundum voluntatem, ſed etiam iuxta eſſentiam & ſubſtantiam & exiſtentiam per omnia ſimul ſimilem eſſe Filium Patri, velut Pater Filio, quemadmodum divinæ dicunt ſcripturæ. Propoſitæ illi fidei*

Pancratius Peluſ. Epiſc.

Quid de Germinii Epiſtola habendū?

Digitized by Google

Confeſſioni, qua Filius in omnibus Patri ſimilis eſſe aſſerunt, ita ſub-ſcripſerunt, Marcus Epiſcopus Arethuſiæ, *ita credo & ſentio, ut ſu-pra ſcriptum eſt. Eodem modo & qui aderant, ſubſcripſerunt. At Va-lens hunc in modum.* Quemadmodum ea nocte, quam dies pen-tecoſtes ſecuta eſt, ſuperiorem hanc ſubſcriptionem ediderimus, norant, qui tum præſentes erant, ac pius imprimis Imperator, apud quem & ſine ſcripto ſum & ſcripto conteſtatus. *Poſt hac cum Valens ſuo more ſubſcripſiſſet, & ad ſubſcriptionem addidiſſet*, ſimilem eſſe Patri Filium, *prætermiſſis his vocibus* in omnibus, *cumque ea re declaraſſet, quem in ſenſum, ea quæ ſcripta fuerant, approbaſſet, ac quemadmodum conſubſtantialis vocem intelligeret, pius hoc Imperator obſervavit, & ut* in omnibus *adiiceret, coëgit, idque ut iuſſus erat, præſtitit. At Baſilius ſuſpicatus voces illas*, in omnibus, *ex propria mente ac ſenſu ad formulam adiectas, cum exemplum profeſſionis illius Valens cum ſuis habere vellet, quod ſecum ad Ariminenſem ſynodum deferret, hoc modo ſubſcripſit*: Baſilius Epiſcopus Ancyræ credo & aſſentior iis, quæ ſupra ſcripta ſunt, ſimilem in omnibus confitens Patris eſſe Filium. In omnibus vero cum dico, non voluntate ſolum intelligo, ſed & ſubſiſtentia & exiſtentia, adeoque eſſentia ipſa, utpote Filium, quod ſacræ literæ confirmant, ſpiritum è ſpiritu, vitam è vita, lumen è lumine, Deum ex Deo, verum Filium ex vero, ſapientiam Filium ex ſapienti Deo & Patre. Ac, ut uno verbo dicam, Filium Patris undecumque ſimilem, uti Filium Patris; Ac ſi quis aliqua ſolum ex parte ſimilem eſſe dicat, ut ante ſcriptum eſt, ab Eccleſia Catholica alienum eſſe cenſeo, eò quod è ſ.lit. præſcripto Patri ſimilem eſſe Filium non agnoſcat. Sic commonefactio. Nihil hic de ſcriptione, tantum de ſubſcriptione ſermo eſt. Apparet autem, quem ſenſum Marcus Arethuſius & Baſilius Ancyranus circa tertiæ huius Confeſſionis verba, quibus Chriſtus per omnia Patri ſuo ſimilis dicebatur, habuerint, quem verò Crypto Ariani. Illi nimirum exiſtimarunt, τὸ per omnia ſimilem eſſe, ipſam etiam ſubſtantiam, exiſtentiamq; adeòque omnia complecti & nullam differentiam admittere. Vnde putarunt, filium eſſe immenſum, æternum, infinitum, ſimpliciſſimum, omnipotentem, omniſapientem &c. ſicut Pater eſt. Vnde vana fuit eorum trepidatio

pidatio

Digitized by Google

pidatio circa vocabulum *ὁμοίσιν*, ad quam incauti ab aſtutiſſimis Athanaſii hoſtibus inducti fuerunt. Hi enim longè aliam animo circa illam locutionem foverunt opinionem. Relationi epiſtolæ parum fidendum eſt. Nam aliàs Germinius in hoc negotio paſſim peſſimè audit. Vide ſupra Athanaſium *pag.* 13. *& ad ſolitariam vitam agentes* T. 1.*p.* 665.*f. & de ſynodis Arimini atque Seleuciæ p.* 670. *c.* 671. *b* Sanè ut refert *in eadem Ep. p.* 674. Athanaſius, Germinius cum Auxente, Valentio, Vrſatio, Demophilo & Gaio in Ariminenſi ſynodo *chartulam tertiæ Confeſſionis omnibus ſynodis anteponi, idq; omiſſa de hæreticis quæſtione, nullaq; habita per cunctatione, quo animo aut qua ſententia eſſent, poſtulavit.* Rurſus *p.* 675, Athanaſius refert, Germinium his iunctum atque adeò à Marco Arethuſio, Baſilioq; Ancyrano ſeparatum, à Synodo Arminienſi damnatum eſſe. *Conf. p.* 677. 678. Epiphanius infra cum factionis Arianæ & Semiarianæ ſectiones enumerat, Germinium Georgio Alexandrino, qui Valentis & Vrſatii intimus, iungit, & à Baſilio, Eleuſio, Euſtathio, (quos Hilarius adverſus Arianos de ſynodis *ſanctiſſimos viros* appellat. Vide ſupra p. 29.) Georgio Laodicæo ſeparat. Sanè aut conficta eſt epiſtola, quam ex Concilio Singeduni in Myſia celebrato ſcripſiſſe dicuntur Valens, Vrſatius, Paulus & Gaius ad Germinium, aut mentitur. *Vide T.* 1. *Concil. Colon. p.* 488. Ait enim. *Nobis digneris reſcribere, ſi à fide Catholica, quæ Arimini à ſancto Concilio expoſita confirmataq; eſt, cui etiam univerſi Orientis Epiſcopi conſenſerunt, ſicut iam profeſſus es te non receſſurum, apertius quæritur ſignifices. Eſt autem hoc, ſicut in ea cautum eſt:* ſimilem dicimus filium Patri ſecundum ſcripturas, non ſecundum ſubſtantiam, nec per omnia, ſed abſolutè. *Si enim hæc impoſitio immutata fuerit, manifeſtè quondam Baſilii perfida aſſertio, propter quam ſynodus facta eſt, quæ etiam merito damnata eſt, reparabitur. Dignare igitur hoc, quod quæritur, evidenter literis tuis declarare, non dixiſſe vel dicere, vel dicturum, ſimilem eſſe per omnia Filium Patri excepta innativitate.* At manifeſtum eſt, Arimini ipſam tertiam Confeſſionem Sirmienſem exhibitam fuiſſe, in qua *per omnia ſimilem Filium Patri* eſſe, confirmatur. Idem etiam relatio Epiphanii confirmat. Aliàs Marcum Arethuſium & Baſilium Ancyranum Seleucianæ ſynodi formulæ ab Acacio

Digitized by Google

concinnatæ non ſubſcripſiſſe, neq; etiam interfuiſſe eidem ſynodo, neq; hanc eſſe ſententiam Epiphanii, ſatis probat Dionyſ. Petavius *in animadverſ. pag. 326.*

CAP. III.

Concilii Sirmienſis autoritatem dilucidans.

Autoritas Syn. Sirm. in Latina Eccleſia.

COnſiderandũ poſt iſta ſuperius dilucidata, quanta olim Sirmienſis ſynodi & Confeſſionis primæ in ea publicatæ autoritas fuerit. Et quidem in *Eccleſia Latina* magnam illam fuiſſe & inſignem, documenta ſuperius commemorata ſatis manifeſtant. Hilarius ſanè inter Confeſſiones orthodoxas primam hanc enumerat. Poſtquam enim recenſitis, ut ait: *tot & tantis impietatis profeſſionibus editis* primum anathematiſmos Orientalium contra Sirmienſem Confeſſionem alteram non recitaſſet tantum, ſed etiam commentatiuncula aliqua illuſtraſſet, in quibus adverſus *novam & profanam impietatem* eos *conſcientiæ ſuæ & doctrinæ iam pridem adeptæ inſtituta decreviſſe* ait; poſtquam inſuper etiam Antiochenę ſynodi, occaſione Encæniorum celebratę, pia decreta recitaſſet, & aliqua intricatius dicta dilucidaſſet, ubi *congregatam ſanctorum Synodum impietatem peremiſſe*, addit; poſtquam adhæc *ſanctæ*, ut vocat, *Sardicenſis ſynodi* ſymbolum recitaſſet, *& brevibus, abſolutiſſimis tamen definitionibus* conſtantem cõmendaſſet, in eodem velut tenore ſubtexit primam Confeſſionem Sirmienſem, & ait; *Conſequens autem eſt, ut eam nunc fidem retractemus, quæ non olim, tunc cum Photinus Epiſcopatu deiectus eſt, conſcripta fuit.* Legendum, *quæ etiam olim, tunc cum Photinus &c. Olim* pro *nuper*, ut aliàs. Nimirum poſt Sardicenſem ſynodum, ut diximus. Cum aliquo tamen intervallo ad alterius Confeſſionis editionem, de qua dicit, *in ea ipſa ſcripta* proximè *apud Sirmium blaſphemia &c.* Vide ſupra p. 19. Poſt recitationem excuſat anathematiſmos à neceſſitate temporum. Verba recitata ſunt ſupra p. 22. §. Idem lib. Excuſatione finita ad expoſitionem progreditur & ait, *poſt generalem illam atq; indubitatam*

tam

Digitized by Google

tam ſacramentorum expoſitionem (ita vocat præmiſſos tres Symboli articulos) *hinc exponendæ fidei adverſum hæreticos cœpit exordium.* Expoſitione finita rurſus digreditur in commendationem ſententiarum ſynodicarũ, PARTIM ab inevitabili neceſſitate, ibi; *concludi damnatio eius hæreſis &c.* Verba ſunt ſupra p.22. §. Idem rurſus. *Partim* ab accurato ſingulorum ab Epiſcopis facto examine; ibi; *Multifarie ut intelligitur &c.* l. c. *Partim* ab obiecti explicandi immenſitate: ibi. *Non enim infinitus* &c. l. c. Claudit denique: *Illa in prima collata expoſitionis ſynodo fides hanc habuit neceßitatem*, ut hanc Confeſſionem ab aliis ſecernat, dum vocat *fidem in prima ſynodo* (ſc. Sirmienſi) *collatæ expoſitionis* neceſſario elaboratam. VIGILIUS *contra Eutychen lib.* 5. vocat *Catholicum contra Photinum Concilium*, & eius *multiplices fidei ſanctiones* laudat, *nullumq;*, ait, *fidelium illud audere reſpuere aut cunctari recipere, qui non vult cum Fotino anathematis ſententiæ ſubiacere.* Verba extant ſupra p. 49. PHILASTRIUS Concilium illud *ſanctis Epiſcopis* adſcribit. Ex Eccleſia Græca SOCRATES loco ſupra cit. p. 42. acta Sirmienſia contra Photinum ab omnibus tum & poſtea, ut probe rectéque ſe habentia, magnopere approbata fuiſſe aſſeverat. Poſſet aliquis, cogitare formulam fidei ſeu ſymbolum, in quo aſſertum à Nicæna fide homouſion ab Arianis ex odio veritatis, ab aliis, etiam orthodoxis Epiſcopis, *ex ſimplicitatis ſecuritate*, ut loquitur Hilarius p. 325. omiſſum eſt ſeorſim, ſeorſim etiam anathematiſmos contra Photinum ab ipſa ſynodo confectos fuiſſe, quibus nemo repugnavit: poſtea conventione aliqua in eodem Concilio ex ſymbolo & anathematiſmis unum conflatum eſſe ſyſtema, & hoc propter iſtam coalitioné, imprimis autem propter mutilum Symbolum, aliquorum incurriſſe cenſuras. *Ancyranæ ſynodi Epiſtola*, quam Epiphanius recitat, Sardicenſem & Sirmienſem ſynodum coniungit, ab orthodoxæ fidei aſſertione comendat, ſupra p. 37. Hinc *Carranza* eius determinationes vocat *regulas fidei orthodoxas*, & *Sagittarius*, *Confeßionem fidei divinam & elegantem.* Et *Pererius* fatetur Hilarium illud Concilium *ut Catholicum & ſincerum* commemorare. Et *Ruiz* teſtatur, Sirmienſem ſynodum *non eſſe contemnendæ autoritatis &c.* tum propter autoritatem Hilarii, tum propter tacitam

Autoritas Syn. Sirm. in Græca Eccl.

approbationem Theologorum, tum quia ex parte tantum ab aliquibus reprobata dicitur, inter quos eſt Bellarminus & alii. *Prateolus* denique aſſerit, in eo Patres *fidei regulas orthodoxas* tradidiſſe. Ex Calvinianis *Witakerus*, *Danæus*, *Iunius*, *Blondellus &c.* commendant. Nec ex univerſa antiquitate veſtigium ſupereſt, ex quo deprehendi queat, anathematiſmos Sirmienſes tanquam conculcandæ autoritatis ab aliquo fuiſſe notatos. Athanaſius anathematiſmos nequaquam taxat *in ep. de Synodis Ar. & Seleuc.* ſed quod ὁμοούσιον omiſſum ſit, latè expoſtulat. Ea autem ad ſymbolum ſpectant. Phœbadius, Gregor. Bœticus, Marius Victorinus, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Ambroſius, Sulp. Severus, Ruffinus Concilium Sirmienſe, de quo nobis ſermo, non tangunt, conventicula Sirmienſia taxant. Socratem, Sozomenum, Caſſiodorum, Nicephorum, confuſè agere, notatum eſt. Et falſum eſt, quod Petr. Faber *ſupra p. 68.* dicit, Theodoſium *l. 5. Cod. Theod. de hæreticis*, hoc ipſum reſcriptum, quod apud Sirmium emerſerat, quo primum anno ad imperium cum Gratiano & Valentiniano aſſumtus eſt, antiquandum cenſuiſſe. Sic enim ſcribunt Imppp. ad Heſperium PP. *antiquato reſcripto, quod apud Sirmium nuper emerſit, ea tantum ſuper Catholica obſervatione permaneant, quæ perennis recordationis Pater noſter & nos ipſi victura in æternum æquè numeroſa iuſſione mandavimus.* Vnde probat Faber, per reſcriptum, quod apud Sirmium nuper emerſit, intelligi reſcriptum aliquod Conſtantii de Arianiſmo fovendo & propagando? Vbi tale aliquod reſcriptum Conſtantius publicavit? Edidit legem iſtam Theodoſius cum Gratiano & Valentiniano, Auſonio & Olybrio Coſſ. h. e. A. Chr. 379. circiter. Quid ſi dicamus nullum Conſtantii reſcriptum intelligi, ſed Iuliani, quod in favorem Donatiſtarum ille ad turbandas magis res Chriſtianorum conceſſit? Id Sirmii Julianus publicare potuit, ubi fuit. De eo pluribus agit Card. Baronius *ad Ann. Chr. 362. à num. 263. ad n. 272.* ubi reſcripti illius circumſtantias explicat. Contra illud eſt & l. 37. Cod. Theod. hoc tit. Sed ſit ita, fuerit aliqua ex Sirmienſibus Confeſſ. decreto Imp. roborata, ad quam ſpectet Imp. Theodoſius, prima Sirmienſis ſanè nullo modo fuit. Satis de hoc. Quid de ſecundæ & tertiæ Confeſſionis autoritate habendum, ex ſuperioribus conſtat.

L. 5. C. Th. de hæred. explicatur.

CAP. IV.

Digitized by Google

CAP. IV.

Canonum Concilii Sirmienſis veritatem expendens.

DEnique diſpiciendum nobis eſt *de Concilii Sirmienſis* VERITATE. Loquimur autem de Synodicis definitionibus in prima Confeſſione exhibitis. De *veritate* inſuper loquimur, non *de ſufficientia* & an rectè factum ſit, quod terminus ὁμοούσιον ſit omiſſus, in primis illo tempore, quo in ſummo fervore erant motus Arianici, quo ille ipſe terminus in conflictu & concertatione periculoſiſſimè agitabatur. Memorat Hilarius, *loco ſupra pag. 24. propoſito*, etiam orthodoxos Epiſcopos propter tres potiſſimum cauſas ab homouſio abſtinuiſſe, & modeſtiſſimè tamen confutat. Etiam Athanaſius *epiſt. de ſynodis Arimini & Seleuciæ pag. 699.* quamquam paulò aſperius, de fuga iſtius termini inconſiderata expoſtulat. Sed *p. 705. & ſeq.* ubi adverſus eos incipit agere, qui omnia ſynodi Nicænæ ſcripta recipiunt, de ſolo autem conſubſtantiali ambigunt, expreſsè profitetur, contra eos non ut inimicos agere decere. Ipſe oſtendit, ex conceſſis Epiſcoporũ irrefragabiliter ὁμοουσίου profeſſionem ſequi, & addit; *hæc quidem ſufficiunt ad oſtendendum, dilectiſſimorum hominum ſententiam non longè abeſſe à conſubſtantiali.* Solvit pòſt obiectionem, quod Epiſcopi, qui Paulum Samoſatenum condemnarunt, nomen ὁμοούσιον ſimul condemnarint, & indicat, id ex cauſa factum eſſe, de qua & Hilarius *loc. cit.* probat autem nomen id ante Romanam & Nicænam ſynodum iam extitiſſe, & tum à Dionyſiis duobus Romano & Alexandrino, tum à Theognoſto uſurpatum reperiri. *Confer Athanaſ. lib. de decretis Nicanæ ſynodi pag. 421. & l. de ſententiis Dionyſii contra Arianos p. 438. & l. de ſynodis pag. 707.* Fuit iſta veterum Patrũ contra eos, qui plane repudiarunt vocabulum hoc, tanta lenitas. Quantum ergo abſunt à moribus venerandæ antiquitatis è Pontificiis Bellarminus, Poſſevinus, Campianus, Gregor. de Valentia, & nuper ineptiſſimæ audaciæ Ieſuita Spirenſis Wolffg. Hermannus *Anti-Mulleri cap. 9.* & qui multum his a-

De huius vocis encomiis vide Dionyſ. Petav. de Trinitate l. 4. c 5. n. 3. 4.

his amant contra nos conſpirare è Reform. Lampadius *in Cenſura Vbiquit. cap.6 pag. 45.* Sladus *in append. diſput. 1. contra Vorſtium pag. 61.* & alii, à ſuo Thoma Mortono, *Apolog. Cath. lib. 1. cap. 51.* melius informandi, qui Luthero noſtro, conditionatè de vocis huius rejectione loquenti, tam inſolenti acerbitate inſultant. Nos id diſcutiendum relinquimus Cl. Dn. D. Joh Conrad. Schragmüller/ Hermanni inſcitiam brevi prodituro.

De *veritate* huius Confeſſionis illud *generatim* præſcribimus, *nullum ex antiquitate produci poſſe, qui falſitatis eam incuſaverit, ante Auguſtinum, qui in quinto demum vixit ſeculo, cui tamen coætanei & ſuccedanei plurimi Eccleſiæ Doctores huic ſynodicæ Confeſſioni non contradixerunt*, ſed inhæſerunt. Patebit illa generalis præſcriptio, ſi paulo penitius in decreta ſynodica inquiſiverimus.

CANONI. & 2. *ſupra ſ. 2. cap.* 1 propoſitus, non habet difficultatem. In *Can.* 3. ſcrupulum habet, quod dicitur, *Filium Dei fuiſſe Patri* ὑπουργηκότα εἰς τὴν τῶν ὅλων δημιουργίαν. At verbum ὑπουργεῖν h. l. non ſubditam & ſubiectam in diverſa eſſentia τάξιν filii erga Patrem notat, ſed intimā & indiviſibilem ſub relatione originis à Patre Filii in operando unitatē. Ὑπουργεῖν non ſemper ſubiectionem & ſervitutem includit, ſed conficitur ſimplici præſtatione & executione officii & operæ. hinc ἀνθυπούργημα & ἀνθυπούργησις. ὑπὸ ſane non ſemper *ſub* notat, etiam in compoſitione; etiam *à* vel *ab* haud rarò exprimit. *Conf. Matth.* 2, 17. *c.* 4, 1. *Act.* 15, 3. *cap.* 16, 46. 1. *Theſſ.* 2, 14. Perpendatur verbum ὑπάρχω, ὑπάγω, ὑπαντάω, ὑπέχω, ὑποδείκνυμι, ὑποδέχομαι, ὑπομένω & eiuſmodi alia. Eſſe itaque ὑπουργηκότα τῷ πατρὶ eſt *ab & cum Patre* operatum eſſe in creatione mundi. Sane Hilarius evidenter omnem ſervitutem & inferioritatem hoc aphoriſmo inter Patrem & Filium in divinis excludi demonſtrat. *Rerum*, inquit, *nobis abſolutam intelligentiam ipſa illa nominis religioſa profeſſio tribuit. Cum in damnatione ſit, Patrem & Filium duos Deos dicere, & rurſum anathema ſit, Filium Deum negare, ſubſtantiæ diverſæ alterius ab altera opinio in prædicandis Diis duobus excluditur. Non enim eſt alia præter illam Dei Patris, ex qua Dei filius Deus intemporalis eſt natus, eſſentia. Nam cum neceſſariò Deum Patrem confitemur, & abſolutè Chriſtum Dei Filium Deum prædicamus, & inter hæc duûm Deorū irreligio-*

Canon. 3. Sirmienſis explicatur

Digitized by Google

religioſa ſit confeſſio, non poſſunt ſecundum natura indifferentiam & nomen indifferens non unum eſſe in eſſentia genere, quorum eſſentia nomen non licet eſſe niſi unum. Et Veteres durius expreſſiſſe ordinem originis, & inprimis miſſionis, qui eſt inter Deum Patrem & Filium, ſatis notum eſt, licet unitatem eſſentiæ ſummæ inter eoſdem diligenter aſſeruerint. Juſtinus Orthodoxus Trinitatis Confeſſor *contra Tryphonem pag.* 279. Filium Dei in apparitionibus Veteris Teſtamentis ait ὑπὸ τῷ πατρὶ καὶ κυρίῳ τεταγμένον καὶ ὑπηρετοῦντα τῇ βουλῇ αὐτοῦ. Et Clemens Alex. vocat *in exhortat. ad gentes p.* 2. *ed. Comm.* ὄργανον τοῦ θεοῦ παναρμόνιον, ἐμμελὲς καὶ ἅγιον, τὴν σοφίαν ὑπερκόσμιον, τὸν οὐράνιον λόγον. Irenæus *lib.* 3. *adv. hæreſ. cap.* 8. ait, Deum Patrem *in Creatione verbo ſuo præcepiſſe.* Baſilium, Cyrillum Hieroſolymitanum, Epiphanium, Greg. Nazianzen. &c. ſimilia locutos eſſe, & tamen τὸ ὁμοούσιον confeſſos, annotat Did. Ruiz de Montoia *de Trinitate diſput.* 110. *cap.* 6. Ipſe Hilarius *obſequium* non refugit Filio Dei tribuere. Libro hoc eodem de ſynodis propius ad finem quam ad medium diſcutiens illud Joh. 5. Non poteſt Filius &c. p. 329. *Autorem diſcrevit, cum ait,* non poteſt à ſe facere. *Obedientiam ſuam, cum addit,* niſi quod viderit Patrem facientem. *Non enim virtutis differentia eſt, non poſſe niſi videat, quia virtutem magis præſtat natura, quam viſus. At verò obſequii de eſt, tum poſſe, cum videt. Atque ita per id, quod tum poteſt cum videt, ſignificat, non ex viſu ſe accipere virtutem, ſed autoritate viſus præſumere poteſtatem &c.* Et *lib.* 4. *de Trinit. in med. p.* 55. Filius *placere Patri opera ſua gaudet per ſe ex præcepto eius effecta.* Et *lib.* 5. *pag.* 75. ait, *in creando mundo obedientem dictis Dei Deum* ſcil. Filium &c. Satis hæc ad Can. 3. in quo tamen nomen ὑπουργοῦ tantum eſt, non ὑπηρέτου, quod non admittit Athanaſius *in lib. de Comm. eſſentia Patris, Filii & Spiritus Sancti* (ſi modo liber is Athanaſii eſt, quem P. Nannius inter dubia relegavit ſcripta) *pag.* 384. cum negat, ἐν ὑπηρέτου τάξει κεῖσθαι τὸν υἱὸν &c. *Canon* 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. & 12. communi orthodoxæ antiquitatis conſenſu recipiuntur & teſtimonium veritatis accipiunt.

CANON 13. apud Hilarium, qui apud Athanaſium, cuius interpretem expreſſit Sev. Binius, 12. eſt, ita acceptatur ab Hi-

Digitized by Google

Canon Sirmienſis 13. explicatur.

lario, tanquam extra controverſiam certiſſimus & immobili ſ. lit. certitudine fundatus. Et ſane quomodo iſtis verbis, *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, pluraliter perſonarum in divinis mentio clarè ſatis pro modo V. T. inſinuata ſit, Hilarius latè oſtendit *de Trinit. lib.* 4. *p.* 53. *& ſeqq. & lib.* 5. *p.* 68. *& ſeqq.* Adeò *Hilarius* iſto ſuo ſeculo vel etiam anterioribus neminem novit ex ſcriptoribus Eccleſiæ, quem anathema illud confeſſionis *Sirmienſis* ferire poſſet. Novit autem, ſive Photinianos, ſive Sabellianos neminem ex Eccleſia Catholica producere poſſe, qui ipſis contra ſynodicum anathematiſmum patrocinaretur. Amplectitur verò Canonem etiam Athanaſius *Tom.* 1. *oper. Orat. contra gentes pag.* 29. *&* 31. ubi increpandos cenſet Judæos, quod *h l.* non intellexerint, ſcripturam de pluralitate divinarum perſonarum loqui. *& Orat.* 1. *contra Arianos p.* 210. adeoque nec ille circa hunc locum aliquem diſſenſum aut diſceſſum ab Orthodoxa & Catholica Eccleſia agnovit. Eſt ſane unanimis Patrum in h. l interpretatio pro perſonarum divinarum pluralitate tam ante, quam poſt Sirmienſem ſynodum. Teſtimonia Ignatii, Irenæi, Nicæni Concilii & Antiocheni I. Baſilii, Gregorii Nazianzeni, Gregorii Nyſſæni, Johannis Chryſoſtomi, Cyrilli Alexandrini, Origenis, Gregorii Bætici, Euſebii Cæſ. Epiphanii, Ambroſii, Auguſtini, & aliorum plurimorum cumulant duo Jeſuitæ, qui maximè volunt videri Patrologi, ex Gallia Dionyſius Petavius *de Trinitate lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 6. *& ſeqq.* & Didac. Ruiz. à Montoia ex Hiſpania *de Trinitate diſput.* 36. *ſect.* 4. qui & locum illum *Geneſ.* 1, 26. quem Canon Sirmienſis tangit, *celeberrimum* vocat, *cuius vim fruſtra conati ſint effugere Rabbini*, l. c. n. 1. & 2. Petavius *l. c. num.* 9. cenſet, habere Geneſeos illum locum *magnam omninò vim ad Iudæos, Mahumetanos, Sabellianos, cæterosque ſolitarii cultores numinis refutandos.* Diſertè B. Lutherus *Comm. in Gen. h. l.* Sirmienſi interpretamento ſubſcribit. *Verbum* FACIAMUS, inquit, *pertinet ad myſterium fidei noſtræ confirmandum, qua credimus ab æterno unum Deum, & diſtinctas tres perſonas in una divinitate, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum. Iudæi quidem variè conantur hunc locum eludere, ſed nihil ſolidè contra afferunt*

Mart. Del-Rio *comm. h l.* Vasq. *in* 1. *Th. T.* 1. *diſp.* 108. *c.* 2. *n.* 13. Tirinus *ind. contr. c.* 3. *n.* 4. Perer. *comm. Gen. h. l.*

Digitized by Google

ferunt. Moleſtat enim eos hic locus uſque ad mortem. & poſt. Clare Et Potenter *ſignificat nobis Moſes, intus & in ipſa divinitate & creatrice eſſentia inſeparabilem & æternam pluralitatem eſſe. Hoc ne portæ quidem inferorum nobis adiment.* Et poſt. *Hæc teſtimonia debent nobis curæ eſſe & grata. Etſi enim tum Iudæi tum Turcæ nos rident, quod ſentimus unum Deum & tres perſonas eſſe, tamen niſi ſcripturæ autoritatem imprudenter negare velint,* cogentur *hoc loco noſtram ſententiam ſequi. Eludere poſſunt hæc, ſicut Iudæi ſtudioſè faciunt, ſed interim manet in eorum cordibus ille aculeus, cur dicat* faciamus, *item cur Moſes utatur plurali* Elohim? ſubſcribit Philippus Melanchthon *Comm. in Gen. h. l.* & Sirmienſi decreto calculum ſuum addit, cum ait: *Quod dicit* faciamus, *certa nota eſt Trinitatis, neque hoc temerè eſt, quod Trinitatem indicat, cum de homine condendo loquitur &c.* Sequuntur Theologi Würtembergici. D. Brentius *Comm. h. l. Quod Deus dicit*, faciamus hominem &c. *ſentiamus Patrem colloqui cum Filio & Spiritu ſancto. hic eſt ſanctiſſimus Senatus & ſacratiſſimum Concilium, quod unquam inſtitutum eſt. In hoc enim conſilio Patris, Filii & Spiritus Sancti concluſum & definitum fuit, quod creandus ſit homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei &c.* D Lucas Oſiander Senior *in paraphr. h. l.* D. Matth. Vogelius Abbas Alberſpacenſis *in theſaur. Comp. p. 25.* D. Heerbrandus *in Comp. Theol. p. 52.* D. Steph. Gerlachius *Diſp. theol. T. 2. diſp. 10. th. 16.* D. Thummius *Controv. de plural. in una Dei eſſentia loc 1. θ. 3. & ſeqq.* & complures alii conſtanter Sirmienſis ſynodi placitum hîc probantes. Sequuntur alii Eccleſiæ noſtræ Veterani Dd. D. Selneccerus *Comm. h. l. p. 107. cum Deus dicit,* faciamus, Manifeste *oſtendit, plures eſſe perſonas in una æterna divinitate* &c. Vitus Dietericus *in ſummar. ad h. l.* Moſes zeigt klar an / Gott Vatter / Gott Sohn / oder das Wort / vnd Gott der H. Geiſt ſeye der einige / ewige / allmächtige Gott ꝛc. Et quidem etiam Helmſtadiani. Heſshuſius in der 1. Predig über die Hauptarticul Chr. lehr. *p. 13.* Ob wol die Sprüch von 3. vnterſchiedenen Göttlichen Perſonen deß Newen Teſtaments etwan klärer vnd heller ſeind / ſo ſeind doch die Sprüch vnd Zeugnuß der Propheten im Alten Teſtament von diſem Articul gewaltig. Et poſt. Moſes beſchreibt die Schöpffung deß Men-

Conf. ſi aliqua illis fides Gelaſii Cyziceni *Acta Conc. Nicæni c. 20. Fauſtin. de fide ad Placillam. T. 5. B. S. P. p. 770.*

ſchen mit diſen Worten. Gott ſprach/ laſſt Unß Menſchen machen ꝛc. hie műſſen je unterſchiedene Göttliche Perſonen ſeyn/ da einer mit dem andern redet. Dann ſolche Wort redet Gott nicht zun Englen / denen das Werck und Ehr der Schöpffung nicht gebühret ꝛc. D. Theodorus Berckelmannus *in diſſert. bibl. 2. theſ. 31.* ſententiam Sirmienſem habet. & D. Calixtus *in epit. Theol. pag. 75.* D. Behm. *de æterna Filii Dei Divinit. p. 218. &c.* cenſet ex loco *Geneſ. 1, 26. &* ſimilibus *liquidò* videri pluralitatem perſonarum in divinitate, Vt iam Pelicanum, Calvinum, Muſculum, Martyrem, Szegedinum, Rivetum, Pareum &c. è Reformatorum cœtu taceamus, qui apertè & luculenter hic pluralitatem indicari iudicant. Iam cogita, quo ſpiritu laboret agaturve is, qui omnium ſeculorũ conſpecto ſenſu, ac conſenſu conciliorum propoſitis ſuffragiis, veſtigiis orthodoxæ Eccleſiæ Dd. exhibitis conſpicuis, Rabbinorum deliriis, Toſtati ſcrupulis, Eniedini aut Socini ludibriis movetur, ut neget, certum & tutum eſſe, hoc fundamento pro Myſterio SS. Trinitatis uti, nec potuiſſe olim etiam clarè, potenter manifeſtè, ex eo pluralitatem etiam in divinitate colligi. Quid enim aliud agit, quam ut cavilletur tot antiquorum & recentiorum theologorum circa Sirmienſem ſententiam ſubvertendam labores? utque quæ ipſi clarè, potenter, manifeſtè, liquidò, efficaciter, cogenter pluralitatem in Deitate teſtari iudicant, ille obſcurè, impotenter, inefficaciter, illiquidè id facere temerè aſſeveret? Nimirum hoc decet planè eum, qui ſtudium concordiæ Eccleſiaſticæ non deſerendum aut omittendum cenſet, qui amat ſtudium Eccleſiaſticæ antiquitatis, qui totus, quantus quantus eſt, Vir pacis eſt, & ὅλως παλαιοσυμβολοφύλαξ, qui rerum ſacrarum ſedet arbiter, volitantibus circum reliquis velut umbris, mox Rheno atque Albi mergendis.

Conf. Iac. Martini de tribus Elohim l. 1. c. 8. & 8.

Canon 14. explicatur.

CANON 14. ab Hilario rurſus ſine ulla nota transmittitur. Imo & manifeſtè confirmatur l. 4. de Trinit. p. 56. & ſeqq. Vſus eſt autẽ Hilarius rationibus ex textu emergentibus, quas graviter cumulat, & nos collegimus *in vind. ad Exodi 3. pag. 49. & ſeqq.* Athanaſius ſigillatim hanc φανέρωσιν Abrahæ factam contra Arianos urget, tanquam Filio Dei convenientem. Videatur T. 1. *diſp. 2. contra Arianos p. 165. & orat. 4. p. 261. D. orat. 3. pag. 195. D. E.*

In eo.

Digitized by Google

In eodem ſeculo quarto Sirmienſem ſententiam fovit Euſebius Cæſar. *Demonſtr. Evang. lib. 5. cap. 8. pag. 396.* Phœbadius Aginnenſis Epiſcopus *contra Arianos cap. 54 edit. Barthii pag. 29.* Baſilius magnus *contra Eunom. lib. 2. p. 56.* Gregorius Nazianzenus *orat. 2. de theol. pag. 299. edit Billiana. pag. 45. edit. Leunclav.* Cæſarius Gregorii frater *dialog. 1. ad Conſtantium inter opera Gregorii edit. Leunclav. pag.* 1100. Epiphanius *in Ancorat. T. 2. edit. Petav. pag. 34. & 44. & hæreſi 71. T. 1. pag. 832.* Ambroſius *de fide contra Arianos lib. unico cap. 8. pag. 175. Tom. 2.* Hieronymus T. 1. *operum in epitaphio Paulæ matris cap. 5. ad Euſtoch. pag. 75. col. a. b.* Aurel. Prudentius *in apotheoſi contra Noetianos v. 26. & ſeqq.* Joh. Chryſoſtomus *in Geneſ. hom. 41. 42. & 58.* In eodem ſeculo Petavius *de Trin. IIX. 2. 7.* addit Gregorium Nyſſenum *lib. περὶ θεογνωσίας latè id tradentem, apud Euthymium.* Sic itaque ſeculo *Part. 1. titulo 8. p. 152.* quarto communis illa ſententia fuit orthodoxorum Patrum, apparuiſſe ſub querceto Mambræo ſedenti Abrahamo filium Dei, quam adeo pro divina veritate habuerunt, ut nemo ſuccenſuerit præſulibus Sirmienſibus, quod aliter ſentientes, & imprimis ad Deum Patrem accommodantes illam apparitionem, anathematizandos cenſuerint. Sic enim loquitur ſynodus Sirmienſis. *Si quis Abraham non Filium, ſed ingenitum Deum, aut partem eius vidiſſe aſſeveret, anathema eſt.* Patrem, inquit, non *partem*, ut habent nonnulla exemplaria Hilarii, & noſtrum quo uſu ſumus Baſileenſe Anno 1550. & interpres Athanaſii *in Commeliana edit.* qui & impoſuit Binio, ex quo nos ſupra expreſſimus hunc Canonem *ſect. 2. cap. 1. p. 81.* & Dionyſ. Petavius malè corrigendum *Petavius notatur.* indicat, *quod in nonnullis exemplaribus ſcribitur* partem, *& reſcribendum patrem, lib. 8. de Trinitat. cap. 2. n. 4. § eandem etiam.* Si Petavius inſpexiſſet græcum Athanaſii textum, reperiſſet *τὸν ἀγέννητον θεὸν ἢ μέρος αὐτοῦ.* Nimirum nonnulli eſſentiam divinam dilatari aut in partes deduci poſſe cenſuerunt, atque eatenus etiam τὸν ἀγέννητον ex parte videri poſſe. Manifeſtum profectò eſt, veteres illo ſeculò, ut Photini ſententiam evertant, & probent, etiam ante B. Mariam Virginem extitiſſe Filium Dei, inter reliqua fundamenta ex Veteri Teſtamento illam theophaniam Abrahæ factam urſiſſe; & cum Photinus & alii ad eundem erro-

rem cum ipſo graſſantes negarent, ex tribus illis angelis unum fuiſſe æternum & fœderis æterni angelum, ſed patrem æternum ſub iſta forma apparuiſſe aſſererent, anathema illis dixiſſe, tanquam affirmantibus rem aliquam iſto ſeculo inauditam. Etiamſi enim eodem ſeculo Ambroſius T. 3. *de fide reſurrect orat.* 2. *p.* 36. dicat: *Abraham paratus hoſpitibus, fidelis Deo, impiger miniſterio, promtus officio, Trinitatem in typo vidit. hoſpitalitatem religione cumulavit, tres ſuſcipiens, unum adorans, & perſonarum diſtinctione ſervata unum tamen Dominum nominabat, tribus honorificentiam muneris deferens, & unam ſignificans poteſtatem. Loquebatur enim in eo non doctrina, ſed gratia, & melius credebat ille, quod non didicerat, quam nos qui diſcimus. Nemo enim typum falſaverat veritatis, & ideo tres videt, ſed unitatem veneratur &c.* Etiamſi & Gregorius Nyſſenus in teſtimoniis de S. Trinitate *contra Iudæos p.* 316. aſſerat: *in pluribus Veteris Teſtamenti locis, ſenſim ac tacitè indicante ſancta Trinitate, deprehendi & animadverti poteſt eius hypoſtaſis, id eſt, repræſentatio perſonarum & coëſſentialitas, vel conſubſtantialitas, id eſt, unitas & identitas eſſentiæ atque naturæ. Verbi gratia, tempore Abrahami.* Apparuit enim, *inquit*, ei Dominus, ad quercum opacam ſedenti in oſtio tabernaculi ſui tempore meridiano. Cum ſuſtuliſſet autem oculos, vidit, & ecce tres viri adſtabant ſupra eum: & ecce occurrit obviam eis, & adoravit pronus in terram, & dixit, Domine, ſi nactus ſum gratiam coram te, ne prætereas puerum tuum: *Et poſt alia*: Dixit autem ad eum, ubi eſt Sara uxor tua? At ille dixit; Ecce in tabernaculo eſt. *Dixit item*; revertens veniam ad te circa hunc temporis articulum ad horas, & habebit filium Sara uxor tua. *Ecce igitur dicit, quod Deus quidem apparuiſſet ei, ſed quod tres tamen viri eſſent, qui conſpecti fuiſſent; ipſum autem rurſus non tanquam tribus dixiſſe*, Domini, ſi inveni gratiam coram vobis, ne prætereatis puerum veſtrum, *ſed Dominum ſingulariter ternos nominaſſe, & tanquam unum invitaſſe ad devertendum. Itemque tanquam unus loquitur*, Veniam. *Vide igitur, quod illi, qui apparuerunt tres quidem erant, & in propriæ perſonæ conſtitutione ſubſiſtebant, ſed ratione tamen eiuſdem eſſentiæ atque naturæ comprehenſi,*

erant

erant, *atque etiam tanquam unus colloquebantur. Quis enim ad quem dicebat, venite, deſcendentes confundamus linguam eorum &c.* Etiamſi denique ex eodem ſeculo dicat Idacius Clarus *contra Varimadum Arianum*, *in principio hæreſiolog pag.* 254. *Si Trinitas non eſt, cur Abraham ad ilicem Mambre apertè ſedens, tribusq; occurrens, uni*, *Domine, dicit*, *& non ut viderat tribus ſalutationis obſequium reddidit? Si Trinitas non eſt, quare cum Moſi Deus Abraham & Deus Iſaac & Deus Iacob tertio diceretur, unitatem oſtendens, hoc mihi nomen eſt, dixit, & non, hæc ſunt nomina, deſignavit?* &c. nihil tamen vel hic vel iſte vel ille contra Sirmienſem anathematiſmum pronunciarunt, imo amplius progreſſi ſunt, ſcilicet non ſolum ſecundam perſonam SS. Trinitatis poſſe ſenſibili aliquo ſchemate ſui præſentiam ſingulariter & ſine cæterarum perſonarum violatione indicare, ſed & Patrem & Spiritum apparitionem ſui adornare poſſe. Id vero non negat Sirmienſis ſynodus, ſed hoc tantum, *eum anathema eſſe*, *qui non Filium apparuiſſe Abrahamo, vel apparere potuiſſe aſſeverat*, *ſed Deum ingenitum, hoc eſt*, *Patrem tantùm.*

Quinimò veteres adeò perſecuti ſunt iſtam aſſertionem, *Filium Dei in apparitione Abrahæ facta excludentem*, ut animadverterint ſeculo tertio, & ſecundo, & primò conſtanter ferè in hac re aliter traditum fuiſſe. Ex *primo* poſt Chriſtum *ſeculo* obſcurius aliquid de ea re philoſophatus eſt Philo *de ſomniis pag.* 466. *edit. Genev.* ubi dicit, ipſum Deum tenuiſſe locum angeli, ut prodeſſet non valenti videre verum Deum & addit: τὴν τοῦ θεοῦ εἰκόνα τὸν ἄγγελον αὐτοῦ λόγον, ὡς αὐτὸν κατανοοῦσιν, imaginem Dei, angelum ipſius verbum, tanquam ipſum intelligunt. In *ſecundo ſeculo* Juſtinus Martyr *theſin* iſtam tanquam inſtitutioni Chriſtianæ eius temporis apprimè conſentaneam, ſcilicet Filium Dei in ſpecie aſſumta corporali, eaque non uniformi, Abrahæ & aliis Patriarchis atque ſanctis V. T. apparuiſſe & propterea *angeli* nomen geſtaſſe, diligenter inculcat, inprimis in dialogo cum Tryphone Judæo. Notat quidem Petavius in *lib.* 1. *de Trinitate cap.* 3. incommodas quaſdam locutiones, quas, qui nunc ſententiam Juſtini Martyris & aliorum Sanctorum noviſſima litigatione everſum it, ex eo quoq; excerpſit *th.* 46. 47. ut quod Filium *Iuſtinus Martyr expenditur.*

Dei

Dei vocat *ὑπηρετοῦντα τῷ τῶν ὅλων πατρὶ* & *τῷ τῶν ὅλων ποιητῇ θελήσει ὑπηρετοῦντα*, & *ὑπὸ τῷ πατρὶ καὶ κυρίῳ τεταγμένον καὶ ὑπηρετοῦντα τῇ βουλῇ αὐτοῦ*. Et *τὸν κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ πατρὸς καὶ ἀῤῥήτου κυρίου καὶ θεὸν ὄντα καὶ ἄγγελον ἐκ τοῦ ὑπηρετεῖν τῇ γνώμῃ αὐτοῦ*. & de Deo Patre ſtatuat, *eum nequaquam ita relinquere poſſe cœlum, ut in exigua terræ parte apparere poßit.* Sed his omnibus emendatis aut benigno interpretamento mitigatis theſis adhuc inconcuſſa ſtat, quam ſanctus ille Doctor tanta alacritate tractat & deducit, ut omnino appareat, eandem illum à magiſtris ſuis accepiſſe, & in Eccleſia illa primitiva conſtanter traditam exploratum habuiſſe. In *eodem ſeculo* Irenæus *Epiſcopus & Martyr* eam, quam Sirmienſis ſynodus complexa eſt, de hac Abrahæ facta theophania ſequitur ſententiam. Lib. 4. cap. 12. ait, *eum in figura cum Abrahamo locutum* cap. 23. cum eodem *locutum eſſe & comediſſe.* Mirum, quod non in Irenæo etiam annotaverit ex Petavio Succenſor meus, quod *ὑπουργίαν* & miniſterium ille Filio Dei & Spiritui ſancto *lib. 4. cap. 17.* tribuit. Sed hoc ad ſummam rei parum refert, in qua etiam hoc ſeculo conſentiunt Athenagoras, Theophilus Antiochenus & Tatianus. *Tertio ſeculo* Sirmienſis ſynodi ſententia eluxit in Tertulliano. Sic enim *libro de carne Chriſti cap. 6. Inter angelos*, inquit, *ipſe Dominus apparuit Abrahæ ſine nativitate, cum carne ſcilicet.* Carnem ſcilicet intelligit, qualem in iſtis apparitionibus adornandis & angeli creati aſſumſerunt. *Adverſus Marcionem lib. 2. cap. 27.* Profitemur *Chriſtum ſemper egiſſe in Dei Patris nomine, ipſum ab initio converſatum, ipſum congreſſum cum Patriarchis & Prophetis filium creatoris, ſermonem eius, quem ex ſemetipſo proferendo Filium fecit & exinde omni diſpoſitioni ſuæ voluntatique præfecit.* Adverſus Praxeam cap. 16. *Filius ad humana ſemper colloquia deſcendit ab Adam uſque ad Patriarchas* &c. Adverſus Marcionem lib. 3. cap. 9. *Chriſtus cum Angelis apud Abraham in veritate quidem carnis apparuit, ſed nondum natæ, quàm nondum moritura, ſed & dicentis iam inter homines converſari.* Nondum natam carnem Tertullianus eam vocat, quam Filius Dei per nativitatam ex B. Virgine aſſumere debuerat. Sic Tertullianus, qui dum adverſus Praxeam cap. 14. ſcribit, *Patrem inviſibilem eſſe pro plenitudine maieſtatis, viſibi-*

viſibilem verò Filium pro modo derivationis, hactenus quidem ultra metas nequaquam provehitur,neque modum excedit. Non enim intelligit derivationem æternæ generationis,ſed temporariæ communicationis , qua Deo bene placet in Filio & per Filium diſpenſationem bonitatis æternæ etiam per apparitiones extra ordinem facere. Aliàs in eodem cap. is diſertè fatetur, *Filium ſuo nomine eatenus inviſibilem , qua ſermo & Spiritus Dei , ex ſubſtantiæ conditione etiam nunc,& quia Deus, & ſermo,& ſpiritus: viſibilem autem fuiſſe ante carnem eo modo,quo dicit ad Abraham & Mariam &c.* Quod Dominus Succenſor noſter non debuiſſet neglexiſſe. Novatianus eodem ſeculo,inter Tertulliani opera,*de Trinit.* ſcribens Sirmienſi decreto omnino præluxit. Sic enim ait c.26. *Ecce idem Moſes refert , quod Abrahæ viſus ſit Deus. Atquin idem Moſes audit à Deo,quod nemo hominum Deum videat & vivat. Si videri non poteſt Deus,quomodo viſus eſt Deus? aut ſi viſus eſt,quomodo videri non poteſt? nam & Iohannes;* Deum nemo , *inquit*, vidit unquam. *Et Apoſtolus Paulus,* Quem vidit hominum nemo , nec videre poteſt. *Sed non utiq; ſcriptura mentitur. Ergo verè viſus eſt Deus. Ex quo intelligi poteſt , quod non Pater viſus ſit,qui nunquam viſus eſt,ſed Filius , qui & deſcendere ſolitus eſt,& videri , quia deſcenderit. Imago eſt enim inviſibilis Dei , ut mediocritas & fragilitas conditionis humanæ Deum Patrẽ videre aliquando iam tunc adſueſceret , in imagine Dei,h.e.in Filio Dei. Gradatim enim & per incrementa fragilitas humana nutriri debuit per imaginem ad iſtam gloriam, ut Deum Patrem videre poſſet aliquando* &c. Et poſt. *Adhuc adiecit Moſes Abrahæ viſum Deum apud quercum Mambre, ſedente ipſo ad oſtium tabernaculi ſui meridie : & nihilominus cum tres conſpexiſſet viros,unum ex illis Dominum nuncupaſſe , quorum cum pedes laviſſet,cineritios panes cum butyro & ipſius copia lactis offert,& ut hoſpites retenti veſcerentur,hortatur. Poſt quæ & quod Pater futurus eſſet , audit , & , quod Sara uxor eius paritura ex ipſo filium eſſet,ediſcit,& de exitu Sodomitarum, quæ merebantur pati,recognoſcit, & quod propter clamorem Sodomorum Deus deſcendiſſet, addiſcit. Quo in loco ſi patrem volunt videri tunc fuiſſe cum angelis duobus hoſpitio receptum,patrem viſibilem hæretici crediderunt. Si autem angelum , cum ex angelis tribus unus Dominus nuncupatur,*

quod non ſolet, Angelus Deus dicitur? niſi quoniam ut Deo Patri inviſibilitas propria reddatur (non ex proprietate naturæ, ſed ex ſolennitate & beneplacito manifeſtandi) *& angelo propria mediocritas remittatur, non niſi Dei Filius, qui & Deus eſt, Abrahæ viſus & hoſpitio receptus credatur. Quod enim erat futurus, meditabatur in ſacramento Abrahæ factus hoſpes, apud Abrahæ filios futurus, cuius filiorum pedes ad probationem, quod ipſe eſſet, abluit, reddens in filiis ius hoſpitalitatis, quod aliquando illi fœneraverat Pater.* Ita Novatianus, nihil contra analogiam fidei locutus. Origenes eodem ſeculo Sirmienſi ſynodo prævivit *hom. 4. in Geneſ.* cum inter cætera ait: *Quid ergo poſt tantum ac tale convivium, quod Abraham Domino & Angelo exhibuit? Proficiſcuntur hoſpites. Dominus autem dixit* &c. Et poſt. *Deſcendit ergo Dominus non ſolum curare, ſed etiam portare, quæ noſtra ſunt. Formam namque ſervi accepit, & cum ipſe inviſibilis ſit naturæ, utpote æqualis Patri, habitum tamen viſibilem ſuscepit* &c. Præluditurne his verbis Arianiſmo ab Origene, ut Succenſor noſter excipit? Eodẽ ſeculo S. Cyprianus Martyr *lib. 2. adv. Iudæos c. 5. Angelus & Deus Chriſtus in Geneſi ad Abraham* &c. Eodem ſeculo Antiochena ſynodus contra Paulum

Baron. A. 265, 10; & 272, 1. Samoſatenum ita Sirmienſi aſſertioni prævivit *in ep. ſynod.* ποτὲ μὲν ὡς ἄγγελος, ποτὲ δὲ ὡς κύριος, ποτὲ δὲ Θεὸς μαρτυρούμενος, τὸν γὰρ μὲν Θεὸν τῶν ὅλων (ita ſingulariter Deum Patrem vocarunt, non quod Filius non eſſet Deus univerſorum, ſed quod Deus Pater Fons eſſet Divinitatis) ἀσεβὲς ἄγγελον νομίσαι καλεῖσθαι. Ὁ δὲ ἄγγελος τοῦ πατρὸς ὁ υἱός ἐστιν, αὐτὸς κύριος καὶ θεὸς ὤν. γέγραπται γὰρ μεγάλης βουλῆς ἄγγελος. *Aliquando quidem ut Angelus, aliquando ut Dominus, aliquando vero ut Deus in ſcripturæ teſtimoniis proponitur. Nam Deum univerſorum impium eſſet credere angelum dici. Angelus vero Patris eſt Filius, qui & ipſe Dominus ac Deus eſt. Scriptum eſt enim magni conſilii angelus.* Atque ita trium primorum ſeculorum conſenſum in interpretatione pulcherrimæ apparitionis Abrahæ factæ ante ſe habuerunt Sirmienſes præſules, & contradicentem ex Orthodoxis neminem, ſi ſummam rei ſpectaverimus. Poſt *quartum ſeculum* nullo communi ſuffragio Sirmienſis ſententia ex poſſeſſione deturbata eſt. Nam in *quinto ſeculo* circa annum Chr. 420. *lib. 1. hiſt. ſacr. cap. 8. pag. 31.*

edit.

Digitized by Google

edit. Antverp. Sulpitius Severus ait: *Cum Abraham eſſet annorum centum, uxor autem eius nonaginta, futurum eis filium Iſaac Dominus pollicetur, qui cum duobus angelis ad eum venerat.* Paulinus Nolanus ep. 4. ad Severum; *Abraham*, inquit, *fidei Pater, tunc etiam Chriſti pedes lavit, quem unum de tribus propheticis videns oculis adoravit.* Sed & Sirmienſis ſententia eadem ſeculo adhuc obtinuit apud Cyrillum Alexandrinum, illuſtre contra hæreticos lumen, *lib. 3 theſauri cap. 2.* Sic enim ait: *Si non fuerat ſecundum vos ſemper Filius, aut ſi erat quidem, ſed melior poſtea factus eſt*, &c. *quomodo adorabilis poſtea factus eſt, qui à principio id habuiſſe videtur? adoravit enim ipſum Abraham in ilice Mambre, & Moſes in rubo, dicentem, ego ſum qui ſum.* Et *lib. 9. theſ c. 3. Quod autem Filius Dei ſemper & Rex & Dominus erat, inde cognoſcet, quod Abraham Dominum eum appellans adorabat, & Moſes ſimiliter.* Cui non refragatur Cyrillus, cum *contra Iulianum Apoſtatam lib. 1. fol. 5.* tres iſtas perſonas imaginem quandam geſſiſſe Trinitatis aſſeverat, quod & repetit *fol. 68.* b. modo id largiatur, inter illas tres perſonas fuiſſe Filium Dei ſingulari quadam φανερώσει ſe manifeſtantem. Cyrillo coætaneus Theodoretus *in Geneſ q. 78. ad Gen. 18.* Sirmienſem ſententiam ſequitur, cum ait: *Angeli & ipſi & eorum Dominus viſi ſunt habere corpora* &c. Johannes Caſſianus ſubſcribit *de incarnat. lib. 4. cap. 9.* Filius *unus eſt ad Patriarchas loquens* &c. & rurſus. *Pater non niſi in Filio tantum viſibilis eſſe dicitur* &c. Eodem ſeculo Iſidorus Peluſiota ad hanc ſententiam alludit *lib. 3. ep. 188. & 264.* & Leo Papa *ep. 13. Filius Dei*, inquit, *Patriarchis in ſpecie carnis apparuit, cum ſermonem conſeruit, cumve officia hoſpitalitatis non abnuit, vel etiam appoſitum cibum ſumſit.* Salvianus *de gubernat. Dei lib. 1.* eodem etiam reſpicit, cum ait, Dominum circa Abrahamum fuiſſe *invitatorem, dum vocat; ductorem, dum ad ignota perducit; ſolicitum, dum ad ilicem viſitat; ſponſorem, dum futura promittit* &c. Et propagata eſt iſta Sirmienſis ſententia in *ſeptimum* uſque *ſeculum*, in quo Iſidorus Hiſpalenſis *lib. 1. ſentent. cap. 12. num. 23.* ſcribit: *Vbicunque in ſcripturis ſanctis pro Deo Angelus ponitur, non Pater, non Spiritus ſanctus, ſed pro incarnationis diſpenſatione ſolus Filius intelligitur.*

Digitized by Google

Abit à Sirmienſi ſententia B. Auguſtinus. Laudat hoc in eo Cornelius Janſenius Iprenſis Epiſcopus *Tom.* 2. *de Ratione & Anthoritate libro procemiali cap.* 12. cum ait: *Auguſtinus primus Patrum Divinitatem Filii Dei adverſus Arii machinas ita ſtabilivit, ut primus mirabili quodam ratiocinationis acumine primarium ſubverterit fundamentum, quo totus Arianiſmus natus creverat, adultus que nitebatur. Quamvis enim Nicana ſynodi autoritate proſtratus, multorumque Patrum vulneribus confoſſus, Auguſtini atate ſemimortuus palpitaret, nemo tamen radicem erroris exciderat, nec ſententiam illius exhauſerat obiectionis, qua totius inſtar hareſeos virus exhalabat. Nihil enim perinde hareſiarcham Arium doctiſſimosque qui eum ſequebantur Antiſtites fefellit, quam quod in Eccleſia naſcentis exordiis Patres trium ſeculorum antegreſſi Iuſtinus, Irenaus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Cyprianus, & poſtea alii, Athanaſius, Euſebius, Hilarius, Baſilius, Chryſoſtomus, Epiphanius, Ambroſius, Theodoretus, unanimiter docerent, apparitiones illas Dei crebras, qua in V. narrantur Teſtamento, non de Patre, quod eſſet inviſibilis, ſed de Dei Filio intelligendas eſſe. Itaque Concilium quoddam Orientalium Epiſcoporum Sirmienſe, quod adverſus Photinum congregatum fuit, anathema dixit iis, qui dicebant, non Filium Abraha viſum, vel cum Iacob luctatum eſſe, ſed Deum innaſcibilem, quemadmodum apud Hilarium videre licet. Hinc ergo continuo ſectarii inferebant, ex iſtorum Patrum autoritate, Filium Patre minorem eſſe, quod viſibilis factus internuncii vice ad homines pro Patre tot ſeculis functus eſſet.* Hæc, *inquit S. Ambroſius lib. de Filii div. cap.* 8. eſt cauſa erroris, hæc origo hæreſis Arianæ. *Quod & Athanaſio & Gregorio Nazianzeno, vel iis certè, qui librorum ad Theophilum & orat.* 49. *apud Nazianzenum autores ſunt, tantopere placuit, ut hac eadem verba vel Ambroſio praformaverint, vel ex Ambroſio in ſua ſcripta tranſtulerint. Cum igitur illud ex Ambroſio praceptore ſuo didiciſſet Auguſtinus, adverſus conſtantem pracedentium ſententiam, magno auſu, maiore conſtantia ſubnixus, ſcripturarũ pondere & rationum graviſſimarum acumine ac textura, primus panſis velis in libr. de Trinitate demonſtravit, omnes apparitiones illas V. T. non Deo, ſed Angelo eſſe tribuendas. Qua cauſa fortaſſis fuit, cur libros illos tot annos ſuppreſſerit, ne forte nimis pracipiti audacia illam tot Patrum antiquorum*

Digitized by Google

rum ſententiam, *atque una præcipuum Arianorum præſidium ſubvertiſſe videretur.* Fatetur Janſenius, *primum* Auguſtinum deviaſſe ab *unanimi* quatuor ſeculorum ſententia. In eo autem I. vehementer fallitur, quod dicit, *Patres ante Auguſtinũ unanimiter ex ea cauſa ſtatuiſſe, apparitiones Vet. T. eſſe Filio adſcribendas, quia Pater ſit inviſibilis.* Diſcrimen inter Patres ſtatuit Dionyſ. Petavius *de Trinit. lib. 8. num. 3. & 5. cap. 2.* Aliquos nimirum ſtatuiſſe, *ex divinis perſonis ſolum apparuiſſe verbum*, *Patrem verò neque viſum à quoquam ſub ulla corporea & ſenſibili forma, neque videri omnino poſſe*: his annumerat Juſtinum, Origenem, Tertullianum, Novatianum, Hilarium. Aliquos dixiſſe, *cum Filium non minus quam Patrem ſuapte natura & ſubſtantia inviſibilem eſſe tenerent*, *ſolum tamen filium priſcis viſum fuiſſe ſpecie aliqua corporis obductum. Patrem autem ſive videri hoc modo & ipſe poſſet, ſive non poßet*, *nunquam in conſpectum veniſſe.* His accenſet Irenæum, Euſebium, Patres Antiochenos, Athanaſium, Cyrillum Hieroſolymitanum, Baſilium, Chryſoſtomum, Cyrillum Alexandrinum, Theodoretum, Hilarium, Ambroſium, Prudentium, Leonem, Iſidorum Hiſpalenſem. Quanquam etiam ex prioribus Patribus, quos deſignat Petavius, nullus negat, Filium Dei inviſibilem eſſe ex naturæ & eſſentiæ perfectione. Sane ſi in myſterio SS. Trinitatis confitendo ſinceri fuerunt Juſtinus Martyr & alii, uti Succenſor meus profitetur, non potuerunt illi quidem perfectionem ſummæ ſimplicitatis, ſpiritualitatis & inviſibilitatis Filio Dei detrahere, aliàs alterius naturæ & eſſentiæ Filium, quam Pater eſt, conſtituturi fuiſſent. *Janſenius refellitur.*

Neque verò II. applauſum tantum Auguſtinus conſecutus eſt ex illo arrepto theoremate, quantum meruiſſet, ſi tantum Arianis intuliſſet damnum, aut tam penitus eorundem haſtas amentaſſet. Notavimus in quinto ſeculo ab eo diſſentientes fortiſſimos Arianorum oppugnatores aliquot. Et vix aliquis eſt eo ſeculo, qui ſuffragetur. Tribuuntur quidem *Eucherio* Lugdunenſi eius ætatis Epiſcopo *libri explanationum in Geneſin*, in quibus negatur, unum ex tribus viris apparentibus Abrahæ fuiſſe Dominum & Dei Filium. *vide lib. 2. cap. 27. pag. 85.* Sed ſciendum eſt, quod & alii annotarunt, illos libros non poſſe eſſe Eu- *Bellarm. de ſcriptor. Eccleſ. pag. 218.*

Eucherii. Et conferenti manifeſtum fit, Eucherio & Bedæ multa in his explanationibus eſſe communia. At hæc Eucherius eos impugnat potiſſimum, qui ex hoc loco confirmare audent, Chriſtum etiam ante indumentum carnis fuiſſe viſibilem. Ipſe aliàs nobis hanc maximam relinquit: *Eſt divinæ poteſtatis & divinæ, incorporalis, immutabilisque naturæ, ſine ulla etiam ſui mutatione, etiam mortalibus aſpectibus apparere, non per id quod eſt, ſed per id, quod ſibi ſubditum eſt. Quid autem ſibi ſubditum non eſt?* Hieronymus *Com. ad Gal.* 3, 19. quem Succenſor adducit tanquam Auguſtino præeuntem *ſeculo quarto*, non habet Auguſtini ſententiam. Ait is: *In omni Vet. Teſt. ubi Angelus primum viſus refertur & poſtea Deus loquens inducitur, angelus quidem verè ex miniſtris pluribus quicunque ſit viſus, ſed in illo mediator loquebatur.* Non negat apparitionem ſingulariter in perſona Filii Dei contigiſſe, etiamſi dicat, Angeli miniſterium aſſumtum. Non negat angelum increatum in illa ſpecie præſentata peculiariter fuiſſe, & angelum miniſtrum ſibi appropriaſſe, & ex ſua perſona rexiſſe. Ideò quia in angeli perſona locuta eſt divina perſona, intelligendum mediatorem cenſet Hieronymus. Sic argumentum pro Deitate Filii relinquit integrum & inviolatum. Aliàs Hieronymus noſter eſt. Confer Comment. in Eſa. 7, 15. & Dan. 9, 15.

Hieronymus dilucidatur.

Fulgentius *in ſexto ſeculo* ſententiam Auguſtini non complectitur. Diſputat autem contra hæreticos, *nitentes*, (ut ait *lib.* 2. *ad Monimum fol. m.* 16.) *Patris & Filii diverſam docere ſubſtantiam, atque ideo omnes corporearum rerum conſpicabiles formas, quas ad inſinuandam ſe hominibus omnipotentiſſima Deitas, creaturæ totius Domina, ſicut voluit & congruere temporibus, locis ac perſonis noverat, cooptavit, filio tantummodo exiſtimantes deputandas, indeque aſſerentes inæqualem Patri atque imparem Filium, quod eius natura capax mutabilium potuerit eſſe formarum, & tanquam eo naturaliter eius divinitas viſibilis fuerit, quo ſe ad infirmas hominum mentes viſibilibus rebus demonſtrare non ſprevit.* Sed hæc ſententia longiſſimè abeſt à noſtro ſenſu & S. Hilarii mente, quam ex antiquitate præcedanea, imò ex fontibus divinarum literarum hauſit, & in ſecula poſteriora ſparſit. In idem ſeculum collocat Bellarminus Procopium Gazæum, cuius & Photius in

Fulgentius explicatur.

Bibli-

Digitized by Google

Bibliotheca meminit. Is *Comm. h. l.* ſententias commemorat. *Quidam*, inquit, *perhibent, tres illos viros fuiſſe tres angelos. Alii illos Iudaizare aſſirmant, qui non credunt ex tribus illis unum eſſe Deum, reliquos duos in angelorum numerum eſſe referendos. Nec quoque deſunt, qui docent, hiſtoriam illam eſſe typum ſanctæ & conſubſtantialis Trinitatis.* Poſterioris ſententiæ rationem Procopius refellit: quod *ad tres viros dicatur, Domine, declarari unitatem ſubſtantiæ: quod tres viri appareant, inſinuari perſonarum Trinitatem*: notat, in fontibus non eſſe tetragrammaton. Sed poſt pro ſecunda ſententia militat, & obiectionem contra eam factam, *quod Deus non poßit habere formam viri, cum ſit incorporeus, nec ulla forma delineari poßit*, *ſolvit*: Nimirum, *Deũ aliquando in flamma ignis comparuiſſe, ſicuti hoc loco ſub ſpecie & forma virili ſe videndum exhibet. Nam eum ſe viſui præbere vult eo modo, quo percipi poteſt ſenſu, ſe videndum offert, atque hominibus, quibus videri vult, ſeſe accommodat. Impoßibile enim eſt, humanis oculis videre & contueri eum, ut revera eſt. Viſus quidem noſter clarus eſt, nec fallit. Sed puram illam eſſentiam divinam perſpicere nequeunt. Huic non diſſimile eſt, quod ſcribunt Deum ediſſe. Nam quod traditur ediſſe, non imaginem quandam apportat vel præſtigium inducit, ſed ſignificat, ea, quæ appoſita erant, divina virtute quadam abſumta eſſe. Deus non edit; de quo dicitur: num carnes vitulorum comedam? Sic quoque conſpectus eſt in forma corporis, nec tamen illud corpus mortalis corporis habuit proprietatem. Non enim vel carne vel ſanguine conſtitit. Ad eum modum ſpiritus ſanctus in noſtrum conſpectum venit in ſpecie columbæ* &c. Sic Procopius in enarrationibus, quas, ut ait Sixtus Senenſis Bibl. ſanct. lib. 4. *ex patribus orthodoxis aliisque Græcis autoribus magna diligentia comportavit, ſecutus varia monumenta & homilias piorum hominum.* In eodem ſeculo VI. à ſententia Auguſtini abit Venantius Fortunatus Epiſcopus Pictav. *lib. 5. carm.* 4. ad Gregorium, cum ait: *Procopius Gazæus.*

Legifer hoc reboat, Patriarcha hoc reddit Abraham.
Hinc Pater eſt nobis, eſt quia noſtra fides.
Tres videt æquales, unum veneratus adorat,
Unum voce rogat, tres quoque pelve lavat.

Grego-

Gregorius M. *in Evang. hom.18.fol.120.c.* ait : ***Abraham tum diem Domini vidiſſe , cum in figura ſummæ Trinitatis angelum hoſpitio recepit.*** Idem aſſerit *lib. 9. Moral. in Jobum c. 51.* Nihil aliud dicit, quam in eiuſmodi apparitionibus divinis obiectum quaſi compoſitũ fuiſſe ex eo, quod viſibile eſt, & ex inviſibili; à viſibili, lobiectum nanciſci angeli appellationem ab inviſibili , ſi ſummum ſit & infinitum, Domini. Illud autem noſtræ ſententiæ non adverſatur. Largimur, Filium Dei non ex inviſibili maieſtate , ſed ex viſibili diſpenſatione & eo, quod ſive παραστατικῶς, ſive ὑποστατικῶς aſſumit , angeli appellationem nanciſci. Aphoriſmum autem, quem *in Iobi cap. 38. lib. 28. Moral. cap. 6.* habet : *Scriptura ſacra nunquam Patrem, nunquam Spiritum ſanctum, & non niſi per incarnationis ſuæ prædicationem Filium angelum vocat*, ex eo formavit, quia perſuaſum habuit Gregorius M. angelos in Veteri Teſtamento licitè fuiſſe adoratos, quod non amplius permiſſum ſit in Nov. Teſtamento: hinc ubi angelos in apparitionibus olim adoratos legit, de creatis angelis interpretari potuit. Sic *in Cantic. Cantic. cap. 8.* *Poſtquam Chriſtus venit , & fidelibus ſuis libertatem infudit , ab ipſis etiam angelis Eccleſia honoratur. Hinc eſt, quod Ioſue Angelum adoravit , Iohanni verò volenti ſe adorare , dixit angelus, vide ne feceris , conſervus tuus ſum.* Et *in Evang. homil. 8.* *Quid eſt , quod ante redemptoris adventum angeli ab hominibus adorantur & tacent, poſtmodum verò adorari refugiunt : niſi quod naturam noſtram, quam prius deſpexerant, poſtquam hanc ſuper ſe aſſumtam conſpiciunt, proſtratam ſibi videre pertimeſcunt. Nec iam ſub ſe velut infirmam contemnere auſi ſunt , quam ſuper ſe videlicet in cœli Rege venerantur. Nec habere indignantur hominem ſocium, qui ſuper ſe adorant hominem Deum.* Et *in cap. 37. Iobi, Moralium lib. 27. cap. 11.* ait: ***Ante incarnationem Filii Dei in Teſtamento Veteri adoraſſe homo angelum legitur, nec tamen adorare prohibetur; ſed poſt mediatoris adventum , cum ſe adorando angelo proſtraviſſet, audivit , vide ne feceris , conſervus ſum.*** Inferiorum ſeculorum ſcriptores Auguſtini ſententiam parum ſuffulcire poſſunt. Evidenter autem falſum eſt, metu inſidiarum Arianorum eos ſe magis providè geſſiſſe & ad exemplum Auguſtini compoſuiſſe, atq; ideò apparitiones per angelos factas fuiſſe docuiſſe. Beda præterea

Gregor. M. notatur.

Digitized by Google

ter ea, quæ Eucherius Lugd. & alii habent, nihil adfert. Nobis certè nihil adverſatur. *In tribus viris*, inquit, *qui venerunt ad Abrahamum, Domini noſtri Ieſu Chriſti prænunciabatur adventus, cum quo duo angeli comitabantur* &c. Et poſt. *Quod verò Abraham tres vidit, & unum adoravit, Dominum ſcilicet Salvatorem oſtendens, cuius iam adventum eſt præſtolatus, iuxta quod in Evangelio Dominus ait, Abraham quæſivit videre diem meum, vidit & gaviſus eſt. Tunc enim futuri aſpexit myſterium ſacramenti.* Sed hic non vacat alios expendere, quos *Succenſor* imperioſus ex ſeculis inferioribus pro ſtabilienda Auguſtini authoritate adducit.

Adde III. neq; Arianos in principio & præſertim tempore Sirmienſis ſynodi ex iſtis apparitionibus auſos fuiſſe probare, vel Filiũ Dei ſua natura viſibilem eſſe, vel eundẽ non eſſe ſumum Deũ. Imò contra Patres ex illa ipſa apparitione Divinitatem Filii Dei graviſſimè elicuerunt. Videantur loca ſupra annotata p. 140. 141.

Deniq; IV. ipſa diſputatio Auguſtini inſignem aliquẽ fructum novatæ ſententiæ cõmunis nullatenus oſtendit, niſi contra eos dirigatur, qui Filio Dei præ Patre & Spiritu ſancto peculiariter aptitudinem ad videndum tribuerunt. Auguſtinus *lib. 3. contra Maximinum Arianorum Epiſcopum c. 26.* in hanc diſputationem incidit. Nolumus nunc integram retexere, quæ ad aliam occaſionem reſervanda eſt. Quatenus Canonem noſtrum concernit, eam percurremus. Maximinus obiecit, *Deum viſum Abrahæ ad quercum Mambre.* Regerit Auguſtinus, *ſcripturam non exprimere, Pater, an Filius viſus fuerit; quia tres viros Abrahæ apparuiſſe declarat, magis Trinitatem intelligi poſſe, apparere, in principio eos tanquam homines & viatores receptos fuiſſe, quibus aliàs fruſtra tale præberetur obſequium, mox propoſitis promiſſionibus beneficiorum ſublimiorum modum loquendi mutari, & circa illas ſemper cum uno colloquium eſſe. Illum Dominum appellari, qui Abraham ſervum ſuum appellat, quem nihil celare poſſit, qui & numeroſam poſteritatem promittit, qui ei Sodomorum interitum denunciat, qui ipſe ſtans apud Abrahamum permanet; & duos angelos Sodomam dimittit. Non certum eſſe, an is, qui ſteti apud Abrahamum, poſtquam ab eo diſceſſit, venerit Sodomam & duobus præmiſſis ſe ſociaverit; dici quidem, Dominum deſcenſurum Sodomam & de clamore infami cogniturum, ipſum tamen abiiſſe*

Digitized by Google

tantum ab Abrahamo dici, non autem deſcendiſſe niſi angelos duos, non autem conſtare, in illis duobus angelis unum fuiſſe Dominum, & nihilominus alterutrum ſaltem ex illis ut Dominum compellari. Manifeſtum autem eſſe, non tam viros, quam illum, quem ſub viris delitescere intellexit Abraham & Lothus, in adoratione reſpexiſſe. Eum eſſe SS. Trinitatem; ſignificari per tres viros, duos quos Loth vidit deſignari Filium & Spiritum ſanctum, quoniam ſe illi angeli miſſos eſſe dixerunt. Solum Patrem non legi miſſum, neque cum miſſus legitur vel Filius vel Spiritus ſanctus, exinde diverſitatem naturæ inter eos aut Patrem colligi, ſicut nec tres viri Abrahæ apparentes diverſæ naturæ fuiſſe legantur: dum itaque Arianus Deum Abrahæ viſum obiicit, ut Filium ſolum viſum perſuaderet, non indicaſſe eum, quomodo Filius ſit viſus, ne dum illa viſio nihil, quod Filium peculiariter indicat, oſtendit, non ſolus Filius, ſed Trinitas ille Dominus intelligeretur. Non reſpicere Filium Dei ad hanc theophaniam Abrahæ factam Ioh. 8, 56. tum quia Chriſtus non dicit, Abrahamum cupiviſſe videre Chriſtum &c. ſed diem Chriſti, tum quia non loquitur de viſione corporali. Ita in hac materia Auguſtinus cum Maximino verſatur. Nec aliter hanc viſionem tractat *T. 3. de Trinitate cap.* 10. *&* 11. Quid hoc ad Arianiſmum ſubvertendum funditus? Quanto felicius ex iſta viſione perſona divina Filii concludatur, docuerunt veteres plurimi, & ex illis prolixè D. Jac. Martini *de 3. Elohim lib.* 1. *cap.* 15. *& ſeqq.* Longè compendioſius fuiſſet, antiquiſſimæ ſententiæ inſiſtere, negare autem ex eiuſmodi apparitionibus viſibilitatem aut inferioritatem aliquam in apparente ex natura ſua conſiderato concludi poſſe. Non illam, quia ne angeli quidem ſic apparentes in ſe ſunt viſibiles, ſed omnino inviſibiles; non hanc, quia in perſonarum divinarum libertate poſitũ ſit, apparere, vel non apparere. Sed & diſtinctioné adhibere neceſſe fuiſſet, inter apparere ſimpliciter, & inter apparere per modum angeli peregrinantis, corpore aſſumto hinc inde ſe moventis. Apparere Deo Patri nequaquam veterem Theologiam denegaſſe. Imò in V. Teſtam. eundem apparuiſſe, exempla eſſe notabilia. Apparere autem poſteriori modo, propter ordinem & originem perſonarum, in primam SS. Trinitatis non quadrare. Sed hæc lumen accipient ex Canone 15, ordinis noſtri, qui eſt 16. Hilarii.

D. Selneccer. Comm. h. l.

D. Behm. diſſ. de æternitate Filii Dei cap. 86. *p.* 264.

Digitized by Google

B. Lutherus *Comm. in Gen. h. l.* Auguſtini ſententiam ſequitur, ſed nequaquam cum inſectatione aut reprobatione antiquioris, quã ſynodus Sirmienſis amplexa eſt. Ph. Melanchthon a. Sirmienſem ſecutus eſt, nihil quicquam contradicente B. Luthero. Eum paſſim Theologi ſequuntur. Et Sirmienſis ſententia clarè probatur ab ipſo Luthero Tom. 4. Jenenſi German. fol. 105. b. ubi ex tribus viris duos angelos fuiſſe, unum perſonam divinam & quidem incarnatam docet. Eſtque hæc communis ſententia. D. Theod. Berckelmannus Prof. Helmſtadienſis & Abbas Amelunxbornenſis *diſſert. bibl. 2. θ. 47.* contra D. Calixti Epit. ait. *Si Iehova unus Deus, vel potius Dei Filius ſecunda Divinitatis perſona cum duobus angelis comitibus (ut patet Gen. 18, 33. c. 19, 1.) ſub ſpecie trium virorum Abrahamo apparuit, non autem tres Divinitatis perſonæ, haud ſolidum ex h. l. deduci poteſt argumentum ad probandum SS. Trinitatis myſterium.* Diviſio ſanè trium virorum, in Jehovam orbis Judicem, & angelos nimis clara eſt.

CANON 15. apud Hilarium, qui eſt ſupra *ſect. 2. cap. 1. nobis* 14. pariter tanquam per omnia ſenſui & conſenſui Eccleſiæ conſonus ſine ulla animadverſione tranſmittitur. Confirmatur prolixè ab eo *l. 5. de Trinitate p. 73. & ſeqq.* Eandem, quam Sirmienſis Canon contra Photinianos vindicat, παρέργως etiam cõtra Arianos diligenter pro aſſerenda Filii Dei ſumma Deitate urget Athanaſius *orat. 4. contra Arianos T. 1. operum p. 260. & p. 263. & in epiſt. de ſynodis Arimini & Seleuciæ p. 714.* quod habet & Euthym. Zigabenus *in Panopl. part. 1. tit. 11. pag. 285.* In eodem ſeculo ſuffragatur Euſebius *Demonſtr. Evang. lib. 5. cap. 11. p. 398.* Phœbadius Aginnenſis contra Arianos 34. & 35. Baſilius contra Eunom. *l. 2. p. 329.* Greg. Nazianz. *orat. 2. de theol. p. 46. edit. Leunclav.* Epiphanius *lib. 1. adv. hæreſ. n. 8. edit. Petav. p. 10.* Ambroſius illius ſeculi ſenſum pulchrè repræſentat, *lib. de fide contra Arianos cap. 8. Tom. II. op. p. 575. Iacob filium Dei alibi in angelo, alibi æquè videt in homine. Qui ideo ſe in angelo demonſtravit, ut nuncium ſe magni conſilii indicaret. In homine vero, cum quo & colluctatus fuiſſe dicitur, ut imaginem futuræ colluctationis, quam cum Iſrael habiturus erat, cum ſecundum hominem adveniſſet, indicaret, ſed ut Dominum crederet, cum quo tanto certamine ſub figura hominis luctabatur, Iſrael, id eſt, homo videns Deum, nomen accepit. Vidi in-*

Canon 15. explicatur ex quarto ſeculo.

Digitized by Google

di, inquit, Deum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea. *Et ut qui figuram hominis viderat, quam Deus Dei Filius induerat, Moſi in rubo in flamma ignis apparuit, ut lumẽ credentibus, incredulis iudicium demonſtraret* &c. Hieronymus *qq. Hebr. in Gen.* duas ſententias refert, & quæ de Deo, & quæ de Angelo interpretatur, ſed ſine ἐπικρίσει. Sed *Comm. in Oſee* 12, 3. 4. In fortitudine tua directus es cum angelo, vel vincens adverſarias fortitudines, vel roboratus benedictionibus angeli, qui ipſe eſt DEUS &c. Joh. Chryſoſtomus disertẽ *homil. 58. in Geneſ.* ubi, *Magna miſericordia Domini, quoniam occurſurus erat Iacob fratri, ut ſciret reipſa, quod nihil aſperum laturus eſſet, in figura hominis luctari cum iuſto voluit,* &c. & poſt. *Vidiſti, quomodo infirmitati humanæ Dominus ſeſe attemperans, omnia agit & tractat, ut ſuam miſericordiam declaret. Etne admireris dilecte, quod tanta humiliationis illius magnitudo; ſed cogita, quod & Patriarchæ, cum apud quercum ſederet, in hominis figura cum angelis hoſpes fuerit, præſignans nobis iam multo antea & ab initio, quod humanam naturam ſuscepturus eſſet, ut ſic omnem humanam naturam à Diaboli tyrannide liberaret & ad ſalutem reduceret. Verum tunc quidem, quoniam initium & principia erant, in figura unicuique illorum apparebat, quando autem dignatus eſt Dominus formam humanam ſuscipere & primitias noſtras recipere, non putativam, neque apparentem tantum carnem, ſed veram induit* &c. Atq; in iſtis ſuffragationibus Eccleſiæ *quarti* poſt Chriſtũ natum *ſeculi* effloruit Sirmienſis ſynodi iſte canon.

In ſecundo ſeculo. In *ſecundo ſeculo* Sirmienſis ſententia circa luctatorem Angelum iam floruit in Juſtino Martyre; qui *in dialog. cum Tryphone Iud. p.* 219. Jacobo *fugienti fratrem Eſauum apparuit iſte & angelus, & Deus, & Dominus, qui & Abrahæ in forma viri conſpectus & in ſpecie hominis cum Iacobo luctatus eſt.* Et poſt. *Idem ipſe & angelus, & Deus, & Dominus, & homo, & vir, Abrahæ & Iacobo viſus, in igne flammæ è rubo apparuit,* &c. Atque hæc in eodem

In tertio ſeculo. ſeculo eſt ſententia Irenæi. Cui in *tertio ſeculo* ſuffragatur ſupra à nobis adductus Tertullianus, *adverſus Praxean,* qui & c. 16. inquit: *Filius eſt, qui ab initio iudicavit, turrim ſuperbiſſimam elidens, linguasque diſperdens, orbem totum aquarum violentia puniens, pluens ſuper Sodomam & Gomorrham ignem & ſulphurem, Dominus*

à Domi-

Digitized by Google

à Domino. Ipſe enim & ad humana ſemper colloquia deſcendit, ab Adam uſque ad Patriarchas & Prophetas, in viſione, in ſpeculo, in ænigmate, ordinem ſuum præſtruens ab initio ſemper. Qua erat perſecuturus infinita, ſemper ediſcebat, & Deus in terris cum hominibus converſari non alius potuit, quam ſermo, qui caro erat futurus. Ediſcebat autem, ut nobis fidem ſterneret, ut facilius crederemus, Filium Dei deſcendiſſe in ſeculum, ſi & retrò tale quid geſtum cognoſceremus. Novatianus autem *de Trinitate cap.27. toto* pro ſententia Canonis Sirmienſis pugnat, rationibus è textu erutis graviſſimis, *quia* is, qui in ſpecie humana cum Jacobo colluctatur, nominis mutationem, more Dei aliàs exhibito, facit: *quia* indicat Jacobo, illum cum Deo luctantem prævaluiſſe: *quia* à Jacob loco nomen imponit, viſio Dei: *quia* Jacob ab hoc benedictionem poſtulat, &c. Atque ita docuerunt Origenes & Cyprianus, ut ex ſuperioribus conſtat. Clemens Alexandr. *lib.* 1. *Pædagog. cap.* 7. *pag.*144. Noſter *pædagogus ſanctus Deus Ieſus. Is Iacobi pædagogus eſſe cernitur evidentiſſimè. Cum eo autem colluctari quoq; dicitur. Remanſit autem*, inquit, *Iacob ſolus & colluctabatur cum eo homo, nempe pædagogus, uſque in matutinum. Hic erat homo, qui agebat & ferebat, qui unà exercebatur, & exercitatorem Iacob adverſum malignum inungebat. Quod autem verbum eſſet, qui erat unà cum Iacob alyptes & inunctor & pædagogus humana natura, ex hoc ſciri poteſt.* Interrogavit, *inquit*, ipſum & dixit, Enuncia mihi, quod ſit nomen tuum. Et dixit, cur interrogas nomen meum, &c. In *quinto*, quo Auguſtinum novaſſe Janſenius dixit, *ſeculo* perſtiterunt in Sirmienſis ſynodi ſententia Paulinus Nolanus *lib.* 1. *epiſt.* 2. *ad Severum fratrem pag. m.* 84. Sulpitius Severus *lib.* 1. *hiſt. ſacr. cap.* 13. *p.* 36. Cyrillus Alexandrinus *contra Iulianum lib.* 5. *p.* 75. demonſtrat prolixè, quomodo Moſes revelaverit ex inſpiratione Dei SS. Trinitatem, & poſt, ad quæſtionem reſponſurus, an is etiam incarnationem inſinuaverit, ita diſſerit. *Vide verè ſapientiſſimum* (Moſen) *& ante illos ipſos ſic ſcripſiſſe. Nam dixit quidem, Iacob receſſiſſe à domo Laban & deſideraſſe patriam. Cum autem veniſſet ad Iabok, is erat torrens, transvexit,* inquit, *pueros ſuos, permanſit autem Iacob ſolus, & certavit cum eo homo uſque ad mane.* Et poſt alia. *Rogavit autem*

Ex quinto ſeculo.

Iacob & dixit: Annuntia mihi nomen tuum. *Et dixit*, ad quid rogas nomen meum? & benedixit eum, & vocavit nomen loci illius, ſpecies Dei. Vidi enim Deum, *inquit*, facie ad faciem & ſalva facta eſt anima. *Adiecit autem & hæc divinus Moſes.* Ortus eſt autem ei ſol, quando tranſiit ſpecies Dei. *O magnum miraculum & virtutem ad intelligendum* claro ſenſu & ſubtili mente *ſacramentum Chriſti. Certante enim homine facie ad faciem vidiſſe dicit Deum, & ſpeciem Dei illum nominat. Deus enim verè erat & eſt verbum, tametſi factum ſit caro ſecundum ſcripturas, manſit tamen & character ſubſtantiæ patris, quamvis verbi formam indutus ſit diſpenſativè. Nam inconvertibile & incommutabile eſt ſecundum naturam. Quod autem homo luctans contra Iacob ſit unigenitus Dei, verbum, quomodo futurus eſſet ſuo tempore in ſpecie noſtra, præmonſtrans ſanctis Patribus, ex his, quæ Moſes ſcripſit, admodum facile conſideraverit quiſpiam: inquit enim*: Dixit autem Dominus ad Iacob: ſurgens vade in locum Bethel, & habita illic, & fac illic altare Domino, qui apparuit tibi, dum tu fugeres à facie Eſau fratris tui. *Num quid adhuc poſt hæc dicet aliquis ignoraſſe Moſen incarnationis unigeniti modum.* Conf. l.3. theſ. cap.1. & expoſ. ſymbol. Nic. Theodoretus *in Geneſ. quæſt.* 91. poſtquam varias in hiſtoria luctæ Iacobi circumſtantias expendiſſet, concludit tandem in hæc verba; *Per hæc omnia docemur, quod etiam hoc loco unigenitus Deus apparuit ipſi Iacob.* Caſſiani ſententia ex dictis ad Can. 14. patuit. Leo M. epiſt. 13. *Filius Dei in ſpecie carnis apparuit, cum ut luctantem iniit*, &c. Auguſtinus, cum *lib. 3. contra Maximinum cap. 26.* à communi ſententia abit, propter locum Oſeæ 12,3.4. ubi dicit, angelo tribui, quod *Gen.* 32. homini tribuitur, non magno argumento ducitur. Nam Oſeas angelum vocat illud ὅραμα Jacobæum. Non autem pronunciat, angelum creatum fuiſſe. Hinc & *in qq ſuper Gen. l.1. quæſt.* 110. non plane reiicit illam ſententiam, quæ filium Dei Jacobo appatuiſſe profitetur. Hinc & in *ſexto ſeculo* ſententia Sirmienſis ſynodi prævaluit. Joh. Maxentius *dialog. l.2. p.24.a. Quia videndus eſſet ab hominibus Deus in aſſumta carne, docet præfiguratio illa facta ad Iacob, ubi cum homine conluctatur in viſione idem B. Patriarcha & benedictus ab eo dicit*, vidi Deum facie ad fa-

De Maxētio vide AntiCorn. c.23. p.271.

ad faciem &c. Arator ſubdiaconus R. E. *hiſt. Apoſt. lib. 1. col. 577.* Iacobus *bella reliquerat ager-Conatus certare Deo.* Procopius Gazæus *Comm. h. l. pag.* 180. Quis *fuit ille ſimul homo & Deus in ſcriptura vocatus, qui cum Iacobo colluctatus eſt? Is nimirum fuit, qui multifariam multisque modis locutus eſt Patribus, ſcil. ſacroſanctus* Dei *ſermo, qui eſt homo & Deus, magnique conſilii angelus, quem conſpexere ſancti* Dei *homines. Quem ſermonem & vitam cum conſpicatus eſſet Iacobus, exclamat, vidi Deum facie ad faciem & ſalvata eſt anima mea. Is tum viſus eſt & lucta certamen cum eo ſubiit.* *Conf. Iohr Cypariſſiotum decade 6. c. 6.* In *ſeculo ſeptimo* Gregorius M. *lib. 2. ſuper Ezechielem hom.* 14. *fol.* 86. Auguſtino annuit. Sed ex tanto intervallo ſolus ille contra conſenſum illum parum proficit. Neque turma Scholaſticorum, qui ſequuntur antecedentium gregem, nec eunt, quà eundum eſt, ſed quà itur, magnopere hic attendenda.

B. Lutherus noſter *Comm. in Gen. p.* 490. ab illis diſcedit, & ait: *Omnes* (recentiores) *interpretes colligunt, iſtum virum luctantem cum Iacob fuiſſe angelum. Sed nos hunc Canonem perpetuò obſervamus; quotiescunque ſ. ſcriptura meminit apparitionum, ſicut* Geneſ. 18. *cum tres viri offeruntur Abraha, & non ponitur diſertè nomen Angeli, ibi non pro angelis interpretamur, quia clarè dicitur, apparuit ei Dominus, non angelus. Poſtea autem cap. 19. cum duo angeli pergunt Sodomam, illos angelos (ſc. finitos) fuiſſe, concedimus ſicut cap. 28. quando vidit Iacob angelos adſcendentes & deſcendentes, & innititur Dominus ſcala. Ibi Dominum non pro angelo accipimus, ſicut illi qui aſcendunt & deſcendunt nominatim angeli dicuntur; ſed pro filio Dei, qui erat incarnandus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui eſt verus Deus & verus homo.* & poſt. *Vbicunque igitur non exprimitur nomen angeli, non intelligimus angelos. Et hoc loco diſertè dicitur, prævaluiſti Deo, non ſolum certaſti cum Deo, ſed etiam viciſti: Item poſt ea ſequitur:* Vidi Deum facie ad faciem. *Locum autem Hoſeæ ſic interpretamur, quod verba illa ſunt μιμητικὰ, quæ recitat Propheta, non ut ſuam doctrinam & ſententiam de hoc exemplo exponat, ſed ut arguat & corripiat falſos Prophetas, qui talia iactabant, ac contra Ieroſolymitanum templum & divinam ordinationem cultus ſuam idololatriam defendere conabantur prætextu & exemplo huius Patriarchæ Iacob,* & poſt. *Ita traducebant:*

ducebant veros Doctores & pios Sacerdotes, retinentes verum cultum Dei, & pro ſe retinebant teſtimonium huius hiſtoriæ, ſiquidem Deus in iſto loco Bethel vel Phanuel locutus eſſet cum Iacob, exhibuiſſet ei ſcalam & angelos, Iacob decertaſſet cum Deo, & angelus fleviſſet & precatus eſſet eum. Nam hoc poſtremum ipſi affinxerunt. & poſt multa. *Noſtra ſententia hæc eſt, quod luctatus ſit Dominus gloriæ, Deus ipſe, ſive Filius Dei incarnandus, qui apparuit & locutus eſt Patribus. Deus enim immenſa bonitate familiariſſimè agit cum electo ſuo Patriarcha Iacob, eumque exercet quaſi colludens ſuaviſſimè, &c.* Atque ſic manifeſtè B. Lutherus ab illa Auguſtini ſententia recedit, quam ille contra Maximinum Arianum arripuit. Secutus eſt eum Phil. Melanchthon *in Locis communibus Tom. 2. oper. edit. Baſil. A. 1541. p. 456.* Cum *cogitamus filium Dei etiam Patribus notum fuiſſe, & cum aliquibus collocutum eſſe, non ſolum doctrina de duabus naturis Chriſti fit illuſtrior, ſed etiam officia melius conſpiciuntur. Adeſt Patribus, defendit eos contra furorem Diaboli. Ideò cum Iohannes inquit:* Omnia per ipſum facta ſunt, *intelligi debet hoc dictum non ſolum de creatione, ſed de omnibus admirandis Patrum factis, de Noë ſervato in diluvio, de defenſo Abraham. Iacob de ipſo filio Dei loquitur, inquiens Gen 48.* Angelus qui liberavit me de omnibus malis, benedicat pueris. *Hæc pertinent ad Filium Dei, qui liberat à peccato & à morte. Hæc liberatio non eſt beneficium angelorum. Et Paulus inquit, unà adfuiſſe Chriſtum populo in deſerto* : Bibebant de ſpirituali eos comitante petra. Hæc verba ita exhibentur in corpore doctrinæ fol. 171. edit. Francof. Ann. 1561. Diſer Articul von der Gottheit Chriſti iſt nit allein nach der Geburt Chriſti geprediget worden / ſondern von anfang hat Gottes Volck diſen Erlöſer kennen müſſen / vnd ob gleich ihr viel vnverſtändige im Volck geweſen / ſo haben doch die Vätter vnd Propheten diſen Heyland recht erkennt / er iſt auch vielen ſichtiglich erſchinnen vnd hatt mit jhnen geredet / als mit Abraham/ Jacob/ Moſe/ Joſue/ Daniel/ die ihn alle erkennt haben/ daß er Allmächtig vnd Gottes Sohn ſeye / vnd werd hernach Menſchliche Natur an ſich nehmen. Alſo redet Jacob von Jhm *Gen.* 48. Gott vnd der Engel der mich auß allem übel erlöſet hat/ wolle die Kinder ſegnen. Diſe Rede ſtimmet gleich mit dem Gebett/

Digitized by Google

Gebett / das wir droben geſetzt haben. Jacob nennet Gott/vnd darnach der Mittler / vmb welches willen Gott gnädig iſt / vnd ſpricht/derſelbe Engel hab ihne auß allem übel/das iſt/von Sünd vnd Tode errettet. *Item* er ſpricht / derſelbe Engel ſolle diſe Kinder ſegnen. Diſe Werck ſind allein der Göttlichen Allmächtigen Maieſtät/ ſeind nicht der erſchaffenen Engel oder Creaturen. Vitus Dietericus, Lutheri ſectator induſtrius, etiam h.l. eius inſiſtit veſtigiis, cùm in ſumm ait: Es zeuget Oſeas klar / daß diſer Engel nit ein gemeiner Engel / ſonder vnſer HErr Chriſtus der Gottes Sohn ſelbſt geweſen ſey vnd mit Jacob gerungen habe. In margine provocat ad articulos Concilii Sirmienſis. Subſcribunt Brentius *Comm. h.l.* Luc. Oſiander *Paraph. h.l.* Andr. Oſiander *not. h. l.* & theologi Würtembergici conſtanter. Selneccerus *Comm. h.l. pag. 661.* Brunſvvicenſes Theologi *locis ſupra indicatis.* Nec occurrit, qui aſſurgeret & in ſententiam Auguſtini pedibus iret ex noſtris quiſpiam, niſi Novatorum & Succenſorum noſtrorum unus & alter, dummodo illi noſtri eſſe queunt. Pulchrè autem pro Sirmienſis Canonis ſententia præliatur D. Joh. Behm. *tract. de æternitate Filii Dei cap. 36. p. 268.*

Atq; hi omnes non eo uſq; in rei profunditatem introſpexerunt, ut cernere potuerint, ſecuturum, *ſi Filius Dei in viro vel angelo ſecundum ſuam ſibi propriam hypoſtaſin apparuit, ut hypoſtaſi ſua eam, viri vel angeli naturam univerit, & proinde, ſicut hypoſtaticam cum carne ſive humana natura unionem conſequitur κοινωνία ἰδιωμάτων, ita quoque tum conſecuta fuerit, adeò ut quemadmodum ex vi unionis Filius Dei & Deus eſt homo, ita quoq; eo ſaltē tempore & durante ea unione Filius Dei fuerit & Deus & talis vir ſive angelus: aut ſi dicatur hypoſtaticā unionem non interceßiſſe, ſecuturū, id quod apparuit, utpote opus extrinſecum & à tota Trinitate indiviſim pendens, non magis Filium fuiſſe, quam Patrem aut Spiritum ſanctum, & proinde ſi ad Filium peculiariter deſignandum referri id cogant circumſtantiæ, non haberi debere pro ipſa Filii Dei perſona vel pro Filio Dei ſecundum ſuam hypoſtaſim, ſed pro quodam eius typo aut ſymbolo.* Nimirum intellexerunt, in libertate perſonarum divinarum SS. Trinitatis eſſe, ut ſe vel coniunctim manifeſtent, vel disiunctim. Perſpexerunt id clariſſimè ex theophania incom-

Diſſertat. theſ. 28.

Primaria Anti-Sirmienſis inſtantia confutatur.

Digitized by Google

parabili in baptiſmo Salvatoris noſtri. Quamvis enim operationes ad extra, utpote ab una potentia divina procedentes, ſint indiviſæ, ut adeo Patri, Filio, & Spiritui ſancto competant, ſi actum ipſum conſideremus, quia tamen inter ipſas perſonas divinas eſt ordo, qui ad ſummam perfectionem illarum ſpectat, nihil repugnat, quo minus terminus operationis in hanc perſonam immediatè incidat, non illam, adeoque ad hanc manifeſtandam ordinetur, non illam. Neque opus eſt, ut illa terminatio ad ipſam unionem uſque hypoſtaticam procedat, ſi unius perſonæ præcisè designativa eſſe debet. Vnde enim conſtat, neceſſariò ad illum gradum appropriationis debere illam terminationem progredi, & non poſſe intra eum gradum fieri, qui unione hypoſtatica ſit inferior? Id quod apparuit, ſi de eo quod in ſenſus incurrit intelligas, quaſi typum quendam, quoddamque ſymbolum fuiſſe perſonæ divinæ, non negamus, imò hoc ipſum cum veneranda antiquitate contendimus. Sed in illo ſive typo, ſive ſymbolo, ita ſeſe manifeſtaſſe aliquam divinam perſonam, & potuiſſe manifeſtare, ut eius peculiaris quædam inſinuatio & ſi ita licet dicere approximatio in illo ſanctis Dei facta fuerit, id vero eſt, quod nec potentiæ, nec immenſitati divinæ contrariari veteres exiſtimarunt. Itaque vix pro demonſtratione recipient, quod Succenſor noſter appendit ſophiſma. *Quæ perſona divina nullam aliam naturam hypoſtaticè vel per unionem perſonalem ſibi coniunxit niſi humanam, illa etiam in nulla alia ſecundum propriam hypoſtaſin apparuit. Ad hoc enim, ut perſona divina aut Filius Dei dicatur iuxta propriam hypoſtaſin in aliqua natura aſſumta apparuiſſe, neceſſe eſt, ut propria ſua illa hypoſtaſi ſubſtantialiter terminet, atque adeò unio perſonalis interveniat. Nam citra eam non eſt, niſi opus ad extra, omnibus perſonis commune, nempe productio vel creatio talis naturæ, quæ ſeorſim ad aliquam diſtinctam perſonã referri non poteſt, niſi per appropriationem, ut Scholaſtici loquuntur, vel tanquam typus. Verbi gratia, ſi natura illa viri, cum quo luctatus eſt Iacobus, non fuit perſonaliter unita Filio Dei, tum vir iſte non fuerit ipſe Filius Dei, quamvis bene poßit typus haberi. Sed Filius Dei nullam aliam naturam hypoſtaticè ſive per unionem perſonalem ſibi coniunxit, niſi humanam ex beatiſſima*

Append. theſ. 25.

Digitized by Google

tiſsima Virgine Matre. Ergo Filius Dei in nulla alia ſecundum propriam apparuit hypoſtaſin. Sophiſma, inquam, hoc eſt, non demonſtratio, ad quod reſponſum eſt iam A. 1636. *in vindiciis ad cap. 3. Exod. p. 48. ex ipſo* Antonio Fernandio. Nimirum confundit aſſumtionem ad certum aliquem temporarium uſum, in qua Deus ſummam libertatem habet eouſque progrediendi, quo placet, & aſſumtionem ad unitatem perſonæ. Ad hoc ut pro liberrimo beneplacito perſona divina aut filius Dei dicatur iuxta propriam hypoſtaſin in aliqua natura aliquandiu ad certum uſum aſſumta apparuiſſe, non opus eſt, ut illam propria ſua hypoſtaſi ſubſtantialiter terminet; ſatis eſt, ſi operatio divina in illo aſſumto σωματικῷ εἴδει ita gubernatur certiſſimis indicationibus, ut evidens ſit, illam terminari non ad tres perſonas, ſed ad unam. Hoc vocant appropriationem veteres, qua ſc. in illa φανερώσει aliqua perſona divina ſufficienter declarat, id quod oculis auribusve uſurpatur, hanc attinere Divinitati perſonam, non aliam. Non quod aliæ abſint, ſed quod hæc ſui præſentiam ſub illo velamine peculiariter indicare voluerit. Hanc intellexit Sirmienſis ſynodus, hanc ſtatuit omnis vetuſtas. Hanc ſi probat Succenſor noſter, cur ſuccenſet? Si concedit, quicquid agitur, movetur, diſponitur circa uſurpatam & aſſumtam rem corporalem, id virtute SS. Trinitatis præſentiſſimæ agi, moveri, diſponi ſed ita ut nunc altera, nunc tertia eius perſona ſigillatim & immediatè ſignificetur, adeoque actio, motus, diſpoſitio ſit opus unius Dei, ſed id, quod tota illa operatione geritur, ipſeque adeo ille habitus, illa μορφὴ, illud σχῆμα, ad unam perſonam determinetur & approprietur, quid cum larvis pugnat Antabata, quaſi nihil ſuperſit, cum quo pugnandum ſit? Sane vir ille, cum quo luctatus eſt Iacob, nullo modo fuit perſonaliter unitus Filio Dei, quamvis perſona Filii Dei ſibi illam formam, illud σωματικὸν εἶδος adiunxerit divina ordinatione, & operatione, ut in eo tanquam vir appareret. Facta eſt σύνθεσις παραστατικὴ, non ὑποστατικὴ. Hæc enim non permittit, ut ἡνωμένον alicubi ſit extra id, cui ὑποστατικῶς unitum eſt, cum ſit ἀδιαίρετος, ἀδιάστατος ἀδιάσπαστος. At in illâ perſona divina uno in loco poteſt in illo σωματικῷ εἴδει eſſe & operari, econtra in infinitis locis etiam

extra illud diſpenſare præſentiam. Vnde apparet, falſum eſſe, *Append. l. c.* *eos, qui aſſerunt, Filium Dei in Veteri Teſtamento in ſua hypoſtaſi per aſſumtam humanam apparuiſſe, neceſſe habere ſtatuere plures* ἐνανθρωπήσεις καὶ ἐνσαρκώσεις *easque diſſolubiles & temporarias.* Eo ipſo enim, quo coniunctio temporalis eſt & diſſolubilis, non eſt ἐνσάρκωσις aut ἐνανθρώπησις. Falſum etiam eſt, quod nos id admittamus. Ita eſt; Theologiam vocarunt veteres, doctrinam de Deo uno & Trino: Oeconomiam verò, doctrinam de incarnatione Filii Dei & quæ eam inſecuta ſunt. Id alibi à nobis prolixè obſervatum eſt. *Oeconomia non tantum de Incarnatione dicitur.* Non autem ſequitur, nullam aliam fuiſſe œconomiam, præter illam ſingulariſſimam & omnium maximam. Juſtinus M. *dialogo cum Tryphone Iud. pag. 262.* œconomiam vocat, quod hedera ſuper caput Jonæ enata fuit. Διὰ τῆς οἰκονομίας τοῦ ἐκ τῆς γῆς ἀνατεῖλαι αὐτῷ σικυῶνα, ὑφ' ἣν καθεζόμενος ἐσκιάζετο ἀπὸ καύματος (ἦν δὲ ὁ σικυὼν κολόκυνθα αἰφνίδιος μήτε φυτεύσαντος τοῦ Ἰωνᾶ, μήτε ποτίσαντος, ἀλλ' ἐξαίφνης ἐπανατεῖλας αὐτῷ σκιὰν παρέχειν) καὶ τῆς ἄλλης ξηρᾶναι αὐτὸν ἐλυπεῖτο Ἰωνᾶς. Idem Patriarcharum polygamiam *eodem lib. p. 291.* ita appellat; inquit enim, ἀλλ' οἰκονομία τις καὶ μυστήρια πάντα δι' αὐτῶν ἀπετελεῖτο. Et *in ep. ad Diognetum p. 386.* Patri tribuitur, quod cum Filio ſciverit omnia οἰκονομικῶς. Clemens Alexandr. *Strom. 1. p. 134.* πάντα οἰκονομεῖται ἄνωθεν εἰς καλόν. *Item l. 1. Pædag. c. 9. p. 54.* μεμψιμοιρία ἐστὶ λαθραῖος ψόγος τεχνικὴ βοηθεία, καὶ αὐτὴ σωτηρίαν οἰκονομουμένη ἐν παρακαλύμματι. Hervetus reddit. *Expoſtulatio eſt, quæ artificiali auxilio clam fit vituperatio, quæ ipſa quoque ſaluti providet ſub integumento.* Rurſus *Strom. 1. p. 123.* Εἰ δὲ ἐν τῷ ταμείῳ εὐχῇ, οὐκ ἔτι περὶ τὸν οἶκον μόνον εἴη ἂν ἡ οἰκονομία. Theodoretus ad Græcos infidel. ſerm. 3. pag. 55. τὸν οὐρανὸν οἰκονομεῖν ἔφησε τὸν τῆς κακίας δημιουργόν. Andr. Cæſar *in apocalypſ. ſerm. 19. cap. 54. pag. 81.* cauſam reddens, cur feræ belluæ malignique dæmones deſerta loca conſectentur, dicit id fieri, διὰ τὴν θείαν οἰκονομίαν τῆς αὐτῶν βλάβης τοὺς ἀνθρώπους ἐλευθεροῦσαν. Generalior itaque uſus vocis eſt, quam ut ad incarnationis Dominicæ ſacramentum tantum reſtringenda ſit. Et *Diſſertat. theſ. 49.* Succenſor novaturiens non potuit ſilentio præterire, quod Tertullianus *adverſus Praxean cap. 1.* dicit, οἰκονομίας *Sacramentum unitatem in Trinitate diſponit, tres dirigens, Patrem & Filium &*

Spiritum

Spiritum ſanctum, &c. Vbi, *Oeconomiam, ſive diſpenſationem, ſive diſpoſitionem dicxris*, inquit Fr. Iunius in notis h. l. *priſci illi Patres duobus modis Deo tribuerunt, propriè & catachreſticè per analogiam. Oeconomia καταχρηστικῶς eſt ratio Deitatis in ſe & operum internorum inter perſonas eius. Sic Iuſtinus & Irenæus ante Tertullianum appellarunt. Oeconomia propriè Deo tribuitur, cum ratio eius ad creaturas & operum eò pertinentium attenditur. Illa interna eſt, internorumque operum, quæ Scholaſtici ad intra vocant: hæc verò externa externorumq; operum, quæ illi ad extra.* Fuit omnino a. œconomia univerſa illa manifeſtationum divinarum Patriarchis factarum adornatio, quæ myſterio ſummæ condeſcenſionis præluſit. Hinc Theodoretus *ſerm.* 10. *ad græcos infideles pag* 149 cum ait, Chriſtum conſummaſſe ſignificationes veteris apparatus ſalvifici, dicit quod fuerit τὴν οἰκονομίαν τελέσας. Non ergo omnis οἰκονομία illicò incarnatio. Id de trivio ſcholares norunt. Cenſor meus coniunctiſſimus non dicit, *omnem οἰκονομίαν circa apparitiones Filii Dei in Novo demum Teſtamento factam eſſe*, ut Succenſor contra conſcientiam cavillatur, ſed, *Filium Dei ante οἰκονομίαν* (ſcil. eam ſingularem) *in N. T. demum factam, Patriarchis ſub V. T. conſtitutis in propria hypoſtaſi apparuiſſe.* Sed ut ad rem redeamus, concedit Succenſor noſter, *virum iſtum cum Iacobo luctatum typum fuiſſe Filii Dei.* Quærimus, præſentis ne an abſentis? Hoc vix aſſeverabitur. Ergo typus eſt præſentis, quamvis inviſibilis, Filii Dei. Hoc ipſum eſt, quod nos volumus. Dicis, eſſe typum Filii Dei incarnandi. Id quidem nemo negabit. Sed dum tota SS. Trinitas tum Patriarchæ Jacobo Filium æternum & immenſum, ut incarnandum, exhibuit ἐν σωματικῷ εἴδει viri alicuius luctantis, rurſus quæro an abſentem, an verò præſentem exhibuerit. Illud dici nequit, ut indicatum eſt. Ergò præſentem exhibuit. Ergo Filius Dei ſuam hypoſtaſin ſub iſto σωματικῷ εἴδει exhibuit, indivulſis reliquis SS. Trinitatis perſonis. Succenſoris demonſtratio, ſi exactius ponderetur, deſtruit veritatem apparitionis Spiritus ſancti in Baptiſmo Chriſti. Ita enim eadem ratione concludere poterimus. *Quæ perſona nullam naturam finitam in unitatem hypoſtaticam aſſumſit, ea in propria hypoſtaſi apparere non poteſt. At perſona Spiritus*

D. VValther. in Cenſ. Regio. p. 126.

ſancti nullam naturam finitam in unitatem hypoſtaticam aſſumſit. Ergo perſona Spiritus ſancti in propria hypoſtaſi apparere non potuit, neque debet. Ergo falſum eſt, quod ſcribit Evangeliſtarum ſancta quadriga, Spiritum ſanctum in ſpecie columbæ corporali apparuiſſe. Quia enim Spiritus ſanctus columbam illam non aſſumſit in ſuam hypoſtaſin ita, ut eam ſubſtantialiter terminaret, adeoque unio perſonalis interveniret, (quod malè dicit poſt multos alios Dionyſius Petavius *l. 8. theol. dogm. cap. 4. num.* 1. ſtatuiſſe Tertullianum *l. de carne Chriſti cap.* 3. Non ſane id cogunt verba, quæ ſic habent. *Spiritus columbæ corpore lapſus deſcendit ſuper Dominum. Qui ſpiritus cum hoc eſſet, tam verè erat columba, quam ſpiritus. nec interfecerat ſubſtantiam propriam, aſſumta ſubſtantia extranea.* Loquitur ſanè Tertullianus de veritate rei habitæ, non de modo habendi. Scilicet, Spiritum ſanctum verum corpus columbi-forme habuiſſe, non inane phantaſma Johanni Baptiſtæ & Chriſto, cæteriſque ad incomparabile ſpectaculum admiſſis exhibuiſſe, ſicut Marcion de corporis Chriſti qualitate deliravit. Quomodo autem Tertullianus cenſuerit Spiritum ſanctum ſibi corpus illud coaptaſſe, non explicat. Id tamen ſatis indicat, perſonalem unionem non interveniſſe. Nam & angelis corpora vera eiuſmodi aſſignat, & tam de angelorum quam columbæ ſpecie ait, illa poſt præſtitum uſum in nihilum ſubducta eſſe.) non eſt niſi opus ad extra omnibus perſonis commune, nempe productio vel creatio talis corporalis ſpeciei, quæ ſeorſim & diſtinctè ad perſonam Spiritus ſancti non poteſt referri, niſi per appropriationem vel tanquam typus. Ergò non magis Spiritus ſanctus quam Pater aut Filius Dei in illo σωματικῷ εἴδει apparuerunt. Eant ergo Evangeliſtæ & emendent, quod commemorarunt. Nam accurata illa philoſophia, & ſolida dogmatum comprobatio, & antiquitatis emunctiſſima indagatio id non permittunt. Licebit tamen fortaſſis adhuc Auguſtino loqui, qui aliàs veteribus perſpicacior. Ita ille libro 2. de Trinitate cap. 5. *Si miſſus dicitur, in quantum apparuit foris in creatura corporali, qui intus in natura ſpirituali oculis mortalium ſemper occultus eſt, iam in promtu eſt intelligere etiam de Spiritu*

Tertullianus vindicatur.

Petavius notatur.

ſancto

Digitized by Google

ſancto, cur miſſus & ipſe dicatur. Facta eſt enim quædam creaturæ ſpecies ex tempore, in qua viſibiliter oſtenderetur Spiritus ſanctus, ſive dum in ipſum Dominum corporali ſpecie velut columba deſcendit, ſive cum 10. diebus peractis poſt eius aſcenſionem die Pentecoſtes factus eſt ſubitò de cœlo ſonus, quaſi ferretur flatus vehemens, & viſæ ſunt illis linguæ diviſæ tanquam ignis, qui & inſedit ſuper unumquemque eorum. Hæc operatio viſibilis expreſſa & oculis allata mortalibus, miſſio Spiritus ſancti dicta eſt, non ita ut appareret eius ipſa ſubſtantia, qua & ipſe inviſibilis & incommutabilis eſt, ſicut & Pater & Filius, ſed ut interioribus viſis hominum corda commota, à temporali manifeſtatione venientis ad occultam æternitatem ſemper præſentis converterentur. Et cap. 6. *Non ſic eſt aſſumta creatura, in qua apparuit Spiritus S. ſicut aſſumta eſt caro illa & humana illa forma ex Virgine Maria. Neque enim columbam beatificavit ſpiritus vel illum flatum, vel illum ignem, ſibique & perſonæ ſuæ in unitatem habitumque coniunxit in æternum. Haud verò mutabilis & convertibilis eſt natura Spiritus ſancti, ut non hæc ex creatura fierent, ſed ipſe in illud atque illud mutabiliter verteretur, ſicut aqua in glaciem, ſed apparuerunt iſta, ſicut opportunè apparere debuerunt, creatura ſerviente creatori & ad nutum eius incommutabiliter in ſeipſo permanentis, ad eum ſignificandum & demonſtrandum, ſicut & ſignificari & demonſtrari mortalibus oportebat, mutata atque converſa. Proinde quanquam illa columba ſpiritus dicta ſit, non tamen* ITA *poſſumus dicere Spiritum ſanctum & Deum & columbam, ſicut dicimus Filium Deum & hominem.* Et cap. 7. *Propter has corporales formas, quæ ad eum ſignificandum & ſicut humanis ſenſibus oportet demonſtrandum temporaliter extiterunt, miſſus dicitur etiam Spiritus ſanctus, non tamen minor Patre dictus eſt, ſicut Filius propter formam ſervi, quia illa forma ſervi inhæſit ad unitatem perſonæ, illæ verò corporales ſpecies ad demonſtrandum quod opus fuit ad tempus apparuerunt & eſſe poſtea deſtiterunt.* Et lib. 4. de Trinit. cap. 21. *De ſenſibili demonſtratione Spiritus ſancti ſive per columbæ ſpeciem, ſive per linguas igneas, cum eius ſubſtantiam Patri & Filio coæternam pariterque incommutabilem ſubdita & ſerviens creatura temporalibus motibus & formis oſtenderet, cum ad eius perſonæ unitatem, ſicut caro, quod verbum factum eſt, non copularetur, non*

audeo

audeo dicere, nihil tale factum eſſe antea. Sed planè fidenter dixerim, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum unius eiuſdemque ſubſtantiæ, Deum creatorem, Trinitatem omnipotentem, inſeparabiliter operari, ſed ita non poſſe per longè imparem maximeque corpoream creaturam inſeparabiliter demonſtrari, ſicut per voces noſtras, quæ utique corporaliter ſonant, non poſſunt Pater & Spiritus ſanctus niſi ſuis & propriis intervallis temporum certa ſeparatione diſtinctis, quæ ſua cuiusque vocabuli ſyllabæ occupant, nominari. In ſua quippe ſubſtantia, qua ſunt tria, unum ſunt Pater & Filius & Spiritus ſanctus, nullo temporali motu ſuper omnem creaturam ad-ipſum ſine ullis intervallis temporum vel locorum, & ſimul unum atque idem ab æternitate in æternitatem, tanquam ipſa æternitate, quæ ſine veritate & charitate non eſt. In meis autem vocibus ſeparati ſunt Pater & Filius & Spiritus ſanctus, nec dici ſimul potuerunt, & literis viſibilibus ſua ſeparatim locorum ſpatia tenuerunt. Et quemadmodum cum memoriam meam, intellectum & voluntatem nomino, ſingula quidem nomina ad res ſingulas referuntur, ſed tamen ab omnibus tribus ſingula facta ſunt: nullum enim horum trium nominum eſt, quod non & memoria & intellectus & voluntas mea ſimul operata ſint, ita Trinitas ſimul operata eſt & vocem Patris & carnem Filii & columbam Spiritus ſancti, cum ad ſingulas perſonas hæc ſingula referantur. Qua ſimilitudine utcunque cognoſcitur, inſeparabilem in ſe Trinitatem per viſibilis creaturæ ſpeciem ſeparabiliter demonſtrari, & inſeparabilem Trinitatis operationem etiam in ſingulis eſſe rebus, quæ vel ad Patrem, vel ad Filiū, vel ad Spiritum ſanctum demonſtrandum propriè pertinere dicuntur. Auguſtinus itaque ex eo capite, quo Succenſor meus, canonem Sirmienſem non impugnavit.

Altera obiectio refellitur. Neque tot lumina Eccleſiæ pervidere potuerunt, quod perſpicaciſſimus Succenſor noſter, angeli appellationem miniſterium neceſſariò includere, adeoque qui Filium Dei ἀσάρκον angelum dixerit, vel ſimpliciter & abſolutè angelum appellaverit, eundem Arianis gratificaturum. Miſſionem deſignare exiſtimarunt, quæ non neceſſariò miniſterium includit. Quod fusè contra Arianos ex Patribus deduxerunt Ambroſius, Auguſtinus, Cyrillus & alii, quos cumularunt Did. Ruiz. *de Trinitat. diſput.* 108.

Digitized by Google

diſputat. 108. Dion. Petav. *de ead. lib.* 8. *cap.* 1. *& ſeqq.* Et actus ipſe ἀγγέλλειν ſeu παραγγέλλειν Deo Patri tribuitur *Actor.* 17, 30. & Spiritui ſancto ἀναγγέλλειν *Ioh.* 16, 13, 14, 15. Certè angeli nomen non magis inferioritatem infert & ſervitutem, quam Apoſtoli nomen, & tamen ipſe Spiritus ſanctus dicitur ἀποσταλεὶς 1. *Petr.* 1, 12.

Falſum autem eſt, quod Janſenius Iprenſis Epiſcopus ait, Ambroſium pro cauſa erroris & origine hæreſeos Arianæ tradidiſſe, quod dicatur, Filium Dei in Vet. Teſtam. etiam ſigillatim apparuiſſe. Aliter ille *l. c.* loquitur. *Sed*, inquit, *ut omne myſterium hæreſis Arianæ traducam, cur nolint Filium de Patris ſubſtantia credi, breviter intimabo. Aiunt enim, cum ſit Deus Pater omnipotens, inviſibilis, inconvertibilis, immutabilis, perfectus, ſemper idem, æternus, Filius verò viſibilis, quia ſæpius Patribus viſus & convertibilis atque mutabilis, quia in variis figuris quibusque ſe monſtravit. Qui ſi de Patris, inquiunt, eſſet ſubſtantia, nunquam fieri poſſet, ut ante carnis aſſumtionem aut viſibilis aut mutabilis cerneretur: quin potius in æqualitate, qua Pater eſt, permanſiſſet, ex cuius ſubſtantia erat; quia quod de Patre eſt, nec videri, nec mutari, nec converti poſſe credendum eſt &c.* Et poſt. *Hæc eſt cauſa erroris, hæc origo hæreſis Arianæ, dum non intelligunt virtutem Dei, neque tanti Sacramenti diſpoſitionem agnoſcunt, cur Deum humanis conditionibus comparent.* Rectè vero Ambroſius regerit, non ex eo, quod non apparuerit Filius Dei in propria hypoſtaſi, ſed ex eo I. quia *Filius Dei non ita in loco viſus eſt, ut Deus erat, ſed ut homo capere poterat de Deo:* II. quia *variæ iſtæ figuræ non indicant mutabilitatem & convertibilitatem in Filio, ſed Dei potentiam, qua ſe ſingulis prout vult revelare dignatur, habitum mutat, non ſubſtantiam vertit, nec proprietatem qualitatis amittit, ſed iuxta meritum videntis temperamentum maieſtatis adhibet, ipſe tamen idem, ut ſemper eſt, in ſubſtantia ſua proprietate permanet.* III. quia *ſi angeli in figura hominum ſæpe ſunt viſi, & tamen aliud non ſunt, quam quod ſe eſſe norunt, neque ſubſtantiam mutant, cum formam humani corporis ſumunt.* IV. quia *ſic Filius Dei viſus à Patribus approbatur, ut non totum in illo, quod Deus eſt, videretur, ſed diſpoſitiones rerum fu-*

Ambroſius vindicatur.

Digitized by Google

turarum, quæ ſuis quibusque temporibus complenda erant, in illo per imaginem tenerentur &c. Malè ergo Ambroſio patrono Janſenius utitur.

Ruizii ſententia expenditur. DIDACUS RUIZIUS *de Trinitate diſput.* 109. *ſect.* 9. materiam de apparitionibus divinis, *Can.* 14. & 15. Sirmienſi tactam, tractaturus, primum rationes profert, quibus revera perſonas apparuiſſe in Veteri Teſtamento approbatur, deinde concluſiones ponit, quarum I. eſt: *Divinarum perſonarum viſibiles apparitiones facta Patribus Vet. Teſtam. non poſſunt propriè vocari miſſiones viſibiles, quia non deſtinabantur ad deſignandam inhabitationem perſonæ divinæ per gratiam, ſed ad aliquid aliud manifeſtandum; quia quæcunque apparitiones Vet. Teſt. unam perſonam tanquam ab aliis diſtinctam ſignificabant, vel ad incarnationem Chriſti, vel ad eius regnum & extremum iudicium & ſimilia reſpiciebant:* ut Gen. 18. & 19. & Dan. 7. *& in quibus videbatur ſignificata ſingularis amicitia & gratia illius, cui tribuebantur, in illis non ſignificabatur una perſona ſecundum illam proprietatem, qua diſtinguitur ab alia;* ut Gen. 32. Exod. 33. &c. *Et licet concederetur, Patribus in Vet. Teſtam. nec Patrem nec Spiritum ſanctum, ſed Filium apparuiſſe, ſub humana ſpecie, fuiſſent tamen illæ apparitiones valdè obſcuræ, adeò ut nec ipſi Patres per illas diſtinctè cognoverint Filium in ratione Filii, ſeu verbi divini, quemadmodum revelatus eſt in Nov. Teſt. ſed tum adumbratum fuit myſterium, ut poſtea fideles Nov. Teſtam. deprehenderent, quod umbris illis præfigurabatur.* addit *tum, quia prius perfici debuit miſſio viſibilis Filii per incarnationem, quam fieret alia miſſio viſibilis Filii & Spiritus ſancti: tum quia viſibilis miſſio de potentia ordinaria deſtinabatur ad ſignificandam gratiæ redundantiam exuberantis in commune bonum Eccleſiæ. Tempus autem Vet. Teſtam. non fuit ſtatus plenitudinis redundantis; quamvis enim ſingularibus quibusdam perſonis collata fuerit abundans gratia, quæ proximis etiam profuerit, hoc tamen non erat ex ratione propria illius ſtatus.* II. eſt: *Quædam ex illis apparitionibus Vet. Teſtam. appellari poſſunt miſſiones ſecundum quid & impropriè, tum quoniam aliquo modo ſubobſcurè ſignificabant perſonam procedentem ab alia perſona, tum etiam quoniam conferebant aliquam cognitionem ſuperna-*

Digitized by Google

naturalem utilem ad ſalutem , quod ſufficit ad miſſionem ſecundum quid. Duæ hæ concluſiones Ruizii ſunt de modo loquendi, an in illis apparitionibus locum habeat propriè dicta miſſio, an vero miſſio ſecundum quid? De hoc a. cum nemine contenditur. Ipſe Rod ab Arriaga *de Trin. diſp.* 55. *ſ.* 3 *n.*18 rem parvi momenti vocat. Id tamen diſquiritur, unde conſtet, ad miſſionem propriè ſic dictam requiri, ut deſtinetur perſona divina ad deſignandam ſui inhabitationem per gratiam. Quaſi verò non poſſit aliqua perſona divina mitti & apparere ad alium aliquem effectum, quam gratioſæ inhabitationis ſignificationem. Quid enim, quo minus id fieri poſſit, obſtat? Quomodo autem apparitiones illæ magis unam, quam alteram, aut omnes perſonas divinas indicaverint, ſatis oſtenduntPatres. Inprimis quomodo Filii Dei perſonam ſufficienter, quamvis non tam luculenter, ut in Novo Teſtamento deprehendere potuerint Veteres ſancti: nimirum, quia apparitiones illæ nunc angelo, nunc Domino tribuuntur. Neque Pater autem neque Spiritus ſanctus uſpiam ut angelus inſinuari ſolet, Filius autem, ſalutare deſideratiſſimum, ſemen mittendum typicè & hypoſtaticè, angelus dici poteſt. Hinc & Patriarcharum deſideria, vota, preces ad illum angelum ἐκπαράσαλον, πανὶόσωζονὶα, ὀλοφύλακα, & benedictionis cœleſtis promum condum, quarum exemplum eſt *Gen.* 48. de quo aliàs. Fuerit in illis aliqua obſcuritas, Filii tamen notitiam non ſuppreſſit, ſub iſta ſufficientia, quæ ad fundandam fidem requiritur. Illud autem valdè inconſideratè dictum eſt, *per apparitiones Vet. Teſtam. adumbratum fuiſſe myſterium, ut poſtea fideles* N. T. *deprehenderent, quod umbris illis præfigurabatur.* Illa namque ὑποτύπωσις exhibendorum inprimis ad homines V. T. pertinuit, ut illi intelligerent adumbratum, eo modo & gradu, quo cognoſcendum illo tempore fuit. Nobis quidem ex revelationum claritate typorum umbrarumque complementum luculenter conſpicitur. Nihilominus illis, quia σκιὰν τῶν μελλόντων ἀγαθῶν habebant, bona ipſa non ignota fuerunt, ſed ut μέλλοντα *Hebr.* 10, 1. Hinc tantum in illis videndi & audiendi deſiderium. *Matth.* 13, 16. *Luc.* 10, 14. Denique qua lege ſancitum eſt, Filii miſſionem ad incarnationem, debuiſſe præcedere

Digitized by Google

quamvis aliam miſſionem Filii viſibilem? Congruentius Patres cenſuerunt, ut miſſionibus viſibilibus in Veteri Teſtamento ſolenni illi & maximæ miſſioni ad ἐνσάρκωσιν præluderetur. Et illud eſt in libertate mittentis Dei, ad metiri diſpenſationem gratiæ illis miſſionibus, quantam placet, & redundantiam plenitudinis diſpenſare, quando placet, & quouſq; placet, differre. III cóclusio eſt: *Nulla nota dignus erit, qui ſimpliciter & abſq; aliqua maiori declaratione dixerit, Filium fuiſſe viſibiliter miſſum humana ſpecie ad Patres Vet. Teſt. quia huic propoſitioni favet ſcriptura, clarius autem Patres.* Hæc Sirmienſes canones roborat. IV. eſt: *Perſonam Patris, licet nunquam miſſa fuerit, quoniã à nulla procedit, nihilominus viſibiliter apparuiſſe Patribus V. Teſt. tantæ certitudinis eſt, ut Auguſtino teſte II. de Trin. cap. 16. nimis temerarium ſit dicere, Deum Patrem nunquam Patribus Vet. Teſt. aut Prophetis per aliquas viſibiles formas apparuiſſe.* Hæc concluſio Sirmienſes canones non lædit.

Vasquetii ratio tangitur.

GABR. VASQUEZ *in 1. Thom. Tom. 1. diſput. 185. cap. 2. n. 9.* id contra apparitionum Vet. Teſt. Gen. 18. & 32. ad Filium Dei applicationem urget: *cum omnis effectus extra Deum ſit communis toti Trinitati, tunc ſolum una perſona ſine alia dicitur apparere, cum una ſignificatur ſine alia, ut ſub ſpecie columbæ & in linguis igneis perſona Spiritus ſancti. ſed in his apparitionibus non magis una perſona, quam alia ſignificabatur. Ergo non magis una, quam alia apparebat.* Sed ad id iam reſponſum eſt, & oſtenſum, quomodo ſignificata ſit præſentia ſeu approximatio unius perſonæ ſic, ut *eo modo* alia ſe non præſentaverit.

Petavii regulæ proponuntur.

DIONYSIVS PETAVIVS *de Trinitate lib. 8. cap. 2.* poſtquam enumeraſſet, antiquorum Patrum aliquos exiſtimaſſe, *ex divinis perſonis ſolum apparuiſſe verbum, Patrem verò neque viſum à quoquam, neque videri omnino poſſe ſub corporea & viſibili forma: alios, cum Filium non minus quam Patrem ſuapte natura & ſubſtantia inviſibilem tenerent, ſolum tamen Filium priſcis viſum, tradidiſſe,* de quo ſupra pag. 149. *tandem* num. 6. & 10. regulas proponit, quæ *quæſtionis modum adhibeant*, ac de priſcis illis theophaniis veram ſententiam proponant. I. eſt, *Filium (quod & de ſpiritu*

ſancto

Digitized by Google

ſancto intelligendum) per ſe & ſua natura non minus inviſibilem eſſe, quam Patrem. Hanc regulam roborat conſenſu Patrum, Origenis, Irenæi, Athanaſii, Ambroſii, Auguſtini, Maxentii. II. eſt. *Cum Filius & Spiritus ſanctus nihilo magis ex ſeſe ſint aſpectabiles, quam Pater, tum hunc ipſum aliàs ſolum, aliàs cum Filio & Spiritu ſancto aſſumta extrinſecus apparuiſſe ſpecie, neque ſolum Filium omnes illas theophanias obiiſſe, quæ in ſacris libris memorantur, interdũ nullam ex tribus perſonis, ſed angelos vel alicuius ex iis vicem ſubiiſſe, vel ipſos per ſeſe, quod mandatum erat, adminiſtraſſe.* Notat ad hanc, Athanaſium, etſi Filium ſe Patriarchis ad videndum obieciſſe aſſerit, tamen & Angelos apparuiſſe dicere, Nyſſenum docuiſſe, nonnunquam tres perſonas Deitatis apparuiſſe. Epiphanium in expoſ. fid. num. 14. tradere, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum ab orbe condito ſanctis ſuis per viſum apparere dignatum, quantum capere quiſque poterat. Auguſtinum luculenter oſtendiſſe, & Patrem & Spiritum ſanctum apparuiſſe, non ſolum Filium. Iſtæ autem Petavianæ regulæ non evertunt decreta Sirmienſia.

Videat autem, cui non ſunt ζυθόφλυκλοι μηνίγγες πολυφάντασοι ἔσται διὰ τὸ πάθος, annon rectè quondam dixerimus, *univerſam ferè antiquitatem credidiſſe, Filium Dei nomine angeli in Vet. Teſtam. apparuiſſe*, & an ſufficiat, ad tantorum eruditiſſimæ antiquitatis luminum & nominum elidendam autoritatem, quod Succenſor noſter inquit: *Nonnulli Patres à Cenſore Argentoratenſi & Scriptoribus, quos ſequitur, relati ὑπ᾽ ἰβληλοι ſunt, ut Clemens & Soter Epiſcopi Romani: nonnulli in Iudæos ſuique temporis hæreticos intenti, ſatis habuerunt, horum opiniones deſtruere, de poſt exstituris neque ſolliciti, neque inſtructi, ut Iuſtinus: nonnulli cum Patripaſſianis commiſſi per ἀμετρίαν τῆς ἀνθολκῆς, dum diſcrimen perſonarum oſtendere ſatagunt, nimium produnt, ut Tertullianus & Novatianus; nonnulli ἑτεροδοξίας ab antiquo ſuſpecti, ut Origenes, nonnulli verò manifeſti, ut Euſebius: nonnulli, ubi de quæſtione theologica difficili agitur, vix nominari digni, ut Nicephorus & Ioh. Cantacuzenus: alii omnes, alii plures, alii pauciores apparitiones Filio adſignant: alii difficilius & intricatius, alii rectius & dilucidius rem exponunt.* Differt. theſ. 66. Hiccine eſt cultus antiquitatis Eccleſiaſticæ? cum

dicitur,

dicitur, *hunc* in Judæos ſuique temporis hæreticos intentum, & ſecurum ſi eorum opinones deſtrueret, de exituris neque ſollicitum, neque inſtructum, *illum* definitionis limites egreſſum, *iſtum* cum hoſtibus veritatis clanculum congreſſum, *alios* ineptos ad rerum iudicium? Itane verò etiam graviſſimi vetuſtatis Doctores, Athanaſius, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Ambroſius, alii, inter media & periculoſiſſima certamina triumphantes? Vereor ſanè, epiſtolam Baſilii, ex qua nos calumniatus eſt, qui epiſtolæ à me nunquam ſcriptæ verba mihi attribuit, & literas clanculum eximio amico noſtro ereptas oſtentat, Succenſor noſter, pleniſſimè ipſius mores depingere. Sed deſino! Certè quæ de Concilio Sirmienſi iudicavit magnus ille antiquitatis helluo, & quotquot contra illud præcipitarunt iudicia, ex iſtis eliduntur. Sic autem Succenſor noſter. *In ſynodo Sirmienſi Ariani eouſque progreſſi ſunt, ut anathema ei dixerint, qui negaverit Filium tanquam hominem cum Iacobo luctatum fuiſſe.* Et poſt. *Hanc ſynodum Conſtantius Imperator Arianis addictiſſimus præſens & tantum non præſidens celebrari fecit Sirmii in Pannonia, medio ſeculo quarto, cum urbis Epiſcopus Photinus Pauli Samoſateni dogma pridem extinctum ex orco revocare cœpiſſet; ea propter ſede ſua per ſynodum deiectus. Illius enim opinionis hominibus non minus infeſti erant Ariani, quam Catholicis, quos homouſianos appellabant. Vtrique igitur adverſati Filium* προαιώνιον *quidem atque adeo ante ortum ex matre extitiſſe, cæterum Patre inferiorem,* ὑπουργηκότα τῷ πατρὶ εἰς τὴν τῶν ὅλων δημιουργίαν, *Patrem vero* μείζονα τιμῇ καὶ ἀξίᾳ καὶ θεότητι *aſſerere ſatagebant, priore Photinianis, poſteriore Catholicis oppoſito. Vtrique autem ſcopo apparitiones ſoli Filio tributæ & à Patre ſemotæ velificari videbantur. Tres ibi conſcriptæ ſunt formulæ, ſive confeſſiones fidei, una græca, reliquæ duæ latinæ. Græca à Socrate tribuitur Marco Arethuſio auctori, ab Hilario, falſa, ut videtur, epigraphe decepto, adſcribitur Hoſio Cordubenſi & Potamio: & hinc ſine dubio, quod Hilarius pleraque in bonum ſenſum trahere conatur.* Non uno errore notabilis! 1. Non Ariani tantum, ſed & *ſancti Epiſcopi* Doctoreſque Eccleſiæ concilio interfuerunt. 2. Ariani, qui interfuerunt, adhuc ſe *pios* ſimularunt,

Baſil. epiſt. 64.

Diſſertat. theſ. 55.

Digitized by Google

mulaſrunt. 3. Qui anathema ei dixerunt, cui diſplicet, Filium Dei in aſſumta corporali virilique ſpecie cum Jacobo luctatum eſſe, illi & anteriorum ſeculorum doctrinam tradiderunt, & ſui ſeculi conſenſum expreſſerunt, & aſſenſum poſteriorum ſeculorum meruerunt. 4 Conſtantius in illo Concilio ſe *pium* adhuc ſimulabat, & perſonæ magis Athanaſii phraſique, quam doctrinæ atque ſententiæ adverſari videbatur. 5. Si Conſtantius *præſidebat* concilio tanquam ἔξω ἐπίσκοπος, religioſi Patris exemplo fecit. 6. ὑπουργεῖν τῷ πατρὶ εἰς τὴν τῶν ὅλων δημιουργίαν non ſoli Ariani, ſed etiam veterum alii, imò Arianorum fortiſſimi impugnatores, dixerunt. 7. Patrem μείζονα τιμῇ καὶ ἀξίᾳ καὶ θεότητι, Concilium Sirmienſe illud non dixit, quod luctam cum Jacobo Filio Dei attribuit, & ex cuius canonibus nos pugnamus: non actus cœtusque duntaxat diverſus eſt, unde iſta emanarunt, ſed & annorum intervalla diſtinguunt. 8. In Concilio Sirmienſi primo, eiuſque Canonibus nihil Catholicis oppoſuerunt; Photinum, Sabellium, alios hæreticos percuſſerunt. In Confeſſione, dum τὸ ὁμοούσιον omiſerunt, quibusdam, non omnibus Catholicis ſeſe oppoſuerunt. 9. Apparitiones à Patre ſemotæ, Filio tributæ, ſi eius cauſam ad beneplacitum divinum retulerunt, nihil Arianis velificantur. 10. Sirmii tres confeſſiones conſcriptæ, ſed non niſi una in ſynodo illa celebratiſſima, cuius nos ſequimur Canones; aliis congreſſibus, annis, conſiliis fuerunt concinnatæ & editæ aliæ. 11. Nondum evictum eſt, Marcum Arethuſium ſcripſiſſe Confeſſionem cum Canonibus Sirmienſibus, & ſi evinceretur, nihil exinde detraheretur eius autoritati & veritati. 12. Falſum eſt, Sirmienſem Confeſſionem, canonibus & anathematiſmis illis, ex quibus Photini cauſa impugnatur, inſtructam, vel ab Hilario falſa epigraphe decepto Oſio & Potamio tribui, vel ex ea cauſa ab Hilario in bonum ſenſum trahi. Epigraphe namque illa, de qua ſupra p. 126. actum eſt, non eſt primæ, ſed ſecundæ Confeſſionis. Et primam, non ſecundam Confeſſionem conatur Hilarius ad bonum ſenſum trahere, ut loquitur Succenſor. Videat iterum æquus lector, quanta παροράματα tantus antiquitatis inſpector in una ſua de ſynodo Sirmienſi relatiuncula admiſerit.

Videat

Digitized by Google

ſancti nullam naturam finitam in unitatem hypoſtaticam aſſumſit. Ergo perſona Spiritus ſancti in propria hypoſtaſi apparere non potuit, neque debet. Ergo falſum eſt, quod ſcribit Evangeliſtarum ſancta quadriga, Spiritum ſanctum in ſpecie columbæ corporali apparuiſſe. Quia enim Spiritus ſanctus columbam illam non aſſumſit in ſuam hypoſtaſin ita, ut eam ſubſtantialiter terminaret, adeoque unio perſonalis interveniret, (quod malè dicit poſt multos alios Dionyſius Petavius *l 8. theol. dogm. cap. 4. num.* 1. ſtatuiſſe Tertullianum *l. de carne Chriſti cap.* 3. Non ſane id cogunt verba, quæ ſic habent. *Spiritus columba corpore lapſus deſcendit ſuper Dominum. Qui ſpiritus cum hoc eſſet, tam verè erat columba, quam ſpiritus. nec interfecerat ſubſtantiam propriam, aſſumta ſubſtantia extranea.* Loquitur ſanè Tertullianus de veritate rei habitæ, non de modo habendi. Scilicet, Spiritum ſanctum verum corpus columbi-forme habuiſſe, non inane phantaſma Johanni Baptiſtæ & Chriſto, cæteriſque ad incomparabile ſpectaculum admiſſis exhibuiſſe, ſicut Marcion de corporis Chriſti qualitate deliravit. Quomodo autem Tertullianus cenſuerit Spiritum ſanctum ſibi corpus illud coaptaſſe, non explicat. Id tamen ſatis indicat, perſonalem unionem non interveniſſe. Nam & angelis corpora vera eiuſmodi aſſignat, & tam de angelorum quam columbæ ſpecie ait, illa poſt præſtitum uſum in nihilum ſubducta eſſe.) non eſt niſi opus ad extra omnibus perſonis commune, nempe productio vel creatio talis corporalis ſpeciei, quæ ſeorſim & diſtinctè ad perſonam Spiritus ſancti non poteſt referri, niſi per appropriationem vel tanquam typus. Ergò non magis Spiritus ſanctus quam Pater aut Filius Dei in illo σωματικῷ εἴδει apparuerunt. Eant ergo Evangeliſtæ & emendent, quod commemorarunt. Nam accurata illa philoſophia, & ſolida dogmatum comprobatio, & antiquitatis emunctiſſima indagatio id non permittunt. Licebit tamen fortaſſis adhuc Auguſtino loqui, qui aliàs veteribus perſpicacior. Ita ille libro 2. de Trinitate cap. 5. *Si miſſus dicitur, in quantum apparuit foris in creatura corporali, qui intus in natura ſpirituali oculis mortalium ſemper occultus eſt, iam in promtu eſt intelligere etiam de Spiritu ſancto*

Tertullianus vindicatur.

Petavius notatur.

ſancto, cur miſſus & ipſe dicatur. Facta eſt enim quædam creaturæ ſpecies ex tempore, in qua viſibiliter oſtenderetur Spiritus ſanctus, ſive dum in ipſum Dominum corporali ſpecie velut columba deſcendit, ſive cum 10. diebus peractis poſt eius aſcenſionem die Pentecoſtes factus eſt ſubitò de cœlo ſonus, quaſi ferretur flatus vehemens, & viſæ ſunt illis linguæ diviſæ tanquam ignis, qui & inſedit ſuper unumquemque eorum. Hæc operatio viſibilis expreſſa & oculis allata mortalibus, miſſio Spiritus ſancti dicta eſt, non ita ut appareret eius ipſa ſubſtantia, qua & ipſe inviſibilis & incommutabilis eſt, ſicut & Pater & Filius, ſed ut interioribus viſis hominum corda commota, à temporali manifeſtatione venientis ad occultam æternitatem ſemper præſentis converterentur. Et cap. 6. *Non ſic eſt aſſumta creatura, in qua apparuit Spiritus S. ſicut aſſumta eſt caro illa & humana illa forma ex Virgine Maria. Neque enim columbam beatificavit ſpiritus vel illum flatum, vel illum ignem, ſibique & perſonæ ſuæ in unitatem habitumque coniunxit in æternum. Haud verò mutabilis & convertibilis eſt natura Spiritus ſancti, ut non hæc ex creatura fierent, ſed ipſe in illud atque illud mutabiliter verteretur, ſicut aqua in glaciem, ſed apparuerunt iſta, ſicut opportunè apparere debuerunt, creatura ſerviente creatori & ad nutum eius incommutabiliter in ſeipſo permanentis, ad eum ſignificandum & demonſtrandum, ſicut & ſignificari & demonſtrari mortalibus oportebat, mutata atque converſa. Proinde quanquam illa columba ſpiritus dicta ſit, non tamen* ITA *poſſumus dicere Spiritum ſanctum & Deum & columbam, ſicut dicimus Filium Deum & hominem.* Et cap. 7. *Propter has corporales formas, quæ ad eum ſignificandum & ſicut humanis ſenſibus oportet demonſtrandum temporaliter extiterunt, miſſus dicitur etiam Spiritus ſanctus, non tamen minor Patre dictus eſt, ſicut Filius propter formam ſervi, quia illa forma ſervi inhæſit ad unitatem perſonæ, illæ verò corporales ſpecies ad demonſtrandum quod opus fuit ad tempus apparuerunt & eſſe poſtea deſtiterunt.* Et lib. 4. de Trinit. cap. 21. *De ſenſibili demonſtratione Spiritus ſancti ſive per columbæ ſpeciem, ſive per linguas igneas, cum eius ſubſtantiam Patri & Filio coæternam pariterque incommutabilem ſubdita & ſerviens creatura temporalibus motibus & formis oſtenderet, cum ad eius perſonæ unitatem, ſicut caro, quod verbum factum eſt, non copularetur, non*

audeo

audeo dicere, nihil tale factum eſſe antea. Sed planè fidenter dixerim, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum unius eiusdemque ſubſtantiæ, Deum creatorem, Trinitatem omnipotentem, inſeparabiliter operari, ſed ita non poſſe per longè imparem maximeque corpoream creaturam inſeparabiliter demonſtrari, ſicut per voces noſtras, quæ utique corporaliter ſonant, non poſſunt Pater & Spiritus ſanctus niſi ſuis & propriis intervallis temporum certa ſeparatione diſtinctis, quæ ſua cuiusque vocabuli ſyllaba occupant, nominari. In ſua quippe ſubſtantia, qua ſunt tria, unum ſunt Pater & Filius & Spiritus ſanctus, nullo temporali motu ſuper omnem creaturam idipſum ſine ullis intervallis temporum vel locorum, & ſimul unum atque idem ab æternitate in æternitatem, tanquam ipſa æternitate, quæ ſine veritate & charitate non eſt. In meis autem vocibus ſeparati ſunt Pater & Filius & Spiritus ſanctus, nec dici ſimul potuerunt, & literis viſibilibus ſua ſeparatim locorum ſpatia tenuerunt. Et quemadmodum cum memoriam meam, intellectum & voluntatem nomino, ſingula quidem nomina ad res ſingulas referuntur, ſed tamen ab omnibus tribus ſingula facta ſunt: nullum enim horum trium nominum eſt, quod non & memoria & intellectus & voluntas mea ſimul operata ſint, ita Trinitas ſimul operata eſt & vocem Patris & carnem Filii & columbam Spiritus ſancti, cum ad ſingulas perſonas hæc ſingula referantur. Qua ſimilitudine utcunque cognoſcitur, inſeparabilem in ſe Trinitatem per viſibilis creaturæ ſpeciem ſeparabiliter demonſtrari, & inſeparabilem Trinitatis operationem etiam in ſingulis eſſe rebus, quæ vel ad Patrem, vel ad Filiū, vel ad Spiritum ſanctum demonſtrandum propriè pertinere dicuntur. Auguſtinus itaque ex eo capite, quo Succenſor meus, canonem Sirmienſem non impugnavit.

Altera obiectio refellitur. Neque tot lumina Eccleſiæ pervidere potuerunt, quod perſpicaciſſimus Succenſor noſter, angeli appellationem miniſterium neceſſariò includere, adeoque qui Filium Dei ἄταρκον angelum dixerit, vel ſimpliciter & abſolutè angelum appellaverit, eundem Arianis gratificaturum. Miſſionem deſignare exiſtimarunt, quæ non neceſſariò miniſterium includit. Quod fusè contra Arianos ex Patribus deduxerunt Ambroſius, Auguſtinus, Cyrillus & alii, quos cumularunt Did. Ruiz. *de Trinitat. diſput.* 108.

diſputat. 108. Dion. Petav. *de ead. lib.* 8. *cap.* 1. *& ſeqq.* Et actus ipſe ἀγγέλλειν ſeu παραγγέλλειν Deo Patri tribuitur *Actor.* 17, 30. & Spiritui ſancto ἀναγγέλλειν *Ioh.* 16, 13, 14, 15. Certè angeli nomen non magis inferioritatem infert & ſervitutem, quam Apoſtoli nomen, & tamen ipſe Spiritus ſanctus dicitur ἀποςαλεὶς 1. *Petr.* 1, 12.

Falſum autem eſt, quod Janſenius Iprenſis Epiſcopus ait, Ambroſium pro cauſa erroris & origine hæreſeos Arianæ tradidiſſe, quod dicatur, Filium Dei in Vet. Teſtam. etiam ſigillatim apparuiſſe. Aliter ille *l. c.* loquitur. *Sed*, inquit, *ut omne myſterium hæreſis Arianæ traducam, cur nolint Filium de Patris ſubſtantia credi, breviter intimabo. Aiunt enim, cum ſit Deus Pater omnipotens, inviſibilis, inconvertibilis, immutabilis, perfectus, ſemper idem, æternus, Filius verò viſibilis, quia ſæpius Patribus viſus & convertibilis atque mutabilis, quia in variis figuris quibusque ſe monſtravit. Qui ſi de Patris, inquiunt, eſſet ſubſtantia, nunquam fieri poſſet, ut ante carnis aſſumtionem aut viſibilis aut mutabilis cerneretur: quin potius in æqualitate, qua Pater eſt, permanſiſſet, ex cuius ſubſtantia erat; quia quod de Patre eſt, nec videri, nec mutari, nec converti poſſe credendum eſt &c.* Et poſt. *Hæc eſt cauſa erroris, hæc origo hæreſis Arianæ, dum non intelligunt virtutem Dei, neque tanti Sacramenti diſpoſitionem agnoſcunt, cur Deum humanis conditionibus comparent.* Rectè vero Ambroſius regerit, non ex eo, quod non apparuerit Filius Dei in propria hypoſtaſi, ſed ex eo I. quia *Filius Dei non ita in loco viſus eſt, ut Deus erat, ſed ut homo capere poterat de Deo:* II. quia *variæ iſtæ figuræ non indicant mutabilitatem & convertibilitatem in Filio, ſed Dei potentiam, quæ ſe ſingulis prout vult revelare dignatur, habitum mutat, non ſubſtantiam vertit, nec proprietatem qualitatis amittit, ſed iuxta meritum videntis temperamentum maieſtatis adhibet, ipſe tamen idem, ut ſemper eſt, in ſubſtantiæ ſuæ proprietate permanet.* III. quia *ſi angeli in figura hominum ſæpe ſunt viſi, & tamen aliud non ſunt, quam quod ſe eſſe norunt, neque ſubſtantiam mutant, cum formam humani corporis ſumunt.* IV. quia *ſic Filius Dei viſus à Patribus approbatur, ut non totum in illo, quod Deus eſt, videretur, ſed diſpoſitiones rerum futura-*

Ambroſius vindicatur.

turarum, quæ ſuis quibusque temporibus complenda erant, in illo per imaginem tenerentur &c. Malè ergo Ambroſio patrono Janſenius utitur.

Ruizii ſententia expenditur. DIDACUS RUIZIUS *de Trinitate diſput.* 109. *ſect.* 9. materiam de apparitionibus divinis, *Can.* 14. *&* 15. Sirmienſi tactam, tractaturus, primum rationes profert, quibus revera perſonas apparuiſſe in Veteri Teſtamento approbatur, deinde concluſiones ponit, quarum I. eſt: *Divinarum perſonarum viſibiles apparitiones facta Patribus Vet. Teſtam. non poſſunt propriè vocari miſſiones viſibiles, quia non deſtinabantur ad deſignandam inhabitationem perſonæ divinæ per gratiam, ſed ad aliquid aliud manifeſtandum; quia quacunque apparitiones Vet. Teſt. unam perſonam tanquam ab aliis diſtinctam ſignificabant, vel ad incarnationem Chriſti, vel ad eius regnum & extremum iudicium & ſimilia reſpiciebant*: ut Gen. 18. & 19. & Dan. 7. *& in quibus videbatur ſignificata ſingularis amicitia & gratia illius, cui tribuebantur, in illis non ſignificabatur una perſona ſecundum illam proprietatem, qua diſtinguitur ab alia*; ut Gen. 32. Exod. 33. &c. *Et licet concederetur, Patribus in Vet. Teſtam. nec Patrem nec Spiritum ſanctum, ſed Filium apparuiſſe, ſub humana ſpecie, fuiſſent tamen illæ apparitiones valdè obſcuræ, adeò ut nec ipſi Patres per illas diſtinctè cognoverint Filium in ratione Filii, ſeu verbi divini, quemadmodum revelatus eſt in Nov. Teſt. ſed tum adumbratum fuit myſterium, ut poſtea fideles Nov. Teſtam. deprehenderent, quod umbris illis præfigurabatur.* addit tum, *quia prius perfici debuit miſſio viſibilis Filii per incarnationem, quam fieret alia miſſio viſibilis Filii & Spiritus ſancti: tum quia viſibilis miſſio de potentia ordinaria deſtinabatur ad ſignificandam gratiæ redundantiam exuberantis in commune bonum Eccleſiæ. Tempus autem Vet. Teſtam. non fuit ſtatus plenitudinis redundantis; quamvis enim ſingularibus quibusdam perſonis collata fuerit abundans gratia, quæ proximis etiam profuerit, hoc tamen non erat ex ratione propria illius ſtatus.* II. eſt: *Quædam ex illis apparitionibus Vet. Teſtam. appellari poſſunt miſſiones ſecundum quid & impropriè, tum quoniam aliquo modo ſubobſcurè ſignificabant perſonam procedentem ab alia perſona, tum etiam quoniam conferebant aliquam cognitionem ſupernatura-*

naturalem utilem ad ſalutem , *quod ſufficit ad miſsonem ſecundum quid.* Duæ hæ concluſiones Ruizii ſunt de modo loquendi, an in illis apparitionibus locum habeat propriè dicta miſſio, an verò miſſio ſecundum quid? De hoc a. cum nemine contenditur. Ipſe Rod ab Arriaga *de Trin. diſp. 55. ſ. 3 n.* 18 rem parvi momenti vocat. Id tamen diſquiritur, unde conſtet, ad miſſionem propriè ſic dictam requiri, ut deſtinetur perſona divina ad deſignandam ſui inhabitationem per gratiam. Quaſi verò non poſſit aliqua perſona divina mitti & apparere ad alium aliquem effectum, quam gratioſæ inhabitationis ſignificationem. Quid enim, quo minus id fieri poſſit, obſtat? Quomodo autem apparitiones illæ magis unam, quam alteram, aut omnes perſonas divinas indicaverint, ſatis oſtenduntPatres. Inprimis quomodo Filii Dei perſonam ſufficienter, quamvis non tam luculenter, ut in Novo Teſtamento deprehendere potuerint Veteres ſancti: nimirum, quia apparitiones illæ nunc angelo, nunc Domino tribuuntur. Neque Pater autem neque Spiritus ſanctus uſpiam ut angelus inſinuari ſolet, Filius autem, ſalutare deſideratiſſimum, ſemen mittendum typicè & hypoſtaticè, angelus dici poteſt. Hinc & Patriarcharum deſideria, vota, preces ad illum angelum ἀεπαράσαλον, πανλόσωζονλα, ὀλοφύλακα, & benedictionis cœleſtis promum condum, quarum exemplum eſt *Gen.* 48. de quo aliàs. Fuerit in illis aliqua obſcuritas, Filii tamen notitiam non ſuppreſſit, ſub iſta ſufficientia, quæ ad fundandam fidem requiritur. Illud autem valdè inconſideratè dictum eſt, *per apparitiones Vet. Teſtam. adumbratum fuiſſe myſterium, ut poſtea fideles N. T. deprehenderent, quod umbris illis præfigurabatur.* Illa namque ὑποτύπωσις exhibendorum inprimis ad homines V. T. pertinuit, ut illi intelligerent adumbratum, eo modo & gradu, quo cognoſcendum illo tempore fuit. Nobis quidem ex revelationum claritate typorum umbrarumque complementum luculenter conſpicitur. Nihilominus illis, quia σκιὰν τῶν μελλόντων ἀγαθῶν habebant, bona ipſa non ignota fuerunt, ſed ut μέλλοντα *Hebr.* 10, 1. Hinc tantum in illis videndi & audiendi deſiderium. *Matth.* 13, 16. *Luc.* 10, 14. Denique qua lege ſancitum eſt, Filii miſſionem ad incarnationem, debuiſſe præcedere

Digitized by Google

quamvis aliam miſſionem Filii viſibilem? Congruentius Patres cenſuerunt, ut miſſionibus viſibilibus in Veteri Teſtamento ſolenni illi & maximæ miſſioni ad ἐνσάρκωσιν præluderetur. Et illud eſt in libertate mittentis Dei, ad metiri diſpenſationem gratiæ illis miſſionibus, quantam placet, & redundantiam plenitudinis diſpenſare, quando placet, & quouſq; placet, differre. III concluſio eſt: *Nulla nota dignus erit, qui ſimpliciter & abſq, aliqua maiori declaratione dixerit, Filium fuiſſe viſibiliter miſſum humana ſpecie ad Patres Vet. Teſt. quia huic propoſitioni favet ſcriptura, clarius autem Patres.* Hæc Sirmienſes canones roborat. IV. eſt: *Perſonam Patris, licet nunquam miſſa fuerit, quoniã à nulla procedit, nihilominus viſibiliter apparuiſſe Patribus V. Teſt. tanta certitudinis eſt, ut Auguſtino teſte II. de Trin. cap. 16. nimis temerarium ſit dicere, Deum Patrem nunquam Patribus Vet. Teſt. aut Prophetis per aliquas viſibiles formas apparuiſſe.* Hæc concluſio Sirmienſes canones non lædit.

Vasquetii ratio tangitur.

GABR. VASQUEZ *in 1. Thom. Tom. 1. diſput. 185. cap. 2. n. 9.* id contra apparitionum Vet. Teſt. Gen. 18. & 32. ad Filium Dei applicationem urget: *cum omnis effectus extra Deum ſit communis toti Trinitati, tunc ſolum una perſona ſine alia dicitur apparere, cum una ſignificatur ſine alia, ut ſub ſpecie columbæ & in linguis igneis perſona Spiritus ſancti. ſed in his apparitionibus non magis una perſona, quam alia ſignificabatur. Ergo non magis una, quam alia apparebat.* Sed ad id iam reſponſum eſt, & oſtenſum, quomodo ſignificata ſit præſentia ſeu approximatio unius perſonæ ſic, ut *eo modo* alia ſe non præſentaverit.

Petavii regulæ proponuntur.

DIONYSIVS PETAVIVS *de Trinitate lib. 8. cap. 2.* poſtquam enumeraſſet, antiquorum Patrum aliquos exiſtimaſſe, *ex divinis perſonis ſolum apparuiſſe verbum, Patrem verò neque viſum à quoquam, neque videri omnino poſſe ſub corporea & viſibili forma: alios, cum Filium non minus quam Patrem ſuapte natura & ſubſtantia inviſibilem tenerent, ſolum tamen Filium priſcis viſum, tradidiſſe,* de quo ſupra pag. 149. *tandem* num. 6. & 10. regulas proponit, quæ *quaſtionis modum adhibeant*, ac de priſcis illis theophaniis veram ſententiam proponant. I. eſt, *Filium (quod & de ſpiritu ſancto*

ſancto intelligendum) per ſe & ſua natura non minus inviſibilem eſſe, quam Patrem. Hanc regulam roborat conſenſu Patrum, Origenis, Irenæi, Athanaſii, Ambroſii, Auguſtini, Maxentii. II. eſt. *Cum Filius & Spiritus ſanctus nihilo magis ex ſeſe ſint aſpectabiles, quam Pater, tum hunc ipſum aliàs ſolum, aliàs cum Filio & Spiritu ſancto aſſumta extrinſecus apparuiſſe ſpecie, neque ſolum Filium omnes illas theophanias obiiſſe, quæ in ſacris libris memorantur, interdũ nullam ex tribus perſonis, ſed angelos vel alicuius ex iis vicem ſubiiſſe, vel ipſos per ſeſe, quod mandatum erat, adminiſtraſſe.* Notat ad hanc, Athanaſium, etſi Filium ſe Patriarchis ad videndum obieciſſe aſſerit, tamen & Angelos apparuiſſe dicere, Nyſſenum docuiſſe, nonnunquam tres perſonas Deitatis apparuiſſe. Epiphanium in expoſ. fid. num. 14. tradere, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum ab orbe condito ſanctis ſuis per viſum apparere dignatum, quantum capere quiſque poterat. Auguſtinum luculenter oſtendiſſe, & Patrem & Spiritum ſanctum apparuiſſe, non ſolum Filium. Iſtæ autem Petavianæ regulæ non evertunt decreta Sirmienſia.

Videat autem, cui non ſunt ζυθόφλυκλοι μηνίγγες πολυφάντασοι ἔσται διὰ τὸ πάθος, annon rectè quondam dixerimus, *univerſam ferè antiquitatem credidiſſe, Filium Dei nomine angeli in Vet. Teſtam. apparuiſſe*, & an ſufficiat, ad tantorum eruditiſſimæ antiquitatis luminum & nominum elidendam autoritatem, quod Succenſor noſter inquit: *Nonnulli Patres à Cenſore Argentoratenſi & Scriptoribus, quos ſequitur, relati ὑπέβλητοι ſunt, ut Clemens & Soter Epiſcopi Romani: nonnulli in Iudæos ſuique temporis hæreticos intenti, ſatis habuerunt, horum opiniones deſtruere, de poſt extituris neque ſolliciti, neque inſtructi, ut Iuſtinus: nonnulli cum Patripaſſianis commiſſi per ἀμετρίαν τῆς ἀνθολκῆς, dum diſcrimen perſonarum oſtendere ſatagunt, nimium produnt, ut Tertullianus & Novatianus; nonnulli ἑτεροδοξίας ab antiquo ſuſpecti, ut Origenes, nonnulli verò manifeſti, ut Euſebius: nonnulli, ubi de quæſtione theologica difficili agitur, vix nominari digni, ut Nicephorus & Ioh. Cantacuzenus: alii omnes, alii plures, alii pauciores apparitiones Filio adſignant: alii difficilius & intricatius, alii rectius & dilucidius rem exponunt.* Hiccine eſt cultus antiquitatis Eccleſiaſticæ? cum *Diſſert. theſ. 66.*

 dicitur,

Digitized by Google

dicitur,*hunc* in Judæos ſuique temporis hæreticos intentum, & ſecurum ſi eorum opiniones deſtrueret, de extituris neque ſollicitum, neque inſtructum, *illum* definitionis limites egreſſum, *iſtum* cum hoſtibus veritatis clanculum congreſſum, *alios* ineptos ad rerum iudicium? Itane verò etiam graviſſimi vetuſtatis Doctores, Athanaſius, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Ambroſius, alii, inter media & periculoſiſſima certamina triumphantes? Vereor ſanè, epiſtolam Baſilii, ex qua nos calumniatus eſt, qui epiſtolæ à me nunquam ſcriptæ verba mihi attribuit, & literas clanculum eximio amico noſtro ereptas oſtentat, Suc-

Baſil.epiſt. 64. cenſor noſter, pleniſſimè ipſius mores depingere. Sed deſino! Certè quæ de Concilio Sirmienſi iudicavit magnus ille antiquitatis helluo, & quotquot contra illud præcipitarunt iudi-

Diſſertat. theſ. 55. cia, ex iſtis eliduntur. Sic autem Succenſor noſter. *In ſynodo Sirmienſi Ariani eouſque progreſſi ſunt, ut anathema ei dixerint, qui negaverit Filium tanquam hominem cum Iacobo luctatum fuiſſe.* Et poſt. *Hanc ſynodum Conſtantius Imperator Arianis addictiſſimus præſens & tantum non præſidens celebrari fecit Sirmii in Pannonia, medio ſeculo quarto, cum urbis Epiſcopus Photinus Pauli Samoſateni dogma pridem extinctum ex orco revocare cœpiſſet; ea propter ſede ſua per ſynodum deiectus. Illius enim opinionis hominibus non minus infeſti erant Ariani, quam Catholicis, quos homouſianos appellabant. Vtrique igitur adverſati Filium* προαιώνιον *quidem atque adeo ante ortum ex matre extitiſſe, cæterum Patre inferiorem,* ὑπουργηκότα τῷ πατρὶ εἰς τὴν τῶν ὅλων δημιουργίαν, *Patrem vero* μείζονα τιμῇ καὶ ἀξίᾳ καὶ θεότητι *aſſerere ſatagebant, priore Photinianis, poſteriore Catholicis oppoſito. Vtrique autem ſcopo apparitiones ſoli Filio tributæ & à Patre ſemotæ velificari videbantur. Tres ibi conſcriptæ ſunt formulæ, ſive confeſſiones fidei, una græca, reliquæ duæ latinæ. Græca à Socrate tribuitur Marco Arethuſio auctori, ab Hilario, falſa, ut videtur, epigraphe decepto, adſcribitur Hoſio Cordubenſi & Potamio: & hinc ſine dubio, quod Hilarius pleraque in bonum ſenſum trahere conatur.* Non uno errore notabilis! 1. Non Ariani tantum, ſed & *ſancti Epiſcopi* Doctoreſque Eccleſiæ concilio interfuerunt. 2. Ariani, qui interfuerunt, adhuc ſe *pios* ſimularunt,

Digitized by Google

mutarunt. 3. Qui anathema ei dixerunt, cui diſplicet, Filium Dei in aſſumta corporali virilique ſpecie cum Jacobo luctatum eſſe, illi & anteriorum ſeculorum doctrinam tradiderunt, & ſui ſeculi conſenſum expreſſerunt, & aſſenſum poſteriorum ſeculorum meruerunt. 4 Conſtantius in illo Concilio ſe *pium* adhuc ſimulabat, & perſonæ magis Athanaſii phraſique, quam doctrinæ atque ſententiæ adverſari videbatur. 5. Si Conſtantius *præſidebat* concilio tanquam ἔξω ἐπίσκοπος, religioſi Patris exemplo fecit. 6. ὑπουργεῖν τῷ πατρὶ εἰς τὴν τῶν ὅλων δημιουργίαν non ſoli Ariani, ſed etiam veterum alii, imò Arianorum fortiſſimi impugnatores, dixerunt. 7. Patrem μείζονα τιμῇ καὶ ἀξίᾳ καὶ θεότητι, Concilium Sirmienſe illud non dixit, quod luctam cum Jacobo Filio Dei attribuit, & ex cuius canonibus nos pugnamus: non actus cœtusque duntaxat diverſus eſt, unde iſta emanarunt, ſed & annorum intervalla diſtinguunt. 8. In Concilio Sirmienſi primo, eiuſque Canonibus nihil Catholicis oppoſuerunt; Photinum, Sabellium, alios hæreticos percuſſerunt. In Confeſſione, dum τὸ ὁμοούσιον omiſerunt, quibusdam, non omnibus Catholicis ſeſe oppoſuerunt. 9. Apparitiones à Patre ſemotæ, Filio tributæ, ſi eius cauſam ad beneplacitum divinum retulerunt, nihil Arianis velificantur. 10. Sirmii tres confeſſiones conſcriptæ, ſed non niſi una in ſynodo illa celebratiſſima, cuius nos ſequimur Canones; aliis congreſſibus, annis, conſiliis fuerunt concinnatæ & editæ aliæ. 11. Nondum evictum eſt, Marcum Arethuſium ſcripſiſſe Confeſſionem cum Canonibus Sirmienſibus, & ſi evinceretur, nihil exinde detraheretur eius autoritati & veritati. 12. Falſum eſt, Sirmienſem Confeſſionem, canonibus & anathematiſmis illis, ex quibus Photini cauſa impugnatur, inſtructam, vel ab Hilario falſa epigraphe decepto Oſio & Potamio tribui, vel ex ea cauſa ab Hilario in bonum ſenſum trahi. Epigraphe namque illa, de qua ſupra p. 126. actum eſt, non eſt primæ, ſed ſecundæ Confeſſionis. Et primam, non ſecundam Confeſſionem conatur Hilarius ad bonum ſenſum trahere, ut loquitur Succenſor. Videat iterum æquus lector, quanta παροράματα tantus antiquitatis inſpector in una ſua de ſynodo Sirmienſi relatiuncula admiſerit.

Videat

Digitized by Google

Diſſertat. theſ.69.

Videat, an verum ſit, quod ſcribit Succenſor ille noſter; *Nullum ullius niſi Arianæ partis Concilium, nulla confeſſio, nulla formula ſibi ſumſit (in hac de apparitionibus Veteris Teſtamenti materia) ut alterutrum vel affirmando, vel negando determinaret.* Non eſſe Arianæ partis, quamvis Ariani ei-ſe miſcuerint, Sirmienſem ſynodum, Confeſſionem, formulam, ſatis dilucidatum eſt. Eſtne verò Arianæ partis Concilium Antiochenum, cuius ſynodicam epiſtolam, qua evidenter affirmando determinatur, Abrahamo, Jacobo, Moſi Filium Dei apparuiſſe, locutum fuiſſe, & nunc angelum, nunc Dominũ, nunc Deum appellatum? Id autem abſurdiſſimum fuerit aſſeverare. Fuit hoc concilium, ut Baronius collocat, anno XII. Gallieni Imperat. qui eſt Chriſti 266. habitum Antiochiæ, quod manifeſtum eſſe putat ex eo, quod Hymenæus Hieroſolymorum & Dionyſius Alexandriæ Epiſcopi corpore aut literis eidem interfuerint. Hymenæus anno XII. Gallieni Imperat. factus eſt Epiſcopus Hieroſolym. teſte Euſebio *in Chron.* Si igitur huic Concilio iam ordinatus ſedis Hieroſolymitanæ Epiſcopus interfuit, quod ſcribit idem Euſeb. *lib. 7. hiſt. cap.* 22. ſanè ante duodecimum Imperatoris prædicti annum hanc ſynodum habitam fuiſſe, nequit dici. Quod autem poſt hunc annum non fuerit celebrata, literæ quas Dionyſius Alexand. hoc tempore adhuc vivens ad ſynodum transmiſit, manifeſtiſſimè demonſtrant: vixit autem non ultra XII. præallegati Gallieni Imp. annum imperii, ut teſtantur Euſeb. *lib.* 7. *c.* 22. 24. Hieronymus *ex vita Dionyſii.* Reliquum igitur eſt, ipſo duodecimo anno imperii Gallieni, qui eſt Chriſti 266. hanc Antiochenam ſynodum celebratam eſſe. *Ita Card. Bar.* circa hoc negotium ratiocinatur, & eum ſequitur Binius *Tom.* 1. *Conc. p.* 208. Placet autem ob magnam confinitatem & ſummum conſenſum Theologorum Antiochenorum & Sirmienſium, inter quos penè ſeculi interceſſit ſpatium, integram ſynodicam epiſtolã proponere, quam ex antiquitate eruit Fr. Turrianus, & inſeruit Annalibus Baron. *a.* 267. *num.* 4. *& Conciliorum* T. 1. Binius *pag.* 209. quæque inſerta eſt Biblioth. Patr. Græcolat. T. 1. *p.* 302. ex qua citat Petavius *de Trin. lib.* 8. *cap.* 1. quem ſequitur Succenſor meus. Sic autem habet. Hymenæus, Theophilus

An nullũ niſi Arianæ partis conciliũ ſententiam de apparitionibus in alterutram partem determinarit?

Epiſtola ſynodica Antiochena proponitur.

Diſſert. th. 56.

philus, Theotecnus, Maximus, Proclus, Bolanus, Paulo *in Chriſto Sal.* Jam quidem in congreſſum & colloquium inter nos venimus, ac fidem noſtram oſtendimus. Vt vero manifeſtiùs fiat, quid quisque ſentiat, & ea, quæ in quæſtionem ac dubitationem vocantur, certiorem exitum accipiant, decrevimus fidem ſcripto edere & exponere, quam à principio accepimus, & habemus traditam & ſervatam in catholica & ſancta Eccleſia uſque in hodiernum diem, à beatis Apoſtolis, *qui viderunt ipſi, & miniſtri fuerunt verbi*, prædicatam ex lege & Prophetis, ac Novo Teſtamento: Eſſe unum Deum ingenitum, ſine principio, *inviſibilem*, immutabilem, *quem nullus hominum vidit, neque videre poteſt*; cuius gloriam vel amplitudinem intelligere aut enarrare pro dignitate, ut in re & veritate eſt, humana natura non poteſt: notionem verò eius, utcunque mediocrem, ſi habemus (revelante Filio eius, ſicut ait: *Nemo novit Patrem, niſi Filius, & cui Filius revelaverit*) contenti eſſe debemus. Hunc autem Filium genitum, unigenitum, *imaginem Dei inviſibilis, primogenitum omnis creaturæ, ſapientiam & verbum, ac virtutem* Dei ante ſecula, non præcognitione ſed ſubſtantia & hypoſtaſi Deũ, Dei Filium, cum in Veteri & Novo Teſtamento cognoverimus, confitemur & prædicamus. Qui autem contra dicit, *Filium Dei non eſſe ante conſtitutionem mundi*, dicitque, *credere & confiteri eſſe Deum, non eſſe aliud quàm duos Deos prædicare, qui Filium Dei non eſſe Deum prædicat*, hunc alienum eſſe ab Eccleſiaſtica regula arbitramur, & omnes Eccleſiæ Catholicæ nobiſcum conſentiunt. De hoc enim ſcriptum eſt: *Thronus tuus Deus in ſæculum ſeculi, virga rectitudinis, virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Et rurſus Eſaias *Deus noſter iudicium retribuet: ipſe veniet, & ſalvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum audient. Tunc ſaliet ſicut cervus, claudus; & expedita erit lingua mutorum.* Et rurſus: *In te adorabunt: quoniam in te eſt Deus; & non eſt alius præter te. tu enim es Deus, & neſcivimus; Deus Iſrael, Salvator.* Et apud Apoſtolum: *Ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula, Amen.* In quibus illud, *Qui eſt ſuper omnia*; & illud, *præter* te;

Luc. 1.
1. Tim. 6.
Matth. 11.
Coloſſ 1.
1. Cor. 1.
Heb. 1. ex Pſal. 44.
Eſa. 35.
Eſa. 45.
Rom. 9.

Digitized by Google

Oſea 11. *ter* te; in omnibus creaturis intelligendum eſt. Et in Oſea: *Quoniam Deus ego ſum, & non homo, in te ſanctus; & non ingrediar in civitatem: poſt Dominum ambulabo.* Et omnes ſcripturæ divinæ *Deum* filium Dei declarant: quas ſingulatim proponere, in aliud tempus differimus. Hunc Filium, qui ſemper cum Patre eſt, credimus impleviſſe voluntatem paternam in

Pſal. 149. creatione univerſi. *Ipſe enim dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt.* Qui autem mandat alteri mandat, quem non alium eſſe perſuaſum habemus, quam unigenitum Filium Dei,

Geneſ. 1. Deum, cui dixit: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Et ut in ſumma dictum ſit ſecundum Evange-

Iohan. 1. lium: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.*

Coloſſ. 1. Et ſecundum Apoſtolum: *In ipſo condita ſunt omnia, quæ in cœlis & quæ in terra, ſive viſibilia, ſive inviſibilia, ſive throni, ſive principatus, ſive dominationes, ſive poteſtates; omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt*; quippe qui verè eſt & operatur, utpote verbum ſimul & Deus, per quem omnia fecit Pater, *non tanquam per inſtrumentum*, neque tanquam *per ſcientiam*, non per ſe exiſtentem. Generavit quidem filium Pater, tanquam ἐνέργειαν actum viventem, & per ſe exiſtentem, omnia in omnibus operantem: non autem ſolùm vidit Filius, neque præſens fuit Filius, ſed etiam, ſicut ſcriptum eſt, operatus eſt ad creationem univerſi, nobis con-

Geneſ. 18. gruentem. Hunc dicit ſcriptura *deſcendiſſe, & apparuiſſe Abrahæ ad quercum Mambre* unum ex tribus: cum quo Patriarcha

Iohan. 5. tanquam cum Domino & iudice colloquebatur; *& qui omne iu-*

Geneſ. 19. *dicium à Patre accepiſſet*; de quo ſcriptum eſt: *Dominus pluit ſuper Sodoma & Gomorrha ignem & ſulphur à Domino de cœlo.* Qui implens voluntatem paternam, Patriarchis apparet, & cum eis loquitur in eiſdem clauſulis, & eiſdem capitibus, aliquando quidem tanquam *Angelus*, quandoque verò tanquam *Dominus*,

Supra pag. 146. quandoque autem *Deus* eſſe affirmatur. Deum enim univerſi impium eſt exiſtimare vocari Angelum. Filius verò Angelus Patris eſt, qui eſt ipſe Dominus & Deus. Scriptum enim eſt,

Eſa. 9. *Angelus magni conſilii.* Sicut & aliàs in Abraham: *Et vocavit eum Angelus Domini de cœlo*, & quæ deinceps ſequuntur: *Nunc*

Geneſ. 22. *enim*

Digitized by Google

enim cognovi, quod times Deum, & non pepercisti filio tuo dilecto propter me. Et vocavit nomen loci, Dominus vidit: ut dicant uſque Geneſ. 31.
in hodiernum diem, in monte Dominus apparuit. Et in Jacob: *Dixit*, inquit, *mihi angelus Dei per ſomnium, Iacob. Ego dixi, Quid eſt? Et dixit: Reſpice oculis tuis, & quæ ſequuntur: Ego ſum Deus, qui apparui tibi in loco Dei, ubi unxiſti mihi illic titulum, & voviſti mihi illic votum.* Et poſt luctam (ϗ ταῦτα ἀνθρώπου προγεγραμμένου) eamque hominis præfigurati, ſubiungitur: *Et ap-* Geneſ. 32.
pellatur Iacob nomen loci illius, Facies Dei. Vidi enim Deum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea. Hominem (τὸν δὲ προγεγραμμένον ὄντα υἱὸν τοῦ Θεοῦ) autem præfiguratum dicimus eſſe Filium Dei, quem ipſa ſcriptura Deum eſſe declaravit. Quin etiam legem ſimiliter datam eſſe Moyſi dicimus, miniſtrante Filio Dei, ſicut Apoſtolus docet, cum ait: *Quid igitur lex? pro-* Galat. 3.
pter transgreſſiones poſita eſt, donec veniret ſemen, cui promiſerat, or- 1. Tim. 2.
dinata per Angelos, in manu Mediatoris. Mediatorem autem alium Dei & hominum neſcimus præter hunc. Hæc etiam docet nos Moyſes, cui apparuit Angelus in flamma ignis ex rubo, & quæ ſequuntur: *Poſtquā autem vidit Dominus, quod pergit ad* Exod. 3.
videndum, vocavit eum ex rubo. Et rurſus: *Ingrediens congrega* Ibid.
ſenatum filiorum Iſrael, & dices eis: Dominus Deus patrum noſtrorum apparuit mihi, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob, & quæ ſequuntur; Si igitur non crediderint mihi, nec audierint vocem meam (dicent enim, quod non apparuit mihi Dominus Deus) quid eis dicam? Et in benedictionibus: *Et quæ fuerint accepta* Exod. 4.
ei, qui apparuit in rubo, veniant ſuper caput Ioſeph. Et aliàs: *Et* Deut. 33.
dixit Dominus ad Moyſen: Et hunc ſermonem, quem dixiſti, faciam tibi. Et dixit: *Oſtende mihi gloriam tuam.* Et dixit: *Ego trans-* Exod. 33.
ibo prius te in gloria mea, & vocabo in nomine Domini coram te; & miſerebor cui miſertus ſum, & miſericordiam præſtabo cui miſerebor. Quod quidem ſic perficitur: *Et deſcendit Dominus in nube, & ſte-* Exod. 34.
tit coram eo illic, & vocavit in nomine Domini. Et tranſivit Dominus ante faciem eius, & vocavit Dominus Deus. Qui enim ſuprà promiſerat ſe tranſiturum, Filius Dei Dominus, & vocavit in nomine Domini, qui eſt Pater, hic eſt, qui verè ait: *Non* Iohan. 6.
quia Patrem vidit quiſquam, niſi qui eſt à Deo, hic vidit

Ioh. 5. Patrem. Et in eodem Evangelio : *Neque vocem eius unquam audiſtis, neque ſpeciem eius vidiſtis.* Et : *Deum nemo vidit unquam : Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.* Et Apoſtolus in alio loco : *Regi autem ſeculorum, immortali, inviſibili, ſoli ſapienti Deo.* Filium verò, qui eſt apud Patrem, Deum quidem & Dominum omnium creaturarum dicit, à Patre autem miſſum de cœlis & carne aſſumta factum eſſe hominem. Quamobrem corpus eius ex virgine ſumtum, *in quo omnis plenitudo divinitatis corporaliter habitavit*, divinitati immutabiliter unitum & deificatum eſt. Qua de cauſa idem Deus & homo Jeſus Chriſtus prophetabatur in Lege & Prophetis, & ab omnibus in Eccleſia, quæ ſub cœlo eſt, creditus eſt Deus quidem, qui ſeipſum exinanivit, cum eſſet æqualis Deo, homo verò ex ſemine David ſecundum carnem. Signa quidem & prodigia, quæ in Evangeliis deſcripta ſunt, Deus operabatur : participatione verò carnis & ſanguinis tentatus eſt per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. Sic & Chriſtus ante incarnationem in divinis ſcripturis tanquam unus nominatus eſt : in Hieremia quidem, *Spiritus ante faciem noſtram Chriſtus. Dominus autem Spiritus eſt*, ſecundum Apoſtolum. Et ſecundum Apoſtolum ; *Bibebant autem ex ſpirituali petra: petra autem erat Chriſtus.* Et rurſus : *neque tentemus Dominum, ſicut quidam eorum tentaverunt, & à ſerpentibus perierunt.* Et de Moyſe : *Maiores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti.* Et Petrus ; *De qua ſalute exquiſiverunt Prophetæ, qui de futura in nobis gratia prophetaverunt, ſcrutantes, in quod vel quale tempus ſignificaret in eis ſpiritus Chriſti.* Si autem Chriſtus *Dei ſapientia* ante ſecula eſt : ſic & quatenus Chriſtus unum & idem eſt ſubſtantia, quamvis multis notionibus cogitetur. Hæc ex plurimis pauca notavimus. Scire volumus, an eadem nobiscum ſentias & doceas : & nobis ſignifices, an iis, quæ ſuperius ſcripſimus, aſſentiaris, annon ? *Hactenus fides Patrum*, quam ita l. c. Baronius exhibet. Not. 1. Antiocheni Patres, de quibus Athanaſius *in epiſt. de ſynodis Arim. & Seleuc.* T. 1. p. 707. piè diſſerit, profitentur *fidem, quam à principio acceperunt & habent traditam & ſervatam in*

Margin notes: Johan. 1. — 1. Tim. 1. — Coloſſ. 2. — Phil. 2. — Rom. 1. — Heb. 4. — Hier. 4. — 2. Cor. 3. — 1. Cor. 3. — (l) Hebr. 11. — 1. Pet. 1. — 1. Cor. 1.

tam in Catholica & ſancta Eccleſia uſq; ad illum diem, à B. Patribus, qui viderunt ipſi&c. 2. aſſerunt, Filium Dei in V. & N. T. cognitum. 3. probant Deitatē Filii ex V. T. dictis *Pſ.* 45. *Eſa.* 35. *c.* 45. *Oſe.* 11. 4. cum Filio Dei tribuunt, quod à Patre mandatū acceperit in creatione rerū, ſic explicandi ſunt, ſicut cum *Ioh.* 5, 19. de viſione & demonſtratione ſermo eſt. *Confer ſupra p.* 136. 137. 5. Confirmant illi canonem, iuxta recenſionem Hilarii, XIV. *de quo videatur p.* 140. *& ſeqq.* 6. Confirmant canonem iuxta Hilarii numerum XVI. *de quo infra mox agemus.* 7. Filium Dei ſæpius *angelum* vocari in Vet. Teſt. aſſeverant. 8. Luctatorem cum Jacobo Filium Dei fuiſſe pronunciant, adeoque canonem Sirmienſem XV. roborant. 9. Angelum in flamma rubi Filium Dei fuiſſe tradunt. 10. Rurſus Filium Dei, ut verum Deum, in lege & Prophetis prophetatum fuiſſe in Vet. Teſtam. aiunt & firmant ex 1. *Cor.* 10. *Hebr.* 11. 1. *Petr.* 1. Sed hæc ſufficiant ad Can. XV.

Canon XVI explicatur ex quarto ſeculo.

Canon, iuxta Hilarii digeſtionem XVI. à nobis ſupra XV. loco poſitus, interpretationem loci *Gen.* 19, 24. habet magno conſenſu receptam. Hilarius *in notis ad h. can. Hæc quia Photinus, adverſus quem tum conventum erat, negabat, inſerenda fidei fuerunt* &c. Idem ſæpiſſimè illo loco hoc ſenſu utitur. Vide *lib. IV. de Trinitate pag.* 58. *& lib.* 5. *pag.* 81. &c. Sic & Athanaſius *Tom.* 1. *orat.* 3. *contra Arianos pag.* 195. *e. & contra gregales Sabellii p.* 510. *f. & in ep. de Synodis Arim. & Seleuc. pag.* 615. Nec eſt in ſeculo quarto, quo concilium Sirmienſe celebratum fuit, aliquis ex Dd. Eccleſiæ Orthodoxæ, qui illi expoſitioni contradixerit, ut adeo Doctorum illius ſeculi illa ſententia conſtans & unanimis fuerit. Euſebius Cæſar. *de præparat. Evang. lib.* 7. *cap.* 5. *& lib.* 11. *cap.* 9. *de demonſtrat. Evang. lib.* 5. *cap.* 8. Baſilius *lib. contra Eunom. pag.* 350. *&* 362 quem locum etiam habet Euthymius Zigabenus *Panopl. part.* 1. *tit.* 11. *pag.* 323. Gregorius Nazianzenus *orat.* 3. *de Theolog. pag.* 312. *col* 2. *edit Billii.* Epiphanius *in Ancorato num.* 117. *pag.* 119. *edit. Petav. & in hæreſ. Samar. num.* 5. *pag.* 28. Philaſtrius Brixienſis *hæreſ.* 8. *T.* 5. *B. S. P. edit. Par.* 1. Idacius Clarus *hæreſiolog. p.* 256. 284. Marius Victorinus Afer *contra Arianos lib.* 1. *pag.* 202. *T.* 5. *B. S. P. edit. Pariſ.* 1. Gregorius Nyſſenus *l. de cognit. Dei pag.* 349. *T.* 1. *B. S. P. edit. cit. & de Tri-*

Chryſoſtomus vindicatur. *nitate adverſ. Iudæos pag.* 316. *oper. edit Sifani.* Hieronymus *ad Oſeæ* 1, 7. Chryſoſtomus *hom. de Trinitate Tom.* 3. *pag.* 912. quem malè Dionyſ. Petavius *lib.* 2. *de Trin. cap.* 7. *num.* 13. annotat, hebraiſmum h. l. agnoſcere, quo nomen propriumpro pronomine ponitur, *hom.* 43. *in Geneſ.* ubi ad verſ. 24. & 25. ſcribit: *Dilecte, ne tenearis admiratione; proprietas enim eſt ſcripturæ, & indifferenter ſic ſæpe ponit verba, id quod & nunc videre licet.* Pluit enim *inquit,* Dominus ſulphur & ignem, à Domino de cœlo, *ut dicat, quod Dominus de cœlo pœnam inducat & non ſolum civitatem evertat & omnem circa regionem & omnes inhabitantes, ſed & quæ exoriuntur de terra ſubvertit.* Reſpicit ergo Chryſoſtomus *non ad locutionem canone Sirmienſi propoſitam, ſed ad illam exaggerationem rerum perditarum.* Quoad anteriora & poſteriora ſecula, nemo eſt ex orthodoxis, qui quarti ſeculi ſententiæ adverſetur, quam Sirmienſis Canon expreſſit. Præiverunt verò *in ſeculis anterioribus* quam plurimi. Allegatur in eum finem Sixti 1. *ep.* 1. & Marcellini *ep.* 1. *ad Salomonem,* Sed has epiſtolas eſſe ſuppoſititias, non ignoramus, uti nec ignoravimus, Clementis & Soteris

Diſſ. th. 66. ſcripta eius eſſe commatis, licet in Antonii Fernandii & Johan. Nodini recitationibus eos reliquerimus, quia inſtitutum non erat, criſin autorum ibi facere; ut adeò nihil Succenſor ibi habuerit, quod ſuccenſeret. Sic & Ignatii *Ep. ad Antiochenos* cenſetur. *Conf. Indicem Iniquit. Mogunt. port.* 2 §. 21. *pag.* 47. In

Ex ſecundo ſeculo. *ſecundo ſeculo* iam autem ſententia Sirmienſis concilii de illa locutione Moſaica eluxit in Juſtino Martyre, *dialogo cum Tryphone pag.* 215. *& p.* 281. & in Irenæo *lib.* 3. *adverſ. hæreſ. cap.* 6. Juſtinum contra Arianorum & Socinianorum cavillationes, quas Succenſor noſter oſtentat, ut in aliis, pulchrè defendit & explicat Did. Ruizius *diſputat.* 39. *ſect.* 7. *num.* 7. In *tertio ſeculo* præ-

Ex tertio ſeculo. ivit *Sirmienſibus ſanctis,* ut eos vocat Philaſtrius, *Epiſcopis* Tertullianus *contra Prax. cap.* 13. *&* 16. *& lib.* 4. *contra Marc. cap.* 29.

Ex quinto ſeculo. Cyprianus *adv. Iud. lib.* 3. *cap.* 33. In *quinto ſeculo* conſervata fuit Sirmienſis explanatio apud Auguſtinum *Tom. IV. quæſt. ſuper Geneſin quæſt.* 59. *col.* 97. *Pluit Dominus à Domino, qui ſcribebat dixit, ut Dominus eius à Domino eius, id eſt, Dominus noſter in Domino no-*

Digitized by Google

no noſtro pluiſſe dicatur , hoc eſt , Filius in Patre. Et *tom.6. de 5. hæreſ. col.33.* Et apud Cyrillum Alexandrinum *lib. 1. in Iohan. c.2. Per iram Dei*, inquit, *Sodomitarum urbes exuſtas eſſe ſcriptura narrat.* Pluit, *inquit,* Dominus à Domino ignem & ſulphur. *Hæc enim pars calicis eius eis conſervatur, qui talia committunt flagitia. Quis igitur Dominus à Domino ignem deſcendere fecit? Patet, quia Pater per Filium omnia peragit, brachium enim & virtus Patris Filius cum ſit, ipſe in Sodomitas ignem immiſit. Quod ſi Dominus à Domino ignem pluit, quomodo alius à Patre Filius, & a Filio Pater non eſt? Cum enim dicatur Dominus à Domino, unus ex uno profectò ſignificatur.* Confer *theſaur. ad reg. lib. 9. cap. 3. & lib. 1. contra Iulianum Apoſt. fol. 5. fac. b. & lib. 8. f. 68 fac. b.* Committit autem, ut hoc obiter notem, pudendum errorem Chr. Brovverus Jeſuita in notis ad Venant. Fort. p. 135. cum ad teſtimonium Cyrilli obſervat & ait: *Hæc Cyrilli teſtificatio apud veteres tanti fuit, ut eam quoq; in Concilio Sirmienſi plurimi æſtimarint Epiſcopi.* Quaſi verò Sirmienſe Concilium Cyrillum teſtificantem de loco Gen. 19. ſeculo ante prævideriti! Theodoretus *de curand. græc. aff. lib. 2. pag. 494. col. 2. ſubſecutis*, inquit, *annorum temporumq; curriculis, Sodoma fulminibus corrupturus, confinesque Sodomis civitates, quæ impietatis ac flagitii participes fuerunt, dualitatem dominorum nobis oſtendit. Inquit enim Moſes, qui cladem illarum civitatum nobis deſcripſit :* Et pluit Dominus à Domino ſuper Sodoma & Gomorrha ignem & ſulphur de cœlo. *Ne quis autem exiſtimet, hunc ſolum Prophetam, ea quæ ſunt Trinitatis* (τὰ περὶ τῆς θείας τριάδος) *locutum fuiſſe, audite* &c. Iſidorus Peluſiota *lib. 2. ep. 143.* diſſerit, quouſque Philo Judæus in Trinitatis notitia progreſſus ſit. Inter cætera ait : *Nec verò ex his,* inquit, *duntaxat, tametſi ad animum percellendum vim maximam habentibus, in hanc, ut opinor, ſententiam inductus eſt, verum etiam ex hoc loco*, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem, *& ex hoc*, Pluit Dominus à Domino, *& ex hoc*, vocavit Dominus in nomine Domini, *& ex hoc*, dixit Dominus Domino meo &c. Ex quibus verbis tandem infert Iſidorus, Trinitatem in talibus dictis σαφῶς perſpicuè prædicari. Ex *ſexto ſeculo* Venantius Fortunatus *lib. 5. cap. 4. pag. 124. Cum à Domino Dominus pluit igni, triſte Gomorrhe*

Brovverus notatur.

Ex ſexto ſeculo.

rhæ; *Filius & Pater eſt à Domino Dominus.* Reſpexit is procul dubio ad Prudentium, qui in Apotheoſi; *A Domino Dominus flammas pluit in Sodomitas. Quis Dominus? de quo Domino? Si ſolus ab arce ſiderea ſpectat Pater, aut ardeſcit in iras? Filius armatam Domini Patris ignibus iram ſpargebat Dominus, ſunt unum fulmen utrique.* Ex ſeptimo ſeculo Iſidorus Hiſpalenſis T. 1 *lib. de nativit. Dom. cap. 3. Si Chriſtus non eſt Dominus, quis Dominus pluit ignem in Sodomis à Domino? Sic enim ait in Geneſi*; & pluit Dominus ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino. *In qua ſententia* nemo dubitat *ſecundam eſſe perſonam. Nam quis eſt ille Dominus à Domino, niſi* Procul Dubio *Filius à Patre? qui ſemper ab eodem Patre miſſus, deſcendere ſolitus eſt, & adſcendere: quo teſtimonio Deitas & diſtinctio perſonarum Patris Filiique* Luce Clarius *demonſtratur.* Plures non addo. Non fuit ſanè Doctor in ſeculis, qui contradiceret Sirmienſi Confeſſioni, ante Alph. de Toſtato Abulenſem Ep. De quo *Ant. Poſſevinus* in apparatu: *Scio quibusdam non omnino probari, quod in opuſculo de ſanctiſſima Trinitate ſcripſerit, myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis in Novo duntaxat Teſtamento haberi explicatum. At non propterea credendum eſt, virum cordatum atque doctiſſimum elevare voluiſſe teſtimonia, quæ è Vet. Teſtam. deſumimus contra Iudæos de eadem ſanctiſſima Trinitate.* Sed iſta defenſio facto contraria eſt. Nactus eſt Alphonſus, inter ſuos, aſſeclas Caietanum, Pagninum, Vatablum, Oleaſtrum, Riberam, Petavium & alios. Bened. Pererius *ad 19. Geneſ.* poſtquam ea diſſeruit, quæ *ſupra ſ. 1. cap. 2. n. 5. p. 54.* recitavimus, Toſtati & Caietani explicationem, qua ſecundo loco poſitum nomen Jehovæ loco relativi poſitum eſſe dicitur, *ſecundum literalem ſenſum & proprietatem linguæ Hebrææ nequaquam improbandam eſſe cenſet*: addit tamen, *ſibi hac de re paulo attentius & acrius cogitanti ſubiiſſe animum exiſtimare, quod univerſa vetus ſcriptura, in qua ſcil. myſteria Nov. Teſt. adumbratè præfigurata & operta ſignificatione præmonſtrata continerentur, Hebræo ſermone ſcribenda & mandanda poſteris erant, idcirco Hebræam linguam ſic eſſe à Deo conditam atque inſtitutam, ſic eſſe inſtructam atque ordinatam, ut eadem verba peculiarem eius linguæ phraſin & nativam quandam elegantiam denotarent, ſimulque ma-* gnum

Ex ſeculo ſeptimo.

Quid de Alf. Toſtato.

Digitized by Google

gnum quodpiam myſterium altiſſimè inibi abditum paucisque cognobile continerent. Itaque vulgus & plerique omnes Hebræi ea verba legentes vel audientes, genuinam linguæ ſuæ proprietatem & gratiam agnoſcebant, & inde verbalem quendam ſenſum atque intellectum minimè falſum animo concipiebant. At eximii quidam vates, excellenter à Deo illuſtrati, in illis ipſis verbis latens myſterium penetrabant atque introſpiciebant: nec id tamen enunciabant in vulgus, quod eiusmodi publicandorum myſteriorum opportunitas tempori legis Evangelicæ, poſt Meſſiæ adventum, eſſet reſervata. Sic Pererius, qui cum id aliquibus exemplis oſtendiſſet, ſimile quid de loco Geneſ. 19. dici poſſe iudicavit. At Pererius divinos viros graviter iſta aſſertione accuſat. Si enim lingua Hebræa, in propoſitione divinarum revelationum uſurpata, iuxta nativam ſuam elegantiam ſimul magna quæpiam myſteria continebat, quæ vatibus erant explorata, nullo modo ſatisfecerunt hi ſuo officio, ſi illum illius linguæ theſaurum non detexerunt aliquatenus & admirandum propoſuerunt. Non enim ad naturam Novi Teſtamenti pertinet, omnino de novo illa myſteria proponi, ſed quæ iam ante præcognita & delibata ſunt, clarius atque expreſſius proponi. DIDACUS RUIZ *de Trinit. diſp. 36. ſ. 4* poſt teſtimonia antiquitatis enumerata, *n. 21. & ſ.* ait: *non ſolum improbabilem, ſed etiam temerariam & parum tutam eſſe doctrinam eorum, qui nullum agnoſcunt in d. teſtimonio myſterium, ſed aiunt eſſe Hebraiſmum, peculiaremque linguæ phraſin & elegantiam, dicere, Pluit* Dominus à Domino, *i. e.* à ſeipſo. *Cæterum quamvis ea ſit Hebrææ linguæ phraſis, illa tamen per altiſſimam Dei providentiam ita diſpoſita fuit, ut antiquis Hebræis occultaret myſterium, quod lux Evangelii fidelibus indicaret ibi latere. Autores tamen illius doctrinæ liberantur à nota temeritatis, quoniam communem antiquorum Patrum expoſitionem nondum adverterant.* Prius approbamus. Vix tamen temeritatis notam effugient, cùm Hilarii, Auguſtini, Iſidori & aliorum ſcripta in propatulo fuerint, & Toſtatus ſanè id egerit exceptiunculis à Judæis mutuatis, & in odium Nicolai Lyrani talia in diſputationem deduxerit, imò ex iuvenili calore, ab Vrania ſua excitatus, aggreſſus fuerit. Sic enim ſcribit *præf. ad opuſc. de ſanctiſſ. Trinit. Iuxta conditionem temporis vernalis altiſſimus me ſopor tenebat*

Pererius notatur.

Digitized by Google

Diſſertat. theſ.69.

Videat, an verum ſit, quod ſcribit Succenſor ille noſter; *Nullum ullius niſi Arianæ partis Concilium, nulla confeſſio, nulla formula ſibi ſumſit (in hac de apparitionibus Veteris Teſtamenti materia) ut alterutrum vel affirmando, vel negando determinaret.* Non eſſe Arianæ partis, quamvis Ariani ei ſe miſcuerint, Sirmienſem ſynodum, Confeſſionem, formulam, ſatis dilucidatum eſt. Eſtne verò Arianæ partis Concilium Antiochenum, cuius ſynodicam epiſtolam, qua evidenter affirmando determinatur, Abrahamo, Jacobo, Moſi Filium Dei apparuiſſe, locutum fuiſſe, & nunc angelum, nunc Dominū, nunc Deum appellatum? Id autem abſurdiſſimum fuerit aſſeverare. Fuit hoc concilium, ut Baronius collocat, anno XII. Gallieni Imperat. qui eſt Chriſti 266. habitum Antiochiæ, quod manifeſtum eſſe putat ex eo, quod Hymenæus Hieroſolymorum & Dionyſius Alexandriæ Epiſcopi corpore aut literis eidem interfuerint. Hymenæus anno XII. Gallieni Imperat. factus eſt Epiſcopus Hieroſolym. teſte Euſebio *in Chron.* Si igitur huic Concilio iam ordinatus ſedis Hieroſolymitanæ Epiſcopus interfuit, quod ſcribit idem Euſeb. *lib.7.hiſt. cap.22.* ſanè ante duodecimum Imperatoris prædicti annum hanc ſynodum habitam fuiſſe, nequit dici. Quod autem poſt hunc annum non fuerit celebrata, literæ quas Dionyſius Alexand. hoc tempore adhuc vivens ad ſynodum tranſmiſit, manifeſtiſſimè demonſtrant: vixit autem non ultra XII. præallegati Gallieni Imp. annum imperii, ut teſtantur Euſeb. *lib.7.c.22.24.* Hieronymus *ex vita Dionyſii.* Reliquum igitur eſt, ipſo duodecimo anno imperii Gallieni, qui eſt Chriſti 266. hanc Antiochenam ſynodum celebratam eſſe. *Ita Card. Bar.* circa hoc negotium ratiocinatur, & eum ſequitur Binius *Tom.1. Conc.p.*208. Placet autem ob magnam confinitatem & ſummum conſenſum Theologorum Antiochenorum & Sirmienſium, inter quos penè ſeculi interceſſit ſpatium, integram ſynodicam epiſtolā proponere, quam ex antiquitate eruit Fr. Turrianus, & inſeruit Annalibus Baron. *a.267. num.* 4. *& Conciliorum* T.1. Binius *pag.* 209. quæque inſerta eſt Biblioth. Patr. Græcolat. T.1. *p.*302. ex qua citat Petavius *de Trin.lib.*8. *cap.*1. quem ſequitur Succenſor meus. Sic autem habet. HYMENÆUS, THEOPHILUS

An nullū niſi Arianæ partis conciliū ſententiam de apparitionibus in alterutram partem determinarit?

Epiſtola ſynodica Antiochena proponitur.

Diſſert. th. 56.

Digitized by Google

PHILUS, THEOTECNUS, MAXIMUS, PROCLUS, BOLANUS, PAULO *in Chriſto Sal.* Jam quidem in congreſſum & colloquium inter nos venimus, ac fidem noſtram oſtendimus. Ut vero manifeſtiùs fiat, quid quisque ſentiat, & ea, quæ in quæſtionem ac dubitationem vocantur, certiorem exitum accipiant, decrevimus fidem ſcripto edere & exponere, quam à principio accepimus, & habemus traditam & ſervatam in catholica & ſancta Eccleſia uſque in hodiernum diem, à beatis Apoſtolis, *qui viderunt ipſi, & miniſtri fuerunt verbi*, prædicatam ex lege & Prophetis, ac Novo Teſtamento: Eſſe unum Deum ingenitum, ſine principio, *inviſibilem*, immutabilem, *quem nullus hominum vidit, neque videre poteſt*; cuius gloriam vel amplitudinem intelligere aut enarrare pro dignitate, ut in re & veritate eſt, humana natura non poteſt: notionem verò eius, utcunque mediocrem, ſi habemus (revelante Filio eius, ſicut ait: *Nemo novit Patrem, niſi Filius, & cui Filius revelaverit*) contenti eſſe debemus. Hunc autem Filium genitum, unigenitum, *imaginem Dei inviſibilis, primogenitum omnis creaturæ, ſapientiam & verbum, ac virtutem* Dei ante ſecula, non præcognitione ſed ſubſtantia & hypoſtaſi Deū, Dei Filium, cum in Veteri & Novo Teſtamento cognoverimus, confitemur & prædicamus. Qui autem contra dicit, *Filium Dei non eſſe ante conſtitutionem mundi*, dicitque, *credere & confiteri eſſe Deum, non eſſe aliud quàm duos Deos prædicare, qui Filium Dei non eſſe Deum prædicat*, hunc alienum eſſe ab Eccleſiaſtica regula arbitramur, & omnes Eccleſiæ Catholicæ nobiſcum conſentiunt. De hoc enim ſcriptum eſt: *Thronus tuus Deus in ſæculum ſeculi, virga rectitudinis, virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Et rurſus Eſaias *Deus noſter iudicium retribuet: ipſe veniet, & ſalvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum audient. Tunc ſaliet ſicut cervus, claudus; & expedita erit lingua mutorum.* Et rurſus: *In te adorabunt: quoniam in te eſt Deus; & non eſt alius præter te. tu enim es Deus, & neſcivimus; Deus Iſrael, Salvator.* Et apud Apoſtolum: *Ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula, Amen.* In quibus illud, *Qui eſt ſuper omnia*; & illud, *præter* te;

Luc. 1. *1. Tim. 6.* *Matth. 11.* *Coloſſ 1.* *1. Cor. 1.* *Heb. 1. ex Pſal. 44.* *Eſa. 35.* *Eſa. 45.* *Rom. 9.*

Digitized by Google

Oſea 11. *ter* te ; in omnibus creaturis intelligendum eſt. Et in Oſea:
Quoniam Deus ego ſum, & non homo, in te ſanctus; & non ingrediar in civitatem: poſt Dominum ambulabo. Et omnes ſcripturæ divinæ *Deum* filium Dei declarant: quas ſingulatim proponere, in aliud tempus differimus. Hunc Filium, qui ſemper cum Patre eſt, credimus impleviſſe voluntatem paternam in
Pſal. 149. creatione univerſi. *Ipſe enim dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt.* Qui autem mandat alteri mandat, quem non alium eſſe perſuaſum habemus, quam unigenitum Filium Dei,
Geneſ. 1. Deum, cui dixit: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Et ut in ſumma dictum ſit ſecundum Evange-
Iohan. 1. lium: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.*
Coloſſ. 1. Et ſecundum Apoſtolum: *In ipſo condita ſunt omnia, quæ in cœlis & quæ in terra, ſive viſibilia, ſive inviſibilia, ſive throni, ſive principatus, ſive dominationes, ſive poteſtates; omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt*; quippe qui verè eſt & operatur, utpote verbum ſimul & Deus, per quem omnia fecit Pater, *non* tanquam *per inſtrumentum*, neque tanquam *per ſcientiam*, non per ſe exiſtentem. Generavit quidem filium Pater, tanquam ἐνέργειαν actum viventem, & per ſe exiſtentem, omnia in omnibus operantem: non autem ſolùm vidit Filius, neque præſens fuit Filius, ſed etiam, ſicut ſcriptum eſt, operatus eſt ad creationem univerſi, nobis con-
Geneſ. 18. gruentem. Hunc dicit ſcriptura *deſcendiſſe, & apparuiſſe Abrahæ ad quercum Mambræ* unum ex tribus: cum quo Patriarcha
Iohan. 5. tanquam cum Domino & iudice colloquebatur: *& qui omne iu-*
Geneſ. 19. *dicium à Patre accepiſſet*; de quo ſcriptum eſt: *Dominus pluit ſuper Sodoma & Gomorrha ignem & Sulphur à Domino de cœlo.* Qui implens voluntatem paternam, Patriarchis apparet, & cum eis loquitur in eiſdem clauſulis, & eiſdem capitibus, aliquando quidem tanquam *Angelus*, quandoque verò tanquam *Dominus*,
ſupra pag. 146. quandoque autem *Deus* eſſe affirmatur. Deum enim univerſi impium eſt exiſtimare vocari Angelum. Filius verò Angelus Patris eſt, qui eſt ipſe Dominus & Deus. Scriptum enim eſt,
Eſa. 9. *Angelus magni conſilii.* Sicut & aliàs in Abraham: *Et vocavit*
Geneſ. 22. *eum Angelus Domini de cœlo*, & quæ deinceps ſequuntur: *Nunc*

enim

Digitized by Google

enim cognovi, quod times Deum, & non pepercisti filio tuo dilecto propter me. Et vocavit nomen loci, Dominus vidit: ut dicant uſque Geneſ. 31.
in hodiernum diem, in monte Dominus apparuit. Et in Jacob: *Dixit*, inquit, *mihi angelus Dei per ſomnium, Iacob. Ego dixi, Quid eſt? Et dixit: Reſpice oculis tuis, & quæ ſequuntur: Ego ſum Deus, qui apparui tibi in loco Dei, ubi unxiſti mihi illic titulum, & voviſti mihi illic votum.* Et poſt luctam (ϗ ταῦτα ἀνθρώπȣ προγεγραμμένου) eamque hominis præfigurati, ſubiungitur: *Et ap-* Geneſ. 32.
pellatur Iacob nomen loci illius, Facies Dei. Vidi enim Deum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea. Hominem (τὸν δὲ προγεγραμμένον ἐνταῦθα υἱὸν τȣ̃ Θεȣ̃) autem præfiguratum dicimus eſſe Filium Dei, quem ipſa ſcriptura Deum eſſe declaravit. Quin etiam legem ſimiliter datam eſſe Moyſi dicimus, miniſtrante Filio Dei, ſicut Apoſtolus docet, cum ait: *Quid igitur lex? pro-* Galat. 3.
pter transgreſſiones poſita eſt, donec veniret ſemen, cui promiſerat, or- 1. Tim. 2.
dinata per Angelos, in manu Mediatoris. Mediatorem autem alium Dei & hominum neſcimus præter hunc. Hæc etiam docet nos Moyſes, cui apparuit Angelus in flamma ignis ex rubo, & quæ ſequuntur: *Poſtquā autem vidit Dominus, quod pergit ad* Exod. 3.
videndum, vocavit eum ex rubo. Ibid. Et rurſus: *Ingrediens congrega ſenatum filiorum Iſrael, & dices eis: Dominus Deus patrum noſtrorum apparuit mihi, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob, & quæ ſequuntur; Si igitur non crediderint mihi, nec audierint vocem meam (dicent enim, quod non apparuit mihi Dominus Deus) quid eis dicam?* Et in benedictionibus: *Et quæ fuerint accepta* Exod. 4.
ei, qui apparuit in rubo, veniant ſuper caput Ioſeph. Et aliàs: *Et* Deut. 33.
dixit Dominus ad Moyſen: Et hunc ſermonem, quem dixiſti, faciam tibi. Et dixit: *Oſtende mihi gloriam tuam.* Et dixit: *Ego trans-* Exod. 33.
ibo prius te in gloria mea, & vocabo in nomine Domini coram te; & miſerebor cui miſertus ſum, & miſericordiam præſtabo cui miſerebor. Quod quidem ſic perficitur: *Et deſcendit Dominus in nube, & ſte-* Exod. 34.
tit coram eo illic, & vocavit in nomine Domini. Et tranſivit Dominus ante faciem eius, & vocavit Dominus Deus. Qui enim ſuprà promiſerat ſe tranſiturum, Filius Dei Dominus, & vocavit in nomine Domini, qui eſt Pater, hic eſt, qui verè ait: *Non* Iohan. 6.
quia Patrem vidit quiſquam, niſi qui eſt à Deo, hic vidit

Ioh. 5. *Patrem.* Et in eodem Evangelio : *Neque vocem eius unquam audiſtis , neque ſpeciem eius vidiſtis.* Et : *Deum nemo vidit unquam : Vnigenitus Filius , qui eſt in ſinu Patris , ipſe enarravit.* Et Apoſtolus in alio loco : *Regi autem ſeculorum, immortali,inviſibili,ſoli ſapienti Deo.* Filium verò, qui eſt apud Patrem, Deum quidem & Dominum omnium creaturarum dicit, à Patre autem miſſum de cœlis & carne aſſumta factum eſſe hominem. Quamobrem corpus eius ex virgine ſumtum, *in quo omnis plenitudo divinitatis corporaliter habitavit,* divinitati immutabiliter unitum & deificatum eſt. Qua de cauſa idem Deus & homo Jeſus Chriſtus prophetabatur in Lege & Prophetis, & ab omnibus in Eccleſia,quæ ſub cœlo eſt, creditus eſt Deus quidem, qui ſeipſum exinanivit, cum eſſet æqualis Deo,homo verò ex ſemine David ſecundum carnem. Signa quidem & prodigia,quæ in Evangeliis deſcripta ſunt, Deus operabatur : participatione verò carnis&ſanguinis tentatus eſt per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. Sic & Chriſtus ante incarnationem in divinis ſcripturis tanquam unus nominatus eſt : in Hieremia quidem , *Spiritus ante faciem noſtram Chriſtus. Dominus autem Spiritus eſt,* ſecundum Apoſtolum. Et ſecundum Apoſtolum ; *Bibebant autem ex ſpirituali petra: petra autem erat Chriſtus.* Et rurſus : *neque tentemus Dominum,ſicut quidam eorum tentaverunt , & à ſerpentibus perierunt.* Et de Moyſe : *Maiores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti.* Et Petrus ; *De qua ſalute exquiſiverunt Prophetæ , qui de futura in nobis gratia prophetaverunt , ſcrutantes, in quod vel quale tempus ſignificaret in eis ſpiritus Chriſti.* Si autem Chriſtus *Dei ſapientia* ante ſecula eſt : ſic & quatenus Chriſtus unum & idem eſt ſubſtantia, quamvis multis notionibus cogitetur. Hæc ex plurimis pauca notavimus.Scire volumus,an eadem nobiſcum ſentias & doceas : & nobis ſignifices,an iis,quæ ſuperius ſcripſimus, aſſentiaris,annon ? *Hactenus fides Patrum,* quam ita l. c. Baronius exhibet.Not.1.Antiocheni Patres,de quibus Athanaſius *in epiſt. de ſynodis Arim. & Seleuc.* T.1. p.707. piè diſſerit, profitentur *fidem,quam à principio acceperunt & habent traditam & ſervatam in*

Marginal references: Iohan. 1. — 1. Tim. 1. — Coloſſ. 2. — Phil. 2. — Rom. 1. — Heb. 4. — Hier. 4. — 2. Cor. 3. — 1. Cor. 3. — (l) Hebr. 11. — 1. Pet. 1. — 1. Cor. 1.

tam in Catholica & ſancta Eccleſia uſq; ad illam diem, à B. Patribus, qui viderunt ipſi &c. 2. aſſerunt, Filium Dei in V. & N. T. cognitum. 3. probant Deitatẽ Filii ex V. T. dictis *Pſ.* 45. *Eſa.* 35. *c.* 45. *Oſe.* 11. 4. cum Filio Dei tribuunt, quod à Patre mandatũ acceperit in creatione rerũ, ſic explicandi ſunt, ſicut cum *Ioh.* 5, 19. de viſione & demonſtratione ſermo eſt. *Confer ſupra p.* 136. 137. 5. Confirmant illi canonem, iuxta recenſionem Hilarii, XIV. *de quo videatur p.* 140. *& ſeqq.* 6. Confirmant canonem iuxta Hilarii numerum XVI, *de quo infra mox agemus.* 7. Filium Dei ſæpius *angelum* vocari in Vet. Teſt. aſſeverant. 8. Luctatorem cum Jacobo Filium Dei fuiſſe pronunciant, adeoque canonem Sirmienſem XV. roborant. 9. Angelum in flamma rubi Filium Dei fuiſſe tradunt. 10. Rurſus Filium Dei, ut verum Deum, in lege & Prophetis prophetatum fuiſſe in Vet. Teſtam. aiunt & firmant ex 1. *Cor.* 10. *Hebr.* 11. 1. *Petr.* 1. Sed hæc ſufficiant ad Can. XV.

Canon, iuxta Hilarii digeſtionem XVI. à nobis ſupra XV. loco poſitus, interpretationem loci *Gen.* 19, 24. habet magno conſenſu receptam. Hilarius *in notis ad h. can.* Hæc *quia Photinus, adverſus quem tum conventum erat, negabat, inſerenda fidei fuerunt* &c. Idem ſæpiſſimè illo loco hoc ſenſu utitur. Vide *lib. IV. de Trinitate pag.* 58. *& lib.* 5. *pag.* 81. &c. Sic & Athanaſius *Tom.* 1. *orat.* 3. *contra Arianos pag.* 195. *e. & contra gregales Sabellii p.* 510. *f. & in ep. de Synodis Arim. & Seleuc. pag.* 615. Nec eſt in ſeculo quarto, quo concilium Sirmienſe celebratum fuit, aliquis ex Dd. Eccleſiæ Orthodoxæ, qui illi expoſitioni contradixerit, ut adeo Doctorum illius ſeculi illa ſententia conſtans & unanimis fuerit. Euſebius Cæſar. *de præparat. Evang. lib.* 7. *cap.* 5. *& lib.* 11. *cap.* 9. *de demonſtrat. Evang. lib.* 5. *cap.* 8. Baſilius *lib. contra Eunom. pag.* 350. *&* 361. quem locum etiam habet Euthymius Zigabenus *Panopl. part.* 1. *tit.* 11. *pag.* 323. Gregorius Nazianzenus *orat.* 3. *de Theolog. pag.* 312. *col* 2. *edit Billii.* Epiphanius *in Ancorato num.* 117. *pag.* 119. *edit. Petav. & in hæreſ. Samar. num.* 5. *pag.* 28. Philaſtrius Brixienſis *hæreſ.* 8. *T.* 5. *B. S. P. edit. Par.* 1. Idacius Clarus *hæreſiolog. p.* 256. 284. Marius Victorinus Afer *contra Arianos lib.* 1. *pag.* 302. *T.* 5. *B. S. P. edit. Pariſ.* 1. Gregorius Nyſſenus *l. de cognit. Dei pag.* 349. *T.* 1. *B. S. P. edit. cit. & de Tri-*

Canon XVI explicatur ex quarto ſeculo.

Digitized by Google

Chryſoſtomus Vindicatur. *nitate adverſ. Iudæos pag. 316. oper. edit Siſani.* Hieronymus *ad Oſeæ* 1, 7. Chryſoſtomus *hom. de Trinitate Tom. 3. pag. 912.* quem malè Dionyſ. Petavius *lib. 2. de Trin. cap. 7. num.* 13. annotat, hebraiſmum h. l. agnoſcere, quo nomen propriumpro pronomine ponitur, *hom. 43. in Geneſ.* ubi ad verſ. 24. & 25. ſcribit: *Dilecte, ne tenearis admiratione; proprietas enim eſt ſcripturæ, & indifferenter ſic ſæpe ponit verba, id quod & nunc videre licet.* Pluit enim *inquit,* Dominus ſulphur & ignem, à Domino de cœlo, *ut dicat, quod Dominus de cœlo pœnam inducat & non ſolum civitatem evertat & omnem circa regionem & omnes inhabitantes, ſed & quæ exoriuntur de terra ſubvertit.* Reſpicit ergo Chryſoſtomus *non ad locutionem canone Sirmienſi propoſitam, ſed ad illam exaggerationem rerum perditarum.* Quoad anteriora & poſteriora ſecula, nemo eſt ex orthodoxis, qui quarti ſeculi ſententiæ adverſetur, quam Sirmienſis Canon expreſſit. Præiverunt verò *in ſeculis anterioribus* quam plurimi. Allegatur in eum finem Sixti 1. *ep.* 1. & Marcellini *ep.* 1. *ad Salomonem,* Sed has epiſtolas eſſe ſuppoſititias, non ignoramus, uti nec ignoravimus, Clementis & Soteris *Diſſ. th. 66* ſcripta eius eſſe commatis, licet in Antonii Fernandii & Johan. Nodini recitationibus eos reliquerimus, quia inſtitutum non erat, criſin autorum ibi facere; ut adeò nihil Succenſor ibi habuerit, quod ſuccenſeret. Sic & Ignatii *Ep. ad Antiochenos* cenſetur. *Conf. Indicem Iniquit. Mogunt. port. 2 §. 21. pag. 47.* In *ſecundo ſeculo* iam autem ſententia Sirmienſis concilii de illa locutione Moſaica eluxit in Juſtino Martyre, *dialogo cum Tryphone pag. 215. & p.* 281. & in Irenæo *lib. 3. adverſ. hæreſ. cap. 6.* Juſtinum contra Arianorum & Socinianorum cavillationes, quas Succenſor noſter oſtentat, ut in aliis, pulchrè defendit & explicat Did. Ruizius *diſputat. 39. ſect. 7. num. 7.* In *tertio ſeculo* præivit *Sirmienſibus ſanctis,* ut eos vocat Philaſtrius, *Epiſcopis* Tertullianus *contra Prax. cap. 13. & 16. & lib. 4. contra Marc. cap. 29.* Cyprianus *adv. Iud. lib. 3. cap. 33.* In *quinto ſeculo* conſervata fuit Sirmienſis explanatio apud Auguſtinum *Tom. IV. quæſt. ſuper Geneſin quæſt. 59. col. 97. Pluit Dominus à Domino, qui ſcribebat dixit, ut Dominus eius à Domino eius, id eſt, Dominus noſter in Domino no-*

Ex ſecundo ſeculo.

Ex tertio ſeculo.

Ex quinto ſeculo.

no no-

no noſtro pluiſſe dicatur, hoc eſt, Filius in Patre. Et *tom.6. de 5. hæreſ. col.33.* Et apud Cyrillum Alexandrinum *lib.1. in Iohan.c.2. Per iram Dei*, inquit, *Sodomitarum urbes exuſtas eſſe ſcriptura narrat.* Pluit, *inquit*, Dominus à Domino ignem & ſulphur. *Hæc enim pars calicis eius eis conſervatur, qui talia committunt flagitia. Quis igitur Dominus à Domino ignem deſcendere fecit? Patet, quia Pater per Filium omnia peragit, brachium enim & virtus Patris Filius cum ſit, ipſe in Sodomitas ignem immiſit. Quod ſi Dominus à Domino ignem pluit, quomodo alius à Patre Filius, & à Filio Pater non eſt? Cum enim dicatur Dominus à Domino, unus ex uno profectò ſignificatur.* Confer *theſaur. ad reg. lib.9.cap.3. & lib.1. contra Iulianum Apoſt. fol.5. fac.b. & lib.8. f.68 fac.b.* Committit autem, ut hoc obiter notem, pudendum errorem Chr. Brovverus Jeſuita in notis ad Venant. Fort. p.135. cum ad teſtimonium Cyrilli obſervat & ait: *Hæc Cyrilli teſtificatio apud veteres tanti fuit, ut eam quoq; in Concilio Sirmienſi plurimi æſtimarint* Epiſcopi. Quaſi verò Sirmienſe Concilium Cyrillum teſtificantem de loco Gen.19. ſeculo ante prævideriit! Theodoretus *de curand. græc. aff. lib.2. pag.494. col.2. Subſecutis*, inquit, *annorum temporumq; curriculis, Sodoma fulminibus corrupturus, confinesque Sodomis civitates, quæ impietatis ac flagitii participes fuerunt, dualitatem dominorum nobis oſtendit. Inquit enim Moſes, qui cladem illarum civitatum nobis deſcripſit*: Et pluit Dominus à Domino ſuper Sodoma & Gomorrha ignem & ſulphur de cœlo. *Ne quis autem exiſtimet, hunc ſolum Prophetam, ea quæ ſunt Trinitatis (τὰ περὶ τῆς θείας τριάδος) locutum fuiſſe, audite &c.* Iſidorus Peluſiota *lib.2. ep.143.* diſſerit, quouſque Philo Judæus in Trinitatis notitia progreſſus ſit. Inter cætera ait: *Nec verò ex his*, inquit, *duntaxat, tametſi ad animum percellendum vim maximam habentibus, in hanc, ut opinor, ſententiam inductus eſt, verum etiam ex hoc loco*, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem, *& ex hoc*, Pluit Dominus à Domino, *& ex hoc*, vocavit Dominus in nomine Domini, *& ex hoc*, dixit Dominus Domino meo &c. Ex quibus verbis tandem infert Iſidorus, Trinitatem in talibus dictis σαφῶς perſpicuè prædicari. Ex *ſexto ſeculo* Venantius Fortunatus *lib.5. cap.4. pag.124. Cum à Domino Dominus pluit igni, triſte Gomor-*

Brovverus notatur.

Ex ſexto ſeculo.

rhæ

gnum quodpiam myſterium altiſſimè inibi abditum paucisque cognobile continerent. Itaque vulgus & plerique omnes Hebræi ea verba legentes vel audientes, genuinam linguæ ſuæ proprietatem & gratiam agnoſcebant, & inde verbalem quendam ſenſum atque intellectum minimè falſum animo concipiebant. At eximii quidam vates, excellenter à Deo illuſtrati, in illis ipſis verbis latens myſterium penetrabant atque introſpiciebant: nec id tamen enunciabant in vulgus, quod eiusmodi publicandorum myſteriorum opportunitas tempori legis Evangelicæ, poſt Meſſiæ adventum, eſſet reſervata. Sic Pererius, qui cum id aliquibus exemplis oſtendiſſet, ſimile quid de loco Geneſ. 19. dici poſſe iudicavit. At Pererius divinos viros graviter iſta aſſertione accuſat. Si enim lingua Hebræa, in propoſitione divinarum revelationum uſurpata, iuxta nativam ſuam elegantiam ſimul magna quæpiam myſteria continebat, quæ vatibus erant explorata, nullo modo ſatisfecerunt hi ſuo officio, ſi illum illius linguæ theſaurum non detexerunt aliquatenus & admirandum propoſuerunt. Non enim ad naturam Novi Teſtamenti pertinet, omnino de novo illa myſteria proponi, ſed quæ iam ante præcognita & delibata ſunt, clarius atque expreſſius proponi. DIDACUS RUIZ *de Trinit. diſp. 36. ſ. 4* poſt teſtimonia antiquitatis enumerata, *n. 21. & ſ.* ait: *non ſolum improbabilem, ſed etiam temerariam & parum tutam eſſe doctrinam eorum, qui nullum agnoſcunt in d. teſtimonio myſterium, ſed aiunt eſſe Hebraiſmum, peculiaremque linguæ phraſin & elegantiam, dicere, Pluit* Dominus à Domino, *i. e.* à ſeipſo. *Cæterum quamvis ea ſit Hebrææ linguæ phraſis, illa tamen per altiſſimam Dei providentiam ita diſpoſita fuit, ut antiquis Hebræis occultaret myſterium, quod lux Evangelii fidelibus indicaret ibi latere. Autores tamen illius doctrinæ liberantur à nota temeritatis, quoniam communem antiquorum Patrum expoſitionem nondum adverterant.* Prius approbamus. Vix tamen temeritatis notam effugient, cùm Hilarii, Auguſtini, Iſidori & aliorum ſcripta in propatulo fuerint, & Toſtatus ſanè id egerit exceptiunculis à Judæis mutuatis, & in odium Nicolai Lyrani talia in diſputationem deduxerit, imò ex iuvenili calore, ab Vrania ſua excitatus, aggreſſus fuerit. Sic enim ſcribit *præf. ad opuſc. de ſanctiſſ. Trinit. Iuxta conditionem temporis vernalis altiſſimus me ſopor te-*

Pererius notatur.

 nebat

Digitized by Google

qua Dionyſius Carth. in eius loci Comm. exiſtimat, per Dominum, qui dicitur pluere, intelligi angelum, qui Dei perſonam ſuſtinebat. Hanc enim expoſitionem eſſe cavendam probatur I. *quia repugnat omnibus Patribus.* II. *quia repugnat ſacro textui. nam in Hebr. utrobiq; ponitur nomen ineffabile.* III. *quia alibi Amos* 4, 11. *Deus dicit, Everti eos, ſicut Deus evertit Sodomam* &c. Conf. Suarez *lib.2. de Trin. cap.2. n.2.* Jac. Granad. *in 1. Thom. T.3. diſp.2. n. 2. p.* 14. Mart. Delrio *Comm. h.l. de Sirm. ſententia: quam qui neget, ego pro eo cauſam non egero.* Adde *adag. ſacr. p.*51.

Dion. Carthuſ. notatur.

Inter Reformatos, quos vocant, ſubobſcura fuit cum Sirmienſi ſynodo in h. l. concordia. Calvinum in veterum ſententiam invectum notavit noſter D. Ægid. Hunnius *in Calvino Iudaiz.* pro quo Pareus *in Calv. Orth. l.1. c.10.* pugnavit, ſed ſæpius falſus, ut ex dictis liquet. Reſpondit *in Anti Par.* D. Hunnius noſter. Rivetus *Exer.96. in Gen. p.*471. Calvino patrocinaturus, multa effutit partim contra Sirmienſe concilium, partim de B. Luthero, partim de Auguſtino, Hieronymo, Eucherio & Chryſoſtomo, quæ partim falſa ſunt, partim à propoſito aliena. Id demum operosè probat, *interdum nomen proprium loco relativi poni. ex 1. Reg.* 8, 1 *Gen.* 1, 27. 2 *Reg.* 3, 25. *c.* 11, 22. 2. *Paral.* 7, 2. 1. *Cor.* 1, 8. *Luc.* 1, 19. 2. *Tim.* 1, 18. Sed id non oſtendit Rivetus falſum eſſe, ad quod tamen derivare ſua exempla debuiſſet, quod veteres theologi urſerunt; ubicunque aliquis ab aliquo agere dicitur, & quod ab eo egerit, ut ſignificetur, non eſt neceſſarium, nec relativi pronominis requiritur præſentia, niſi poneretur proprium, ibi neceſſariò perſonas diſtinctas inſigniri. In exemplis adductis, excepto ultimo, pronominis poſtularetur præſentia, niſi proprium nomen eſſet appoſitum. Vltimum exemplum ad Sirmienſis ſententiæ analogiam fas erit interpretari. Conf. Bucan. *Inſt. loc.1. n.2.* Georg. Sohn. *T.2. oper. p.*98. Polan. *in ſynt. p.*227. Fr. Jun. *in anal. h.l.* Henr. Bulling. *dec.4. ſerm.3. p.*214. & alios.

Reformatorum de h. can. diverſa ſententia.

Ponderavit ſententiam Sirmienſis Conc. bene B. Luth. *Comm. h.l. Eſt,* inquit, *hic non negligenda phraſis Moſaica, pluit Dominus à Domino; qua imprimis offenduntur Iudæi & variè eam torquent.* Clarus *textus eſt, quod Dominus pluat, & pluat à Domino. Vtrinq; ponitur h.l. Dei nomen, quod vocant Tetragrammaton, & in Hebræo*

ſonanter & ſignificanter additur articulus, quem vocant accuſativum. E. cum bis Dominum vocat, oſtendit duas divinitatis, ut loquuntur, perſonas, & unum Dominum. S. Hilarius eruditè & rectè hunc locum urget, quod unus Deus ſint Deus Pater generans, Deus Filius genitus, Deus Spiritus S. procedens à Patre & Filio: Iudæi ſicut audaces, imo etiam temerarii ſunt, exponunt articulum pro pronomine, ut ſit ſenſus, Dominus pluit à ſe ipſo Domino. Sed quis iuſſit eos hoc audere in Dei libros? Si n. ad hunc modū liceret eludere ſcripturam ſ. nullus fidei articulus maneret integer. Igitur Magiſtrum fieri Spiritus S. & docere eum, quid aut quomodo ſcribat, incredulorum Iudæorum & impiorum Papiſtarum eſt. Nos a. ſimus & maneamus diſcipuli, nec mutemus verbum Dei, ſed mutemur ipſi per verbum. Iudæi hanc gloſſam fingunt uſitata ſua temeritate, ne cogantur in divinitate concedere pluralitatem divinarum perſonarum &c. Idem Tom. IIX. Jenenſ. Germ. de ultimis verbis Davidis f 142 fac. b. Wo du in der Schrifft findeſt / daß Gott von Gott / als werens zwo Perſonen / redet / da magſtu klärlich auff gründen / daß daſelbſt drey Perſonen in der Gottheit angezeigt werden. Als Gen. 19. der HErr ließ regnen vom HErrn fewr vnd ſchwefel ꝛc. Dann der H. Geiſt iſt kein Narr noch Trunckenbold / der ein Titel / ſchweige ein wort / ſolt vergeblich reden. Regnet nun der HErr / das iſt / der Sohn vom HErrn / das iſt / vom Vatter / fewr vnd ſchwefel / ſo iſt zugleich da der H. Geiſt / der ſolches durch Abraham / oder wers geweßt iſt / von den zween HErrn redet. Dennoch ſeind ſie alle drey ein HErr / ein Gott / der fewr vnd ſchwefel regnet. Brentius Comm. h. l. T. 1. op. p. 174. Hac phraſi MANIFESTE ſignificantur duæ perſonæ in una divinitate, & accedit tertia perſona, vid. Spiritus S. cuius inſtinctu hæc ita ſcripta ſunt. Matth. Vogel. in theſ. p. 22. Luc. Oſiand. in Paraphr. h. l. Selneccer. in Comm. h. l. qui Sirmienſem Canonem nominatim laudat. Chemnit. Loc. Com. p. 34. Heerbrand. in Comp. p. 52. Dav. Rungius in Gen. h. l. qui ait: Sirmienſis Conc. interpretandi rationem piam & eruditam, præter meritum, ut reliqua omnia, ab antiquis profectam calumniari Calvinum, tanquam minus firmam, cum tamen ipſe ſuæ explicationis Iudaicæ nullam rationem, nullumq; exemplum ſcripturæ proferre poßit. Geſner. Comm. in Gen. p. 402. Heſhuſius in Conc. de cap. fid. Chr. 1. p. 13. ad h. l. Helmſtadii habita, hie kan Niemand

leugnen

Digitized by Google

leugnen/daß Moſes zwo unterſchiedene Perſonen ſetzt. der HErr/ ſpricht er/ regnet vom HErrn/das iſt/der eingeborne Sohn Gottes/ der aller Welt Richter iſt/wie ihn Abraham nennet/ empfehet den Befehl und Gewalt / Sodoma und Gomorrha zuvertilgen von Gott dem Vatter. D. Behmius *de æternit. Christi p. 245.* coniungit cum *h.l.* Oſ.1,7. pro quo operosè pugnat contra Oſtorodum *c.35.p.247.& ſeqq.* Deniq; ut innumeros alios ex noſtris nunc prætermittamus, ex profeſſo pro veritate explicationis Sirmienſis contra Eniedinum &alios pugnant D. Thummius *Controv. de pluralitate perſonarum in eſſ. divin. th.43.& ſeqq p.43. & ſ.* & D. Jacob. Martini *lib.1. de trib. Elohim. cap.13.p.155. & ſeqq.* *D. Glaſſ. gramm. ſ. p. 64. 187.*

CANON 17. iuxta Hilarii computationem, & iuxta Binii, quem nos ſupra ſecuti ſumus, 16 fere eandem explicationē habet, quam tertius, ſupra p.136. expenſus. Impugnat eos, qui ex eo, quod Pater Jehova & Filius Jehova, duo numina concluſerunt. Hinc eam exæquationem aut comparationem Filii cum Patre intelligit, quæ dualitatem Deorum introduceret, eamque ſubiectionem, quæ ſufficit ad unitatem eſſentialem Deitatis. οὐ συντάσσομεν ἀλλ' ὑποτάσσομεν. *Ordinem originis* ita veteres inter Deum Patrem & Filium expreſſerunt, non *ordinem æqualitatis* ſuſtulerunt. Hinc Hilarius addit: *Et ſuperiora & conſequentia ſuſpicionem, ſi qua eſſe in his dictis videbitur, penitus excludunt, ne diverſitas diſſimilium Deitatum in Domino & Domino prædicetur: & in eo non comparatur, quia duos dominos & Deos dici impium ſit. Non ac idcirco non comparatur vel exæquatur Filius Patri, ne Deus ipſe non eſſe credatur. Cum enim anathema ſit, Chriſtum Deum denegans, non poteſt idcirco profanum videri duos Deos cognominari, ne & Chriſtus Deus prædicetur, cum per eſſentiæ naturalis proprietatem ideo Deus unus eſt, quia ex innaſcibili Deo Patre, qui unus eſt Deus, unigenitus Filius Deus natus, non aliunde quam ex Deo habeat eſſe, quod Deus eſt, & in differenti ipſi, qui genitus eſt, ab eo qui genuit eſſentia non potuit eſſe. Nam indifferentis unum nomen eſt naturæ. & vel in eo quidem maxime non comparatur, vel coæquatur Filius Patri, dum ſubditus per obedientiæ obſequelam eſt, dum pluit Dominus à Domino: dum ad dextram Dei tum conſedit, cum ſibi ut conſideret dictum eſt: dum mittitur, dum accipit, dum in omnibus voluntati* *Canon XVII. Sirmienſis explicatur.*

 eius

Digitized by Google

eius, qui ſe miſit obſequitur. Sed pietatis ſubiectio non eſt eſſentiæ diminutio, nec religionis officium degenerem facit naturam, cum per id, quod cum & innaſcibilis Pater Deus eſt, & unigenitus Filius Dei Deus eſt, Deus tamen unus ſit, & ſubiectio Filii doceatur & dignitas, dum ei ipſi non niſi Filius nuncupandus ſubiicitur. Quod cum Dei Patris ſit, tamen ſibi ex natura ſit, nomen habens alienum, ſed eius, cuius & Filius eſt, ut ſit Patri & obſequio ſubiectus & nomine; ita tamen ut ſubiectio nominis proprietatem naturalis atq; indifferentis teſtetur eſſentiæ. Sic Hilarius. Adde Did. Ruiz. *de Trin. diſp.* 50. *ſect* 7. 8. 9. Itaq; conſilium & autoritas ad Patrem referuntur ratione originis, cuius intuitu etiam Pater & Filius non ſunt eiuſdem ordinis.

De ſeſſione ad dextrā Sirmienſis Canon explicatur.

Verba a. illa, *Nec ſedet in dextra à ſemetipſo, ſed audit dicentem Patrem, ſede ad dextram meam,* ſi de Chriſto ſecundum divinitatem intelliguntur, immediatè & propriè iuxta ſ. literas non intelliguntur. Seſſio n. ad dextram non eſt actus Chriſto ab æterno, aut ante creationem aut à creatione mundi ante incarnationem cõpetens, ſed Chriſto incarnato & poſt ſuparatam exinanitionis humilitatem exaltato conveniens, uti id latius explicavi in Pentadecade *diſp.* 14. & 15. Nec illud *dicere Pſ.* 110, 1. eſt ad Chriſtum iuxta divinitatem ſed humanitatem conſideratum directũ, ut ibidem oſtenſum. Et antiquitas etiam ſancta Patrum id ita accepit. Id prolixè etiam ex adverſariis Zvvinglianis monuerat autor orthodoxi conſenſus *in proleg. fol.* 2. *f. a. b.* Erant tamen, qui etiam ad divinam naturam ſeſſionem illam retulerunt, & illud *dicere*, ad ipſam æternam generationem pertinere cenſuerunt, Quos & in noſtra Eccleſia imitati ſunt, de quibus pluribus agit Dn. Schröderus noſter in ſceptro regali pro throno regio *c.* 11. *l.* 2. Aliàs nobis placet ſeſſionis Chriſti ad dextram Dei Patris explicatio à Theologo Helmſtad. Tilemanno Heſshuſio partim *in Comm. ad Rom. p.* 266. partim *in concionibus de Capp. Chriſti religionis conc.* 6. *n.* 10. *p.* 93. & *ſeq.* Heſshuſio, inquam, qui *in præf. ad Comm. in ep. ad Galat.* 1, 4. *Admirando,* ait, *& ineffabili beneficio affecit Deus Eccleſiam, dum in* FORMULA CONSENSIONIS *ex ſolidis ſ. ſcripturæ fundamentis corruptelæ, quæ doctrinam de iuſtitia fidei adulterabant, refelluntur, ſalutaris v. doctrina de cœlo patefacta de iuſtitia hominis coram Deo liquidiſſimè proponitur & ſcripturæ teſtimoniis ac exem-*

plis mu-

plis munitur. Et poſt inquit : *Subiicio omnes meas lucubrationes iudicio Eccleſiæ Aug. Conf. &* CONCORDIÆ FORMULAM *profitentis.* Sed de eo videnda D. Hutteri *Concordia concors c.2.p.24.& c.12.p.114 &c.20.p.159.c.45.p.279.&c.* Canones 18.19.20.21.22.23. 24.nullam habent difficultatem aut obſcuritatem , ſed magno conſenſu antiquitatis, velut ſ.literis conformes, recipiuntur.

CANON 25. ex digeſtione Hilarii, nobis Binium ſecutis ſupra 23. ita apud Hilarium & proponitur & explicatur. *Si quis nolente* Patre *natum dicat Filium , anathema ſit. Non n. nolente Patre coactus Pater, vel naturali neceſſitate ductus, cum nollet, genuit Filiũ, ſed mox ut voluit, ſine tempore & impaßibiliter ex ſe unigenitum demonſtravit. Cum non ex voluntate , ut cætera Filius ſubſiſtere doceretur, ne ſecundum voluntatem tantum , non etiam ſecundum naturam haberet eſſentiam , data hæreticis occaſio videbatur, ut neceſſitatem Deo Patri gignendi ex ſe Filii adſcriberent, tanq. naturali lege cogente, invito ſe ediderit. Sed hæc paßionum non eſt in Deo Patre conditio : cum inenarrabili & perfecta nativitate Filii nec voluntas ſola genuit Filium , nec demutata aut coacta imperio naturalis legis eſſentia eſt, ſed nec ad gignendum quæſita ſubſtantia eſt , nec gignentis ingenito diverſa natura eſt, nec in tempore paterni nominis ſolitudo, ſed ante tempora omnia Pater ex natura ſua eſſentia, impaßibiliter volens, Filio dedit naturalis nativitatem eſſentiæ.* Arianorum fuit dilemma ; *Aut volens Pater Filium genuit, aut nolens. Si poſterius, ergo vim paſſus eſt. Si prius, ergo eſt voluntatis Filius.* Tractant hoc argumentum veteres; Athanaſ. *adv. Arianos orat.4.* Epiph. *hær.76.* Nazianzen. *orat.35.* Cyrillus Al. *theſ.l.7 dial. de Trin. l.2.* Auguſtin. *de Trin.l.5.c.20.* & alii. Haud pauci veterum, Filium Dei voluntate Patris productum eſſe, aſſeverarunt. Ante ortam Arii hæreſin *Iuſtinus, Athenagoras, Theophilus, Tertullianus, Novatianus, Lactantius.* Poſt eam damnatam *Marius Victorinus* contr. Ar. l.1. Ipſe *Hilarius* generationem Filii voluntati, vel charitati & omnipotentiæ Patris adſcribit *de Trin.l.3.& 6.* Baſilius *contra Eunom.l.2.* Auguſtin. *l.3 contra Maximin.c.8.* Gregor. Nyſſenus *contra Eunom.l.7.* ita voluntate Patris exiſtere confitetur Filium , ut nullum inter ambos interpoſitum ſit ſpatium, Neq. n. ait, *hæc immediata coniunctio* (ἄμεσος συνάφεια) *voluntatem Patris excludit, tanq. neceſſitate quadam naturæ*

Canon XXV. explicatur.

Petav. theolog. de Trinit. lib.1. c.3.4.5.

Digitized by Google

natura & citra voluntatem Filium habuerit, neq; voluntas Filium à Patre diuingit, velut medium quoddam intercurrens ſpatium. Quare neq; à fidei dogmate licet excludere in Filii generatione voluntatē eius, qui genuit, tanq. anguſtiis quibusdam arctata ſit in cohærentia unitatis Filii cum Patre, neq; induiunctam cohærentiam diſſolvere, quando voluntas in generatione ſpectatur. vide in eam ſententiam teſtimonia plurima apud Did. Ruiz. *de Trin. diſp.* 93. *c.* 1. 2. Dion. Petav. *de Trin. l.* 6. *c.* 8. *n.* 8. 9. 10. Vnde iniqua eſt contra Sirmienſem canonem cenſura *l.* 1. *n.* 3. cum ait Petavius. *Hoc canone hæreticorum licet indolem ac morem cognoſcere, qui ut virus ſuum clam & latenter inſinuent, falſam opinionem ſuam cum eius, quæ apertiorem & damnatam ab omnibus impietatem habet, deteſtatione ſententiæ ſolent exponere. Cum n. & voluntate libera Patris genitum eſſe vellent Filium, ſcirentq; naturaliter & ex ſubſtantia ipſa dici a Catholicis eundem eſſe productū, non ab invito tamen coactove, hoc poſterius ſumſerunt, damnaruntq; qui dicerent, nolente & invito Patre prodiiſſe, quo minus offenſionis haberet, Patrem voluntate ſua genuiſſe dicere.* Sane Sirmienſis ſynodus locuta eſt cum orthodoxis Patribus, ut conſtat. Eadem, voluntate Filium Dei extitiſſe, ut aliquid extra Deum Patrem exiſtens, diſertè damnat. Nec negat naturalem neceſſitatem illius æternæ generationis ſimpliciter, ſed eam, quæ cum nolitione coniuncta eſſet. Excludit *βιαστικὸν & ἀνάγκην φυσικήν. ἅμα* omnia fuiſſe aſſeverat. Simul Deus Pater, ſimul voluntas generandi, ſimul generatio, ſimul Filius genitus, omnia in ſimpliciſſima æternitate, ἀχρόνως, ἀπαθῶς, in una immenſa eſſentia, non extra. Quid ergo criminatur Sirmienſes? quid Hilarium tanquam *Arianorum profeſſiones, quia aliquam pietatis ſpeciem haberent, pro Catholicis commendantem?* Vt eſſentia, ita intellectus & voluntas in Deo Patre habent fœcunditatem ſeſe communicandi per generationem & ſpirationem perfectiſſimam. Vide pro Sirmienſi diſputantem Ruiz *l. c. ſect.* 2. *ad concluſ. ſecundam.*

Canon 26. ex enumeratione Hilarii & 24. ex noſtra, nihil habet, quod refragetur communi ſententiæ, niſi id, quod Deus Pater dicatur Chriſti, etiam ut Deus eſt, caput. Sed hoc iam dilucidatum eſt per ea, quæ in Anticornæo c. 31. § 10. diſputavimus ad locum 1. *Cor.* 11, 3. Concludimus cum Baſilio, qui *contra Apol. Eunomii l. everſor.* 4. *p.* 349 ait; *Et viri caput Chriſtus eſt, Chriſti autem caput Deus, homo v. Deo Chriſto non coëſſentialis eſt, non n. eſt Deus. Chriſtus a Deo coëſſentialis eſt, eſt n. Deus, non ergo ut viri caput Chriſtus ita Chriſti caput Deus. Nam creatura & creatrix Deitas in unum & idem non conveniunt. Ille igitur ut Pater caput Chriſti eſt, hic v. ut factor noſter.*

Sic nos in Domino Ieſu finimus.

DEO GLORIA.

Digitized by Google

SYLLABVS
In
COLLATIONEM AD CONCILIUM SIRMIENSE.

PRÆFATIO *differit de pronunciato Gregorii Nazianzeni circa exitus Conciliorum infauſtos edito, quod proponitur pag.*1. *Bellarmini, Stapletoni, Parai, Witakeri Sutlivii ſubnexis explicationibus p.*2. *quæ diſcutiuntur p.*3.*ubi etiam Fr. Longi de eo ſententia recenſetur. p* 4. 5. & *Baronii explicatio p.* 6, & 7. *quæ expenditur p.* 8.

de utilitate & neceſſitate Conciliorum ex Petro Cameracenſi pag. 9.

de certitudine veterum conciliorum cum Fr. Longo, & notat Cornæum p. 11.

SECT. I. CAP. I. *habet ſyllabum teſtimoniorum veterum Athanaſii p.*12.13.14.*Hilarii p.*15.17.18.10.20.21.22.23.24.25.26.27.28.29.*Phœbadii p.*30. *Gregorii Bætici p.*31.*C.Marii Victorini p.*32. *Baſilii p.*33.34.*Gregorii Nazianzeni p.* 35. *Epiphanii, p.*37.38.39.*Philoſtorgii p.*39.40. *Ambroſii ibid. Sulpitii Severi.ib.*& 41.*Socratis p.*42.43 *Sozomeni p.*4.4.45.*Ruffini p.*46.47.*Vincentii Lirinenſis p.*48.49. *Caſſiodori ib. Nicephori Calliſti p.*50.51.*Philaſtrii p.*52.

CAP. II. *habet ſyllabum teſtimoniorum Pontificiorum de Concilio Sirmienſi, Iohannis Sagittarii p.*52.*Barth Caranzæ p.*53.*Genebrardi, ibid. R. Bellarmini, ib. A. Poſſevini, p.*64.*B. Pererii ib.& p.*6 .*G Vasquetii p.*66.*C. Baronii p.*57. *Sev. Binii, ib.& p.*58.59.60 61.*Fr. Longi. ib. Tanneri ib. C. à Lap. p.*62.*D. Ruiz. ib. D. Petavii ib.& p.*63.64.65.66.*I Gautierii p.*68.*Gordoni, ibid. Iod. Lorichii, ibid. G. Prataoli p.*68.*P. Fabri p.ead.*

CAP. III. *habet ſyllabum teſtimoniorum Reformatorum de Conc. Sirmienſi, Guil. Witakeri p.* 68.69 *Matth. Martinii p.*70.*Danai, ib. Graſeri, ib. Gothofredi, ib. Læti, p.*71.*Fr. Iunii, ibid. Bucholceri, ib. Alſtedii, ibid. Blondelli, p.*72.

CAP. IV. *habet ſyllabum teſtimoniorum noſtrorum de C. Sirmienſi; Centuriatorum p.*72. *Luc. Oſiandri p.* 73.*Sal. Geſneri p.*76.77.*I. Camerarii* 78.*Sethi Calviſii ib. N. Selnecceri ibid. Thummii p.*79.*Dorſchei ibid.*

SECT. II. CAP. I. *proponit primam confeſſionem Sirmienſem, p.*80 81.82.

CAP. II. *eiuſdem varias lectiones ex Ath. Hilar. Socrate. p.*82.& *ſeqq.*

CAP. III. *ſecundam Sirmienſem Confeſſionem p* 85.& *ſeqq.*

CAP. IV. *eiuſdem varias Lectiones ex collatione dicta, p.*87.& *ſeqq.*

Digitized by Google

CAP. V. *tertiam Sirmianam fidei Confeſſionem, p. 89.*
CAP. VI. *eiusdem varias Lectiones ex collatione exemplar. p. 90. & ſeqq.*
CAP. VII. *Orientalium Epiſcoporum, contra Sirmienſes, determinationes pag. 91. & ſeqq.*
SECT. III. *Concilii Sirmienſis ſtatum pertractans,*
CAP. I. *habet temporis Confeſſionum propoſitar. ducretionem p. 93. & ſeq.*
Quomodo veteres hiſtorici geſtorum Sirmienſium ſeriem proponant? p. 93. & ſeq.
Quomodo recentiores in eo negotio diſſentiant? pag. 94. & ſeqq.
Quid Petavius *de illo noviter conſiderandum proponat, quibusque rationibus? p. 95. & ſeqq.*
Quid D. Gothofredus *&* Blondellus *perpendi velint?* p. 98.
Quod prima Confeſſio cum duabus non ſit unius temporis & anni. p. 98. & ſeqq.
Oſtenditur ex charactere Conſulum Sergii & Nigriani. p. 99. & ſeqq.
ex tempore habiti Concilii Sardicenſis, p. 100.
An Baſilius Ancyranus fuerit in Sardicenſi Concilio? p. 105.
ex ſimulatione Imp. Conſtantii. p. 106.
ex teſtimonio diſtinctionis Vigilii contra Eutychen. p. 108.
ex teſtimonio Athanaſii dilucidato. p. 109.
Quomodo Athanaſius reiectis aliis fidei Conf. Synodi Nicanæ ſufficere dicat? p. 110.
Quæ de homouſio olim diſſidia excitata ſint? p. 111.
Quomodo Athanaſius tractet Oſium Cordubenſem? p. 112.
An ſecunda Conf. Sirm. ab Oſio & Potamio ſcripta, ut ait Hilarius? p. 113.
An iure ſuper caſum Oſii Baronius tantum leſſum excitaverit? p. ead.
Quid traditioni de obitu Oſii apud Iſidorum credendum? p. 114. & ſeq.
Quomodo autores ſect. 2. commemorati diſcernendi? p. 116.
CAP. II. *Cauſas & circumſtantias Concilii alias expendit.*
Sirmium, qualis locus? p. 117.
Vide de eo Wolf. Lazium de Migr. gentium l. 4. p. 118. & de Rep. R. l. 12. c. 3.
Baronii ex Marcellino falſa collectio notatur. ibid.
Cauſa impulſiva & obiectum Sirmienſis Synodi diſcutitur. p. 118.
Sagittarii & Carranzæ de iisdem verba exponuntur. ibid.
Quis autor & cauſa convocationis Concil. Sirmici? p. 119.
Quæ norma ſynodi Sirmienſis, & in univerſum Eccleſiæ eius temporis in rebus fidei? p. 120. & ſeqq.
Qui in iſto Concilio conſederint? an tantum Epiſcopi? p. 122.
An tantum Ariani? an etiam Politici? p. 123.
Quis primam confeſſionem ſcripſerit? p. 124.

An Mar-

An Marcus Arethuſius Arianus fuerit? p. 125.
Gregorii Nazianzeni de Marco Arethuſio elogium. p. 126.
An alteram Confeſsionem Oſius & Potamius ſcripſerint? p. 126. & ſeqq.
An Arethuſius ſecunda Conf. illam inſcriptionem adiecerit? p. 127.
An Hilarius non habuerit primum Latinum exemplar ſecunda Confeſ.? ibid.
Baronii error circa interpretationem Hilarii notatur. p. 128.
An Marcus Arethuſius tertiam Confeſsionem Sirm. ſcripſerit? ibid.
Cuius fidei ſit Germinii epiſtola? ibid.
Baronii circa Epiphanii interpretationem error ex Petavio notatur. ibid.

CAP. III. *Concilii Sirmienſis autoritatem dilucidat.*

Primum quidem in Latina Eccleſia ex Hilario, Vigilio, Philaſtrio. p. 132.
Deinde in Græca ex Socrate & Ancyrana ſynodo. p. 133.
Tertio ex recentioribus ſcholis Pontificiorum, Reformatorum &c. ibid.
Petri Fabri error circa interpretationem l. 5. C. theod. de hæret. notatur. p. 134.

CAP. IV. *Concilii Sirmienſis Canonum veritatem expendit.*

An ſufficienter ſit edita Confeſsio prima Sirmienſis? p. 135.

CANON III. *de hypurgia filii Dei in creatione explicatur.* p. 136.

CANON XIII. *de perſonarum circa hominis creationem pluralitate illuſtratur* p. 137. & ſeqq.

CANON XIV. *de apparitione angeli increati apud Abraham diſcutitur.* p. 140. & ſeqq.

Quarti ſeculi conſenſu oſtenſo Ambroſius, Nyſſenus, Idac. Clarius explicantur. p. 141. & ſeqq.
Petavii circa hunc canonem criſis reiicitur. ibid.
Primi, ſecundi, tertii, quinti, ſexti, ſeptimi ſeculi conſenſus deducitur. p. 143. & ſeqq.
Corn. Ianſenii Iprenſis Epiſcop. de Auguſtini ſententia iudicium proponitur & refellitur. p. 148. & ſeqq.
Eucherii Lugdun. opera cuius fidei? p. 149.
Hieronymus, Fulgentius, Procopius Gazæus, explicantur. p. 150. & ſeqq.
Gregorii M. quanta in hoc negotio autoritas? p. 152. & ſeqq.
Eius error de angelorum adoratione in V. T. permiſſa, quem & habet Iac. Capellus in ep. ad Hebr. p. 26. detegitur. p. 152.
Vſus mutata ab Auguſtino communis ſententia perpenditur. p. 153. & ſeqq.
Lutheri de iſta theophania ſententia diſcutitur. p. 155.

CANON XV. *de angelo increato cum Iacobo colluctante aſſeritur ex quarto ſeculo.* ibid.

Ex ſecundo, tertio, quinto, ſexto ſeculo idem fit. p.158. & ſeqq.
Ex Lutheri, Melanchthonis & aliorum A.C. Theologorum conſenſu. p.159 & ſeq.
An ad perſonæ divinæ diſtinctam apparitionem in V.T. opus fuiſſet unione hypoſtatica? p.161. & ſeqq.
An nulla planè œconomia perſonarum divinarum ſit niſi ἐνανθρώπησις? p.164.
Quid de Spiritus ſancti apparitione in ſpecie columbæ ſentiendum? p.161. & ſeq.
Petavii criſis circa Tertullianum reiicitur. p.166.
An angeli vox neceſſario miniſterium inferat, & perſonæ divinæ repugnet ἀτάκτῳ? p.168.
Ianſenii circa B. Ambroſii allegationem falſitas detegitur. p.169.
Didaci Ruiz de apparitionibus perſonarum divinarum in V.T. ſententia diſquiritur. p.170. & ſeqq.
Gabr. Vaſquez & Petavii iudicia proponuntur. p.171. & ſeqq.
An ſolidis ex cauſis veterū de iſtis apparitionib. conſenſus ſperni queat? p.173. & ſ.
Sirmienſis ſynodi ſententiam quibus ex querelis nonnemo lædere velit, quam fruſtra, indicatur. p.174. & ſeqq.
An nullum niſi Arianum Concilium ſententiam de apparitionibus in alterutram partem determinarit? p.176.
Antiocheni Concilii contra Paulum Samoſatenum epiſtola proponitur. ib. & ſeq.
CANON XVI. *de Domino Filio à Domino Patre operante in everſione Sodomæ aſſeritur ex quarto ſeculo.* p.181. & ſeqq.
Petavii in allegando contra Canonem Sirm. Chryſoſtomo error detegitur. p.182.
Idem Canon aſſeritur ex ſecundo, tertio, quinto ſeculo. p. ead. & ſeq.
Brovveri in allegatione Cyrilli anachroniſmus notatur. p.183.
Idem Canon aſſeritur ex ſeculo ſexto & ſeptimo. ibid. & ſeqq.
Quid de Alf. Toſtato Poſſevinus, Pererius & Ruiz? p.184. & ſeqq.
Dionyſii Carthuſiani explicatio notatur. p.187.
Reformatorum de Canone Sirmienſi iudicium. ibid.
Lutheri & aliorum Theologorum de eodem ſententia. p.183.
CANON XXII. *explicatur.* p.189.
Heſshuſii de Formula Concordiæ elogium. p.190.
CANON XXV. *explicatur an voluntate Pater genuerit Filium?* p.191.
Petavii in Sirmienſem Synodum acerbitas reprehenditur. p.192.
CANON XXVI. *explicatur.* ibid.

FINIS.

Digitized by Google

ſc. ex n

(a) *A*
de f
in
15.

EGo f
ex ſu
lem, qu
maledict
mune h
que natu
(*t*) Non
cum, ſec
Univer
cundu
CRIC
hilo
SU
ſer
h
ſ

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
"VITTORIO EMANUELE"

Digitized by Google

ol.ſcholaſt.de prædeſt.c.15.q.8.

tech.p.18.
3. de Chriſto c.15.

i liberi arbitrii eâdem, quæ fuit ante lapſum, ad ſervandâ
â in actibus ſupernaturalibus: *in Spiritum Sanctum* (*c*) ſan-
(*d*) laborantem in purgatorio: Eccleſiam Romanam (*e*)
) ſemper ac neceſſariò viſibilem (*i*) indeficibilem, Ita tamen
ſub uno capite viſibili Pontifice *Romano*. *Communionem*
ccatorum mortalium. Carnis reſurrectionem, & vitam (*q*)

aniſ.p.749. Tann. tom.2. diſp.6. q. 3. d. 3. n. 79. & n. 129. Coſter.
ellarm.l.4.de Pontif. Rom. c.4. [*e*] Sanctificantem & juſtifican-
arb.c.3. Coſter.enchirid.de juſtif. Tanner.tom.2.diſp.6. q.5.dub.1.
.Rom.part.I.p.83. Caniſ.p.139. Bellarm.l.3.de Eccl.c.13.l.4. de R.
.l.de R.P. Agenda Colo.p.385. Quali & quantovidendus Bzoviu-
de juſtif.c.3. [*o*] Incertam Bellarm.l.3. de juſtif.c.2.3. l.2. de purg.

eol.ſcholaſt.c.2.q.11
6. dub. 1. ſeqq.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
"VITTORIO EMANUELE"

Digitized by Google

natorum.

dam decreti appellant contradictoriè eſt oppoſitum, Nolo mortem pec-
(in Deum, Deitate mutabili, (*f*) Auctorem peccati (*g*) PATREM Electo-
m, omnem antecedaneæ conditionis reſpectum excludente (*k*) inprimis
oſſunt cauſa reprobationis, ſed beneplacitum Dei, ſive liberrima & juſtiſ-
e. cœleſtium creaturarum, Angelorum, cum lapſum periculo factorum, (*o*)

Biſterfeld. l. 1. contr. Crell. ſect. 3. & 1. p. 361. (b) *Helvet. Synodale ad artic. 3.*
8. (d) *Vrſin. Explic. catech. de Cœna D. p. m. 166. Piſcator ad Luc. 24. {ehr 7.*
od aliqui in tempore fide à Deo non donantur, id ab æterno ipſius decreto proveni-
ommemorem, ex prædeterminationis antecedaneæ ac irreſiſtibilis doctrina. ſequi-
odum factus eſt. Maſſon. part. 3. anat. p. 362. Sic etiamnum utitur diabolis,
. p. 62. De ſyncretiſmo Papæo hâc quidem in re gloriantur Rivet. in Cathol. Or-
d. Dordr. ſeſſ. 136. p. 341. Pareus Iren. p. 262. & dub. 8 cap. 9. Rom. arg. 5. l. 3.
heol. Chr. p. 166. (l) *Chamier tom. 3. l. 8. c. 8. §. XI. p. 117.* (m) *Synod. Dordr.*
2. converſ. pruten. c. 7. & 206. Orthod. Conſenſus. p, 6. p. 115. VValæus p. 988. (o)

s electos. (*b*) JESUM non Unum, in quo Unio naturarum talis, ut λόγος

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

3 – 3

Digitized by Google

Digitized by Google

ized by Google